



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

Liber III. Decretalium. Gregorii IX. Pontificis M.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

§. IV.

4 *Subjectum* hujus vitæ sunt *Clerici*; quod nomen primò omnibus Christianis tributum, procedente tempore pro Ministris tantum Divini muneris usurpari coepit. Vocantur autem Clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominus ipse fors, id est, pars Clericorum est: Clericos enim græcè, fors latinè, vel hæreditas dicitur, *c. clericos. l. dist. 21. c. Clericus. §. c. duo sunt 7. causâ 12. q. 1.*

5 Porro Clericorum duo sunt genera: unum eorum, qui in *Minoribus*, alterum illorum, qui in *Majoribus seu Sacris Ordinibus* constituti sunt.

Ordinibus minoribus, qui votum castitatis annexum non habent, initiati reperiuntur *Ostiarii, Lectores, Exorcista, & Acolythi*. *Ostiarii* incumbit, templum Dei claudere, ac aperire: omnia, quæ intus, extrâque sunt custodire: fideles recipere, excommunicatos, & infideles ingressu arcere. *Lectorum* munus est, legere ea, quæ à Sacerdote, vel Diacono populo annuntiantur, ac prædicantur, ut sic præsentiam animi ad reverentiam Sacrificii excitentur. Ad *Exorcistas* pertinet, exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, sive à Dæmonibus obsessos, & catechumenos in exorcizando imponere. *Acolythorum* officium est, parare vasa vini & aquæ pro *Eucharistia*, eaque dare Subdiacono: item ferre cereum ante Sacerdotem, & cum legitur Evangelium in Missa; unde & *cerosferarii* dicti *d. c. Cleros. l. dist. 21. c. perlectis l. dist. 25. c. seriatim. 14. dist. 32. c. de persona. 38. causâ 11. q. 1.* ubi recensiti omnes

6 Clerici appellantur. His accedunt illi, qui *primam tonsuram* impetrârunt: enim verò licet prima tonsura propriè ordo non sit, sed prævia solum dispositio ad ordines, ut *supra de Tempor. ordin. n. 3.* comprobavimus, nihilominus per eam Tonsurati in

Clerum cooptantur, & à vulgo selecti in sortem Domini transferuntur, ita ut quoad privilegium Canonis *si quis suadente causâ 7. q. 4.* & privilegium fori, ac in quavis fere materia Clericorum nomine comprehendantur, etiam cum agitur de Clericis ordine clericali insignitis. *c. cum contingat 11. de atate & qualit. c. ex clericis 6. de Transact. Clem. 2. & ibi Gloss. h. 1. Gonzalez ad c. 1. de Apostat. num. 2. Jacob Menoch. de Jurisdic. lib. 1. c. 20. n. 10. Cravet. vol. 4. consil. 616. n. 4. Barb. de appellativa verb. signif. appell. § 1. n. 1.*

In ordinibus majoribus, qui ordinos perpetuæ continentia lege altringunt, sunt *Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, seu Sacerdotes*. *Subdiaconi* ordini Diaconorum ad hoc superadditi sunt, ut illis ad altare inserviant, calicem & patenam porrigant, aquam ad commixtionem vini affundant, Epistolam solenniter cantent &c. *Diaconorum*, qui olim *Levita* nuncupabantur, cura est, Sacerdoti missam celebranti proximè ministrare, Evangelium publicè legere, si esset in usu, calicem populo præbere: item ex commissione Superiorum baptizare, & prædicare. *Presbyterorum seu Sacerdotum* partes sunt, offerre DEO incruentum novæ legis Sacrificium, Baptismum, aliâque Sacramenta (Confirmatione, & Ordine exceptis) administrare, verbum Divinum prædicare, & alia omnia ad salutem animarum, cultumque Dei spectantia, quæ Episcopis reservata non sunt, secundum leges Ecclesiasticas peragere. *c. Cleros l. dist. 21. c. perlectis. l. dist. 25. c. de persona 38. causâ 11. q. 1. & Novel. 123. c. 19.* ubi Justinianus: *Presbyteros autem & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quas omnes Clericos appellamus &c.* His meritò Canonitæ addunt *Episcopos*, quorum propriæ functiones sunt Clericorum ordinatio, Virginum benedictio, Basilicarum conse-

eratio, unctio altaris, confectio Chriftianis, &c. d. c. *perlellis*. §. *ad Episcopum*. Tametsi verò in favorabilibus, & ubi de vita & honestate Clericorum agitur, servatà proportionem cum Clericis Episcopi comprehendantur. P. Engl. *h. r.* n. 2. Vallens. n. 3. Carol. de Grass. *de Effect. Clericat. in pralud.* n. 258 & 261. attamen in odiosis nomine Clericorum solum Clerici simplices, ac inferiores, non Episcopi, nec alii indignitate positi intelliguntur. *arg. c. quia periculolum*. 4. *Sentent. ex. com. in 6.* Sylvester *V. Clericus*. n. 1. Carol. de Grass. *d. n.* 261. Jacob Menoch. *cit. c.* 20. n. 9. noster Panormit. *ad rubr. h. r.* Optimà ratione: quia in istis reperitur qualitas, quæ non reperitur in Clericis simplicibus, & aliàs in odiosis appellatione simplicium non veniunt mixta, & simul juncta, ut inter alios notat Romanus *consil.* 259. Hæc satis certa sunt. Sed

9 *Dubitatur* I. Utrum nomine Clericorum quoque Religiosi contineantur? *Affirmo*, si materia sit favorabilis, & Religiosis non minus, quàm Clericis secularibus conveniens, ac proportionabilis. Sylvester *V. Clericus* n. 1. Carol. de Grass. *ubi supra* n. 248. & 265. Bonacin. in *Bull. Cœna disp.* 1. q. 16. *scil.* 1. *punct.* 3. n. 9. Quare in materia privilegiorum Clericalium dicta de Clericis, præsertim in Sacris constitutis, extenduntur etiã ad Religiosos cujuscunque Regulæ, non modò ad Professos, sed & ad Novitios. Jacob Menoch. *de Jurisd.* lib. 1. n. 20. n. 11. Bonacin. *cit.* n. 9. & 10. Decian. *tr. crim.* lib. 4. c. 9. n. 24. Scaccia *de Judic.* tom. 1. c. 11. n. 82. Navarr. *Consil.* 25. *de Privileg.* n. 7. Laym. in *Theol. mor.* lib. 4. *tr.* 9. c. 7. n. 4. §. *ad extremum*. Nego, si materia sit odiola, ex vulgata regula: *odia restringi, & favores convenit ampliari*. c. 15. de *R. I.* in 6. Panormit. in c. 1. n. 7. *Ne Clerici, vel Monach.* Zerola in *Prax. Episc.* *V. Clericus*. §. 1. in fin. Barb. *de appellativ. verb.*

signif. appellat. § 1. n. 7. cum allegatis *ibid.* Unde interdictò in Clerum latò non cenferi comprehensos Religiosos, nisi aut verba, aut causa interdicti aliud innuerent, cum Sylvestro, & Armilla docet P. Engl. *h. r.* n. 2. Sayr. *de Censur.* lib. 5. c. 4. num. 29. Avila *eod. tr. p.* 5. *dist.* 1. *dub.* 4. *concl.* 7.

Dubitatur II. An, & qualiter is, qui se Clericum esse asserit, id probare possit, ac debeat? Sanè cum Clericatus sit facti, & quilibet nascatur laicus, nemo Clericus præsumitur, consequenter Clericatus ab eo probetur, oportet, qui se Clericum esse prætendit, & super Clericatu intentionem suam fundat per *c. Presbyteri* 2. *distinct.* 68. & *ibi Gloss.* c. 9. *causà* 2. q. 1. Decian. in *tr. crim.* lib. 4. c. 9. n. 117. Menoch. *de Præsumpt.* lib. 2. *præsumpt.* 76. n. 1. Mascard. *de Probat. concl.* 302. n. 13. cum aliis. Quod tamen comuni DD sensu eò restringitur, nisi quis reperiretur in quasi possessione beneficii, tanquam Clericus, vel etiã in quasi possessione Clericatus per diuturnam delationem habitus. Mascard. *d. concl.* 302. n. 16. & *concl.* 304. n. 1. Rota *dic.* 13. *tit. de Probat. in antiq.* Menoch. *de Præsumpt.* lib. 6. *præsumpt.* 76. n. 19. Cæterum probatur Clericatus iis ferme modis, quibus alia negotia, speciatim verò I. literis commendatitiis proprii Episcopi, *vel formatis*, ut vocant. *c. 7. de Probat.* & *ibi Gloss.* *V. literas*. Rota *part.* 5. *dec.* 34. n. 3. *dec.* 348. n. 4. & *dec.* 385. n. 14. II. per librum Ordinatorum reservatum in Archivio Episcopali, cum ex eo tanquam ex originali litera testimoniales susceptorum Ordinum transfuntur. Alex. Sperel. *dec.* 17. num. 23. III. Per attestationem Notarii, seu instrumentum publicum de ipso Clericatu confectum. *c. 9. causà* 2. q. 1. c. 1. n. 3. *de Cler. peregrin.* Seraphin. *dec.* 755. n. 1. IV. Ex confessione partis adversæ, præsertim quoad præjudicium ipsius consentis. Rota *p.* 7. *dec.* 162. Craver. *lib. 1. consil.* 93. n. 4. & 5. Mascard.

conc. 305. n. 6. & 9. V. Per unum, aut plures testes, qui ordinationi interfuerunt per unum quidem, si probatio extrajudicialiter instituenda est, & interesse alterius per se non controvertitur. Zerol. in *Prax. Episc. V. Clericus. §. 3. in fin.* Rebuff. in *tr. de Nominacionibus q. 14. n. 32.* Covar. *pract. qq. c. 33. n. 3.* per duos, aut plures, quoties agitur de præjudicio alterius, veluti si lis moveatur super aliquo beneficio. Petr. Rebuff. *loc. cit. n. 54.* Mascard. *concl. 303. n. 5.* aut remissio capti se Clericum asserentis ad forum Ecclesiasticum petatur. Rot. p. 2. *dec. 509. n. 2.* Covar. *loc. cit.* Barb. *ad c. si judex 12. n. 3. de Sent. excom. in 6.* VI. Per publicam famam, & vocem junctis aliis administriculis. Sperell. *d. dec. 17. n. 26.* Rot. p. 1. *dec. 613. n. 4. p. 2. dec. 116. n. 3.* Carol. de Grassi. *de effect. Clericat. in pralud. n. 205.* VII. Comuni opinione, quâ quis per plures annos communiter Clericus reputatus fuit. *c. si judex 12. de Sent. excom. in 6.* Paris. *lib. 4. de resignat. q. 2. n. 70.* Rot. p. 7. *dec. 162. n. 2.* VIII. Nonnunquam Clericatus probatur juramentò, quando scilicet de nullius præjudicio agitur, nec alia probatio suppetit. Rot. p. 7. *dec. 159. num. 11.* P. Engel *ad tit. de Cleric. peregr. n. 2.*

¶ *Vicina, & gravis controversia est: cuiusnam Judici comperat Clericatus discussio, si dubitetur, num quis v. g. ob delictum ab executoribus Judicis secularis captus, sit Clericus?*

Complures apud Barb. *ad c. si judex 12. n. 3. de Sent. excomm. in 6.* contendunt, Judicem laicum de Clericatu personæ captæ cognoscere posse: primo quia quilibet judex cognoscit de sua jurisdictione, *prætoris est enim estimare, an sua sit jurisdictio. l. si quis ex aliena §. ff. de Judic.* Secundo, quia quæstio, an quis sit Clericus? est quæstio facti, quæ nihil spiritualitatis continet, & coram Judice etiam laico tractari potest, ut

docent Gutierrez. *qq. lib. 1. c. 34. n. 12.* & Menoch. *de rerin. poss. remed. 3. n. 336.* Accedit tertio consuetudo, ac praxis, quâ in plerisque tribunalibus Orbis Christiani Judices sæculares de hac facti quæstione & captorum Clericatu cognoscunt, prout attestantur de Gallia Guido Pap. *dec. 138.* & *consil. 110. n. 2.* de Ducatu Mediolani Clar. in *pr. crim. §. fin. q. 36. §. regulariter.* de Regno Neapolitano, & Sicilia Carol. *de effect. Clericat. eff. 1. n. 1258.* alii de aliis.

Verùm opinioni huic vehementer reclamatur. *c. si judex 12. de Sent. excomm. in 6.* ubi Bonif. VIII. apertissimis verbis decernit, discussionem Clericatus, si malefactor captus à Judice laico se Clericum asserit, ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere, vocato tamen Judice seculari, vel alio, cujus Interest, additâ ratione: *quia de Ecclesiastica, & spirituali: nempe tali casu mixtum agitur de quæstione facti, & juris, neque separari ab ea potest ipse Clericatus, dum principaliter ejus titulus controvertitur.* Proinde hanc decisionem merito amplexi sunt Zerol. in *Prax. Episc. p. 1. V. Clericus n. 3.* Gratian. *discept. forens. c. 190. n. 13. cum seqq.* Clar. in *§. fin. §. dixi Clericum.* Mascard. *de Prob. l. 2. concl. 789. n. 7. & seqq. & 961. n. 3.* Carol. de Grassi. *ubi supra n. 1257.*

Argumenta contraria dilutiora sunt, quàm ut consistere possint: nam primum, quod attinet, desumptum ex *l. si quis aliena.* id non concludit, quando, ut hic, opponitur exceptio concernens aliquid spirituale, siquidem ubi qualitas Ecclesiastica, vel spiritualis deducta est, Judex secularis nullatenus se ingerere potest, sed articulus ad Judicem Ecclesiasticum devolvitur arg. *c. suam de Ordine cognit. c. per venerabilem. Qui filii sint legit.* Felin. in *c. si Clericus laicum n. 3. & seq. de Foro compet.* Alex. *vol. 6. consil. 149. n. 2. & seq.* Minus probat

argumentum secundum, quanquam enim demus, Judicem laicum quaestionem facti rei spiritualis cognoscere posse, quod quam plurimi negant apud Alex. Sperell. *dec. 8. n. 54.* hoc tamen ita procedit, si factum sit ab omni spiritualitate abstractum; secus, si jus sit aequaliter factum admixtum, veluti in quaestione super Clericatu, utriusque cognitio ad Judicem Ecclesiasticum remittitur, ne causarum continentia dividatur. Alex. Sperel. *loc. cit. n. 55.* Farinac. *in pr. crim. q. 8. n. 25.* & Ego *supra de Jud. n. 450.* Tertio quoque ex allegata praxi, ac consuetudine nihil solidi inferitur: etenim quod in Regnis supradictis contrarium practicetur, id peculiaribus privilegiis SS. Pontificum imputandum esse, autumat Barb. *ad d. c. si iudex n. 3.* Consuetudo autem omnis, utpote contra immunitatem Ecclesiasticam, tum per Generalia Concilia, tum per SS. Canones, tum vel maxime per Bullam Cœnæ Domini reprobatur, ac potius pro corruptela habenda est, per ea, quæ tradidi *de Consuetud. n. 3.* & Jacob Pignat. *com. 3. consult. 44.* ubi ita læpius decidisse S. Congregationem Cardinalium asseverat.

§. IV.

12. *Materia*, seu *objectum* vitæ Clericorum est, quam in Clericis exigit, *honestas*, eaque tum *interna*, quæ consistit in puritate animi, & virtutibus theologicis, ac moralibus; tum *externa*, quæ nostræ considerationis est, & consistit potissimum in *morum integritate*, in *abstinentia à negotiis secularibus*, & in *habitu externi decentia*. P. Pirthing *ad rubr. h. t.*

13. Ad *morum integritatem* pertinet I. ut Clerici non solum castè, sed etiam cautè, ac extra omnem suspicionem incontinentiæ, & intemperantis animi vivant, quatenus in conspectu Omnipotentis DEI puro corde, ac mundo corpore valeant ministrare.

Text. in *c. ut Cleric. 13. h. t.* Hinc sine manifesta & rationabili causa Monasteria Sanctimonialium sub pœna depositionis frequentare prohibentur. *c. monasteria 8. & ibi prolixè Gonzal. Eod.* Multò magis iisdem vitanda est familiaritas cum aliis fœminis: tritum namque adagium est: mare, ignis, & mulier tria mala: sed tamen minus tempestuosum est mare, ignis minus inflammat, in muliere omnia nocent. Plura de his *est. seq.*

II. Ut Clerici à crapula, & ebrietate ab- 14. stineant, ac vinò sibi temperent, & se vino non onerent: cum ebrietas mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. *c. à crapula 14. h. t.* Ut verò à periculo se inebriandi sint remotiores, *primò* in *eod. cap. à crapula.* illis Inhibetur, ne ad bibendum quispiam incitetur, & usus ad æquales haustus provocandi, ac fœcundiores calices exhauriendi aboleri jubetur, adjectâ pœnâ, ut commoniti, nisi destiterint, ab officio suspendantur. *Secundò* iis interdicitur, ne edendi, vel bibendi causâ tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Text. in *c. Clerici 4. dist. 44. & c. 15. h. t.* Nec *tertiò* permittuntur convivia accedere, præsertim nuptialia, ubi majores illecebræ, ac sæpe Bacchus, & Venus convivantur. *c. convivia 6. cum seqq. dist. 44. c. Presbyteri 19. dist. 34.*

Cæterum olim Clericus ebrietati incumbens, nec ab ea desistens, si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fuit, deponeretur, Subdiaconus verò, aut inferior communionem privabatur, *c. Episcop. 1. dist. 35.* Imò juxta *c. fin. ead. dist. 35.* Clericus ebrius, si ebrietas fuit assidua, aut triginta dierum spatio à communionem submovebatur, aut corporali subdebatur supplicio. At hodie has pœnas in usu esse negat Panormit. in *d. c. à crapula. n. 3. h. t.* Anchar. *n. 4.* Anton. de Butr. *n. 5. in fin.*

15 III. Ne Clerici ad aleas, aut taxillos ludant, vel huiusmodi ludis intersint. *c. Clerici 15. h. t.* Intelligitur autem nomine alearum lusus, in quo potissimum fortuna victoriam parat; qualis etiam censetur lusus chartarum. Pirrhing. *h. t. n. 15.* de cuius quatuor Regibus ita ludit Poëta:

In mundo quatuor reges sunt semper egeni;

Multa licet rapiant, nil tamen ullus habet.

Quod si lusus magis arte, quam fortunâ regatur, ut lusus conorum, Schachorum &c. sub aleis non comprehenditur, neque etiam Clericis interdicitur. Panormit. in *d. c. Clerici. n. 11.* P. Engel *h. t. n. 12.*

Pœnæ graves in Clericos aleatores extant tum in *c. inter dilectos 11. de Excessib. Pralat.* ubi Clericus ab officio & beneficio consequendo arectur, ac præsentatio, collatio, seu electio ipsius irrita decernitur propterea, quod publicus aleator esset: tum in *c. Episc. 1. dist. 35.* ubi Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, si monitus à prava consuetudine ludendi non desistat, deponi, inferiores verò Clerici excommunicari iubentur. Quas pœnas renovavit Trident. *Sess. 22. c. 1. de Reform.* & accuratè versant Jacob. Pignatell. *tom. 6. consult. 93. à n. 25.* Panorm. in *d. c. inter dilectos.* Garc. de Benefic. *p. 7. c. 8. à n. 38.* Jure Civili victori, qui ex alio pecuniam petit, denegatur actio, & victo pecuniæ, quam collutori solvit, etiam post triginta annos conceditur repetitio. *l. 1. §. 3. C. de Aleatorib.* Consequenter qui non paratâ, sed creditâ pecuniâ ludit, exceptionem legis alearum objicere potest, ex quo, cui conceditur actio, multò magis datur exceptio. *l. invit. 156. §. 1. ff. de R. F.* Verùm hæc quoad laicos consuetudinem vi suâ, et si injustâ, abrogasse, & magnam induxisse ludendi licentiam, quotidie experientia testatur, cui plures concedunt. Jacob. Pignatell. *d. consult. 93. n. 11. & 12.* Covar. *ad reg. peccatum p. 2. §. 4. n. 3.* Petr. Heigius *lib. 2. q. 10. n. 31. & seqq.*

IV. Ut Clerici quàm maximè sint alieni ob omni avaricia per *c. aurum 70. & seq. causa 12. q. 2. c. quod autem 3. causa 23. q. 7.* tum quia nihil est iniquius, quàm amare pecuniam *Ecclesiast. 10. y. 10.* & ut nonne mo rectè cecinit.

Auri stulta sitis soror est sitientis hydropic:

Quò plius sunt rapta, plius rapiuntur opes:

Tum quia lucri cupiditas subvertit, & impedit luca animarum teste S. Philippo Neri, qui dicere solitus: *qui vult fructum facere in anima, contineat manus suas à bursa.* Atque ad hanc magis evitandam Ecclesia Clericis ademit testamenti factionem: *c. 1. & passim de Testamentis.* usurarum, & mercium exercitium propositis pœnis interdixit: *c. 2. & fin. h. t. cambia,* quæ maximè spe lucri ineuntur, inhibuit: *arg. c. ex parte 18. in fin. de Censib.* alchimie artem vetuit in *Extravag. spondent de Crim. falsi inter comm.* per quam artem an verum aurum confici possit? doctè disputat Amanitill. meus Confrater Benedictus Behamstein in *Discursib. Phil. jurid. discurs. 9.* Judices gratis judicare voluit non acceptis licium decimis, nec earum quotâ. *c. cum ab omni 10. h. t.*

Circa abstinentiam à negotiis secularibus generalis regula est, ne Clerici officia, munera, aut commercia, præsertim, quæ Clericali statui adversantur, vel Ecclesiasticis functionibus impedimento sunt, exercent juxta *c. Clerici 15. c. fin. h. t. & t. t. Ne Clerici, vel Monachi secularib. negot. se immisc.* Præcipuè verò hic duo referuntur, ac caventur. Primum est, ne mimis, histrionibus, choreis, obscænis comœdiis, & similibus spectaculis intendant, vel intersint. *c. Presbyteri 19. dist. 34. c. Sacerdotes 2. dist. 37. c. cum decorem 12. c. Clerici 15. h. t. l. fin. C. de Episc. aud. Novel. 123. c. 10.* Imò Clerici, qui joculariores, goliardos, aut bufones, Gaucler/oder Schalckes/Marren/ agunt, si per annû, intellige continuû, artem huiusmodi

modi ignominiosam, aut postquam ter moniti sunt, breviori tempore exerceant, infames pronuntiantur, & omni privilegio clericali, adeoque & privilegio canonis ipso jure privantur, tamen in Sacris constituti sint. *c. un. & ibi Henr. Wagnebeck. b. t. in 6. Decian. tr. crim. lib. 4. c. 9. n. 86. Diaz. in pract. crim. canon. c. 68. n. 3.* Alterum est, ut à lanionum, seu macellariorum (qui, quia ex animali vivo carnes faciunt, *carnifices* dicuntur) aut tabernariorum muneribus abstineant. *Clem. 1. b. t. ubi ea publicè, & personaliter exercentes, si nominatim, & ter moniti intra præfixum terminum non desistant, aut illa reassumant, clerici conjugati omninò, non conjugati verò in rebus, aut si ut Laici incedant, in personis quoque privilegia clericalia ipso facto sine alia sententia amittunt. Confer. Cæsar. de Panimoll. dec. 41. n. 5. & seq. Diaz. in pr. crim. canon. c. 69. Foller. ead. pract. crim. c. 23. n. 28.*

18 *Decentia habitus externi* exigit I. ut Clerici consuram, quam coronam vocant, habeant congruentem, *c. Clerici 15. b. t. hocque signaculo se ad sortem Domini pertinere ostendant. c. duo sunt 7. causâ 12. q. 1. ubi S. Hieronymus: coronam, ait, habent Clerici ab institutione Romana Ecclesia in signum Regni, quod in Christo expectatur, raso verò capitis est temporalium depositio.* Certè hodie usus obtinuit, ut Clerici sæculares solum in superiore parte capitis radantur. *P. Engl. b. t. n. 6.* quòd verò nonnulli tam exiguum definiant circumulum, ut timere videantur, ne pro Clericis agnoscantur, alienissimum est ab instituto Apollotico, & majorum nostrorum pietate, qui in tonsura Clericali magnum decus constituebant.

19 II. Ut Clerici neque comam nutriant, neque barbam. *c. Clericus 5. b. t. & si nutriant, inviti à suis Archidiaconis tondeantur. c. Clerici. 22. dist. 23. c. 7. b. t.* Quin imò

si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit. *c. si quis. 23. dist. 23. c. 4. b. t.* Quod tamen eò dictum existimem, si quis modo planè muliebri & lascivo comam laxet; nam si quis longiores quidem capillos nutriat, formam tamen ab aliis viris honestis, saltem Laicis usitatam non excedat, nec excommunicationem ipsò factò incurret, nec per sententiam Judicis Ecclesiastici propterea excommunicari, vel puniri poterit. *Zoëf. b. t. n. 9.*

III. Ne Clerici armati incedant. *c. 2. b. t. 20* cujus verba sunt: *Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.* Quod accipiendum est de Clericis armatis, etiamsi simul non sint usurarii, & vicissim: quandoquidem vocula & posita inter duo æquè principalia sumitur pro disjunctiva, ideòque vel solum alterutrum sufficit juxta Bartol. & alios DD. in *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* Armorum verò appellatione hic ea duntaxat veniunt, quæ ex institutione sua ad offendendum ordinata sunt, ut post plures laudatos docet Jacob. Pignatell. *tom. 3. consult. 59. n. 11. & 12. per l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ.* Amplius: Monachi Benedictini non tantum in publico arma gestantes, sed & intra septa Monasterii sine licentia Abbatum suorum tenentes excommunicationem majorem ipsò factò incurunt. *Clem. ne in agro. §. quia vero de statu Monach.* atque hanc pœnalem dispositionem ad omnes Monachos cum Glossa extendit Panorm. *ibid.* Planè si probabilis necessitas exigat, ut si iter faciendum per vias minus tutas, tam Religiosis, quam sæcularibus Clericis impune arma gestare licebit. *P. Engl. b. t. n. 13.*

IV. Ut Clerici vestes proprio congruentes Ordini semper deferant. *c. Clerici 15. b. t. Clem. quoniam 2. Eod. Trident. Sess. 14. c. 6. de Reform.* ubi S. Synodus decernit. Ecclesiasticas personas, quæ aut in Sacris fuerint, aut beneficia qualiacunque Ecclesia-

flica obtinuerint, si post admonitionem Episcopi sui etiam publicè edictò factam, honestum habitum clericalem illorum ordini & dignitati congruentem juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, & beneficio, & si semel correptæ denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum coercendas esse, juxta constitutionem Clementis V. in Concilio Vieñensi editam, quæ incipit: *Quoniam innovando, & ampliando.*

22 *Quæres* I. Num etiam Clerici primâ tonsurâ, aut majoribus ordinibus initiati habitum clericalem & tonsuram deferre teneantur? placet, & comuni DD. suffragio hæc distinctio approbata est: an habeant beneficium aliquod, vel non habeant? *Si prius omnino tenentur. d. Clem. quoniam 2. h. t. Trident. cit. c. 6. Sixtus V. in Bulla: Cùm Sacrosancta, quâ sancivit, omnes Clericos beneficiatos, & pensionarios, etiam si necdum jus in beneficio, sed tantum ad beneficium haberent, non deferentes habitum clericalem esse ipso jure suis beneficiis privatos.* Notat verò P. Engl *h. t. n. 8. in fin.* si alicubi constans, & multi temporis usus sit, ut in minoribus constituti, qui Canonicatus v. g. obtinuerint, in quibus vel investiti adhuc non sunt, vel residentiam non fecerunt, nec fructus percipiunt, habitum clericalem non gestent, eos ob non receptam Bullam excusari posse. *Sin posterius: absolute quidem ad habitum, & tonsuram clericalem non adstringuntur, si tamen ea non assidue deferant, atque insuper de tacito saltem mandato Episcopi alicui Ecclesie deserviant, vel de ejus licentia in Seminario Clericorum, aut Schola, aut Universitate aliqua versentur, privilegio fori non gaudent, nec Judicis sæcularis fori declinare possunt. Trident. Sess. 23.*

c. 6. de Reform. quod illustrant Jacob. Pignatell. tom. 3. consult. 7. per tot. Franc. Bordon. de Privileg. Cleric. c. 5. & 6.

Hic incidit illa *disquisitio*: utrum Clerici in Minoribus, si habitum, & tonsuram non deferant, privilegio quoque Canonis, & immunitatis à vectigalibus excidant?

Affirmant P. Engl *h. t. n. 9. Azor. Institut. moral. p. 3. lib. 5. c. 19. q. 6. Filiuc. tom. 1. t. 16. c. 11. n. 298. Paul. Layman. in Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. sub n. 7. cum aliis. Quia ex una parte privilegium Canonis, cum humani juris sit, facilius amittitur, quam privilegium fori, quod est juris Divini: ex altera, quia immunitas illa, vel subjectio juris tributorum, & vectigalium consequitur ad exemptionem, vel subtractionem personæ à foro, seu jurisdictione laicali. Et ita de consuetudine observari, testis est Less. de F. & F. lib. 2. cap. 33. n. 38. Covar. pr. 99. c. 31. n. 9.*

Verum hæc sententia ab aliis haud contemnenda autoritatis Viris merito in dubium vocatur, eò quòd hujusmodi Clerici neutro privilegio exciderint ante Concilium Tridentinum, istud autem ad prædictas conditiones solum privilegium fori restrinxerit, ac proinde privilegium Canonis, & immunitatis à vectigalibus sub dispositione juris communis, seu antiqui reliquerit. arg. *L. precipimus 32. §. fin. C. de Appell.* Maxime quia ipsum Tridentinum, ubi privilegiis Clericorum derogare intendit, id exprimit, ut abundè elucescit *ex eod. c. 6. sess. 23.* ubi expressit, Clericos conjugatos nullis aliis Clericorum privilegiis gaudere, præterquam Canonis & fori, & his tantum servatis quibusdam conditionibus. Accedit, quòd sic declaraverit S. Congregatio Concilii *in una Pennens. die 2. Novemb. 1604.* cui assurgunt Molin. *tr. 3. de F. & F. disp. 54. n. 9. Clar. l. 5. sent. §. fin. q. 36. Gonzal. in reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 5.*

§. 5. num. 7. & cum his Jacob Pignatell. d. consulti. 7. num. 79.

Neque valet illatio à privilegio fori; siquidem privilegium canonis & immunitatis ab eo diversa sunt, eorumque privatio odiosa, & restringenda per c. odia. 15. de R. J. in 6. Videtur enim privilegium canonis magis necessarium, quàm privilegium fori, cum clericalis status minus inhonoretur Clericum conveniendo coram Judice sæculari, quàm percutiendo. Neque ad privationem fori sequitur immunitatis, aliorumve privilegiorum privatio, cum Clerici in causa feudali, & pluribus aliis casibus privilegio fori non gaudeant, sed fori laicali subiciantur salvis reliquis privilegiis.

24. *Quære*: II. Quis habitus Clericorum dicatur honestus, & ordini ac dignitati clericali congruus? Sunt, qui tria in eo considerent: nempe colorem, materiam, & formam. Color non sit rubens, viridis, aut violaceus. c. Clerici 15. h. t. Quamvis enim olim violaceus color apud quoscunque Clericos in usu fuerit, ut observat Baron. ad ann. 393. n. 48. nihilominus communis nunc Ecclesiæ usus obtinuit, ut colore violaceo Episcopis reservato, alii Clerici fulco, seu nigro uterentur. Insuper Clemens V. in Clem. quoniam. 2. h. t. speciatim inhibuit, ne Clerici utantur publicè veste virgatâ, vel partitâ. Quod materiam attinet, Innocentius III. in d. c. Clerici. constituit, ne Clerici fibulas, aut corrigias ferant auri, vel argenti ornatum habentes: ne annulis digitos exornent nisi ipsis ob dignitatem, vel ob gradum Doctoratus permittatur: ne denique utantur frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluentiam gerentibus. Circa formam togæ clericalis cautum reperitur, quòd debeat esse talaris, nec nimia amplitudine superfluâ, aut plus æquo constricta. d. c. penult. dist. 23. d. c. Clerici 15. h. t. De cætero attendenda erit consuetudo cujusvis Dæcesis: quandoquidem in vestimentis, cultu corporis, & simi-

libus, quæ intrinsicè, atque ex natura sua mala vel inhonesta non sunt, ut plurimum consuetudo, mores, & æstimatio populi determinant, quid honestum, vel inhonestum sit.

§. VI.

Forma vitæ Clericorum stat in differentia, 25 quâ differt à vita Laicorum. Differt autem in eo, quòd Clerici Deo, ejusque ministerio sint specialiter mancipati, atque idcirco à terrenis negotiis, ac occupationibus segregati & expediti; Laici verò licet & ipsi ad Divinum famulatum communium legum observatione exhibendum sint adstricti, nullâ tamen sacrâ ceremoniâ ministerio Divino sint dicati, & addicti, iique liberè commerciis sæcularibus vacent. Quapropter his, ut inquit D. Hieron. in c. duo sunt. 7. causâ 12. q. 1. concessum est, uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere, decimas reddere; & ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint.

§. VII.

Finis vitæ Clericorum primarius est DEI 26 Optimi Maximi honor & gloria: Secundarius propria, ac proximi virtus, & salus.

§. VIII.

Effectus vitæ Clericorum est honestatis 27 exemplum, proximi ædificatio, & ad virtutis æmulationem incitamentum: Nam nihil est, aiunt gravissimi Patres Tridentini Synodi Sess. 22. c. 1. de Reformat. quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assidue instruat, quàm eorum vita & exemplum, quia in sorte Domini vocati, se Divino Ministerio dedicaverunt: cum enim à rebus sæculi in altiore sublato locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.



B

TI-

TITULUS II. De Cohabitatione Clerico- rum & Mulierum.

SUMMARIA.

1. *Definitur Clericorum, & mulierum cohabitatio.*
2. *Allegantur Canones, quibus prohibetur.* 3. *An consuetudine sit permiffa?* 4. *Quas mulieres Clericis in domo sua retinere liceat?*
5. *Qui in diversis aedibus habitant, non dicuntur cohabitare.* 6. *Cur Clericis & fœminis suspectis interdicitur cohabitatio?* 7. *& seqq. Quae sint pœna Clericorum cohabitantium?*

QUANTUM in sacris personis nitet castitas, tantum in iisdem sordet libidinis fœculentia, quâ ne inquinentur, prohibetur hic cohabitatio Clericorum & Mulierum.

§. I.

- 1 *Definitur hæc cohabitatio, quod sit suspecta Clericorum, & mulierum in una domo sub eodem tecto commorantium conversatio.* Colligitur ex *c. 1. §. sed si qua. h. t.*

§. II.

- 2 *Causa efficiens hujus cohabitacionis est jus: quod enim ea prohibita, ac illicita sit, ex juris prohibitione venit, quæ reperitur in c. his igitur. 3. dist. 23. c. interdixit. 16. & 2. seqq. dist. 32. c. sed si forte 21. c. oportet. 23. c. volumus. 24. c. in omnibus. 26. & seqq. c. Archidiaconum. 29. & 3. seqq. dist. 81. item in Decretal. h. t.*

- 3 *Quamvis verò hodie per consuetudinem multum videatur à rigore juris recessum, dum passim videas, coquas & ancillas cum Clericis cohabitare; nihilominus, quia prava consuetudo, quæ magis corruptela est, & multitudo peccantium non excusat, sed magis aggravat peccatum, ideo hodie dum Clerici cohabitantes mulieri, in quam rationabilis suspicio cadere potest, graviter & mortaliter peccant ob periculum proprium, & scandalum pusillorum, quod ex ejusmodi cohabitacione, & consortio oritur. Barb. In Collect. ad c. 2. h. t. n. 1.*

Navarr. in Man. c. 25. n. 109. Quò etiam facit, quod Gregorius VII. in c. 5. dist. 8. scripsit ad Guitmundum Episcopum Averlanum: Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum, quod Dominus dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Non dixit: ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè, ut B. Cypriani utamur sententiâ, qualibet consuetudo, quantumvis vulgata, veritati omninò est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus.

§. III.

Subjectum hujus cohabitacionis sunt contubernales, seu cohabitantes, nempe Clerici in sacris Ordinibus existentes, atque idè lege cœlibatùs adstricti: & mulieres extraneæ, præsertim juvenes, cultæ, procaces, impudentes, mali nominis, ac famæ. Propinquâ consanguinitatis, & affinitatis necessitudine junctarum cohabitacionem expressè veluti, licitam admittit Innocentius III. relatus in c. ad nobis 9. h. t. & suffragatur ratio, quam Pontifex inruit: quia videlicet naturale fœdus de eorum contubernio nihil permittit sævi criminis suspicari. Quam licentiam Clericorum cohabitandi cum fœminis conjunctis quoad consanguineas usque ad gradum secundum in linea collateralis, & quartum in linea recta, quoad affines verò usque ad gradum primum, duntaxat limitavit Canon. cum omnibus. 27. dist. 81. & ex eo Gloss. in c. 1. h. t. V. Canones. Nec officit, quòd c. 1. cit. inhibeat quoque contubernium Clerici cum illis personis, quas Canones concedunt, scilicet cum Matre, amita, & sorore: quia, ut textus habet, insigante diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem. Nam canon ille est particularis Concilii Moguntini videlicet, ut præfert titulus in Decretalibus, aut Nannetensis, ut alii malunt apud Gonzal. ibid. n. 1. Neque per hoc, quod Gregorius IX. eum in Decretales retulerit velut suum, auctoritatem accepit obligandi totum Clerum

rum; approbavit enim Gregorius eum Canonem, suumque fecit, non quoad hoc punctum concernens inhibitionem contubernii Clericorum cum foeminis propinquis, cujus contrarium hoc eodem titulo statuit ex Innocentio III. Prædecessore suo, sed quoad alia puncta in eo contenta. Aliter respondet Gloss. & Joann. Andr. ad d. c. 1. Certè si Clericus non solus habitet, sed alii Clerico convivat, haud mirum est, vel propriae etiam matris cohabitationem ei esse illicitam; quandoquidem quæ respectu ipsius est mater, respectu alterius, cujus curam, & rationem habere debet, est extranea, ut in *cod. c. 1. notavit Panormit.*

§. IV.

7 *Forma hujus cohabitationis consistit in respectu contubernio, ac conversatione Clericorum cum mulieribus extraneis sub eodem tecto; quod addo: quia qui in uno vico, vel villa disjectis ædibus degunt, cohabitare non dicuntur. arg. c. 1. §. sed si qua. h. t.*

§. V.

6 *Finis, ob quem Clericis hæc cohabitatio interdicitur, est, ne ad mulieris cohabitantis præsentiam concupiscentiæ ignis vehementis cum summo periculo exardescat, ac in flammam luxuriæ erumpat: quoniam propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Ecclesiast. c. 9. §. 9.*

§. VI.

7 *Effectus hujus cohabitationis sunt poenæ in Clericos contra Canonum præscriptum mulieribus cohabitantes statuta; quæ aliæ, si spectemus jus Decretalium, aliæ si Tridentinum. *Fure Decretalium.* Clerici, qui si nimiam familiaritatem cum mulieribus suspectos se faciunt & ab earum colloquio, ac consortio ter moniti non abstinere, poenâ excommunicationis coerceri jubentur. c. si quisquam 2. h. t. ibi: Si quisquam Sacerdotum, id est, Presbyter, Dia-*

conus, vel Subdiaconus, de quacunque foemina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem interveniatur fabulari, & aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur, foemina verò canonicè judicetur. Quæ tara gravis poena partim ob contumaciam, ac inobedientiam, partim ob vehementem præsumptionem infligitur, quam Clericus incurrit, dum Superiori suspectam, & scandalosam familiaritatem rationabiliter prohibenti non obtemperat.

8 Porro ad alias poenas, puta ad suspensionem à beneficiis, ad privationem beneficiorum, ad depositionem à dignitate, aut prælatura (quibus juxta *c. presbyter 12. dist. 81. c. à multis 9. de Aet. & qualitat. & c. c. sicut 4. & c. si autem 6. h. t.* Clerici compescendi sunt, si de fornicatione, vel concubinato verè constat) procedi non debet contra Clericos tantum de fornicatione suspectos etiam trinâ admonitione præmissâ, ut bene monet Vivianus in *Rationali ad c. 2. h. t.* Vallens. *ibid. n. 3.* siquidem universaliter, quando Judex ex præsumptionibus, licet vehementibus, procedit, multum debet temperare sententiam, & vel nullam, vel certè minorem poenam imponere, quam mereretur delictum plenè probatum, teste Innocentio in *c. quia verisimile de Præsumpt. n. 2.* Itaque Clericus, qui post tertiam admonitionem cum foemina confabulando de fornicatione se suspectum reddit, non tanquam fornicator, sed tanquam inobediens, vel contumax puniri, & ad summum purgatio canonica eidem indici potest per *c. tua nos 8. & ibi Gloss. h. t.* P. Pirthing. *ibid. n. 15.* Casar. de Panimoll. *dec. 38. n. 24. & seqq.* cum relatis.

9 In Concilio Tridentino Sess. 25. c. 14. de Reformatione decernitur primò, ut Clerici quicumque, qui concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinent, aut cum iis ullam consuetudinem habent, poenis à SS. Canonibus, vel statutis Ec-

clesiarum impositis puniantur: *Secundo* ut si primò moniti non abstinerint, tertià parte fructuum ipsò factò sint privati, quæ Ecclesiæ fabricæ, aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicentur: *Tertiò* ut, si in delicto eodem, cum eadem, vel alia fœmina perseveraverint, neque secundæ monitioni paruerint, non solum fructus omnes, & obventiones beneficiorum amittant, sed etiam à beneficiorum administratione suspendantur: *Quarto* ut, si ita suspensi nihilominus non respuerint, beneficiis & officiis, ac pensionibus Ecclesiasticis quibuscunque perpetuò priventur, donec post manifestam emendationem videatur cum illis dispensandum: *Quintò*, ut si consortium semel dimissum repetant, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas etiam excommunicationis gladio plectantur: *Sextò* ut Clerici beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, carcere, suspensione ab ordine, & inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta Canones puniantur. *Septimò* denique ut Episcopi hujus criminis rei, & à Synodo Provinciali admoniti, nisi se emendaverint, ipsò factò sint suspensi, & si perseverent, ad Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam perprivationem, si opus fuerit, in eos animadvertat. Verùm hic nonnulla dubia se insinuane.

10 *Primum* est: utrùm Clerici concubinarum ipso jure incidant in suspensionem propriè dictam?

Non desunt DD. qui Clericos concubinarum, imò & fornicarios quoscunque ipso jure suspensos esse velint: neque id solum improprie, & quoad se, ita ut ipsis illicita sit administratio, & perceptio Sacramentorum, quo modo suspensus est concubinarum, aut fornicator occultus, & quicumque constitutus in peccato mortali, usque dum istud per poenitentiam aboleatur; sed etiam quoad alios, & proprie,

ita ut ante absolutionem missam celebrantes, aliòsque Ordinis actus, etiam nullà præcedente admonitione, exercentes irregularitatem contrahant, à quâ non nisi per dispensationem Papæ liberari valeant per textum generalem in *c. 1. de Sentent. & re jud. in 6.* Ita Bellet *Disquisit. Cleric. p. 1. tit. de disciplin. Cleric. §. 5. n. 45.* ubi refert sic decisum esse à S. Congregatione Concilii. Panorm. in *c. vestra. 7. h. t. n. 7.* Garz *de Benefic. p. 7. c. 14. n. 11.* Clarus in *§. fornicatio n. 6.* & alii quibus opitulatur textus in *c. nullus §. c. præter 6. dist. 32. c. si qui sunt 15. dist. 81.* ubi concubinitus sub censura interdicti personalis, vel potius suspensionis ab Ordinibus prohibetur; præcipue verò textus in *c. fin. h. t.* ubi disertè cautum, Clericum, si in fornicationem prolapsus sit, suspensum non esse, nisi peccatum hujusmodi notorium sit per sententiam, seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ ter giversatione aliqua celari non possit.

Verùm num firmo hæc sententia stetulo, valde dubito, *primò*: quia quàm primùm Clerici concubinarum aut fornicarii poenitent, cessat ista suspensio, ut colligitur ex questione in *d. c. fin. h. t.* Pontifici proposita: *quæsitum est, ait, de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, priusquam poeniterint, audiendum?* quod non convenit censuræ suspensionis, quæ indiget absolutione. *Secundo* quia Concilium Tridentinum in *d. sess. 25. c. 14. de Reform.* inter pœnas, quas in ejusmodi Clericos decernit, nullam mentionem facit de suspensione ipsò factò incurrenda, sed jubet, ut suspendantur, & juxta SS. Canones puniantur; quæ verba cum sint comminatoria, & actionem Judicis significant, Clerici in suspensionem sine sententia non incidunt. *Tertiò* hanc opinionem comprobatur consuetudo Ecclesiæ, eique subscribunt P. Engel *h. t. n. 8.* Gibalin. & Suarez, quos citat, & sequitur Gonzal. in *c. fin. eod.*

Ed. Covar. in *Clem. si furiosus* p. 1. §. 1. n. 5.
de *Homicid.* Gutierrez *Canon.* 99. c. 1. n. 43.

Textus, qui in contrarium allegati sunt, parum juvant: quoniam in iis Clerici concubinarii, aut fornicarii, sicut quoad se, quando peccatum occultum est, ita, quando hoc est notorium, quoad alios suspensi dicuntur, non proprie dicta suspensio est, sed improprie, quo modo accepta denotat simplicem prohibitionem vitandi scandalum, quod secum trahit publicum peccatum, quemadmodum Abbatissa. Clericos suspendere dicitur in c. 12. de *Majoritate & obed.* P. Engel & Gonzal. *ubi supra.* Taceo, quod prædicti SS. Canones in hac parte per consuetudinem, & dispositionem Tridentini abrogati sint, ut cum aliis testatur Casar de Panimoll. *decis.* 149. n. 5.

II *Alterum* est: utrum supra enumeratis pœnis Concilii Tridentini solum Clerici proprie concubinarii, an verò alii quoque simpliciter incontinentes subjaceant?

Pœnis illis Conciliaribus solos concubinarios proprie dictos subjacere expressè declaravit S. Congregatio Cardinalium ad Trident. *sess.* 24. c. 14. sine dubio ideò: quia ipsum Concilium pœnas illas in Clericos concubinarios sub qualitate concubinatus constituit, neque ad alios incontinentes extensio facienda est, utpote in materia pœnali & odiosa. arg. c. *odia.* 15. de *R. J.* in 6. Præterea in hac sententia sunt. Garz. de *Benefic.* p. 11. c. 10. n. 186. Aloyf. Ric. in *Prax. fori Eccles.* dec. 361. in *fin. & resol.* 307. n. 5. quos refert, & sequitur Casar de Panimoll. *dec.* 59. n. 27.

Econtra quòd prædictæ pœnæ absolutè respectu omnium Clericorum incontinentium obtineant, ex Navar. docet P. Engel *h. r. n.* 4. & ex textu Concilii Tridentini magis relucet, cum verba ejus sint disjunctiva de Clericis, qui concubinas, seu fornicarias instar uxorum continuo detinent sive in domo sive extra,

& cum iis, concubinis videlicet, aut cum aliis mulieribus, de quibus haberi possit suspicio, *ullam consuetudinem*, adeòque etiam simplicem incontinentiam sine qualitate concubinatus habent. Idipsum confirmat praxis nostræ Germaniæ, in cujus Curiiis Episcopalis eodem modo contra Clericos fornicarios, ac concubinarios procedi solet.

Nec quempiam turbet declaratio Cardinalium à quibusdam in contrarium allata: quoniam hæc declaratio ex eo suspecta est, quòd generale Decretum Tridentini restringat, & ut fidem mereatur, in authentica forma cum sigillo solito, & subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejusdem Congregationis exhibeatur, oportet, ut *supra de Constitution. n.* 7. *ad fin.* probavimus. Neque hic locus est *cit. Reg. odia.* ex quo enim Conciliaris dispositio Clericos fornicarios ac simpliciter incontinentes comprehendit, nulla per interpretationem ad eos fit extensio.

Porro an pœna privationis fructuum à Concilio decreta debeatur ante omnem sententiam? disputat P. Engl *h. r. n.* 5. & resolutio desumi potest ex principiis traditis in *d. cit. de Constit. n.* 24.



TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

SUMMARIA.

1. *Quid sit cœlibatus?* 2. 3. *Quo jure injunctus sit Clericis?* 4. usque 8. *Clerici majorum Ordinum nullo modo possunt contrahere matrimonium.* 8. usque 13. *Quid juris, si matrimonium contrahant Clerici in minoribus constituti?* 14. *Qua sit forma?* 15. *Quis finis? Quis effectus cœlibatus.*

Cœlitas adeò in Clericis commendatur, ut etiam à conjugio, alioquin sancto, abstinere jubeantur. De *cœlibatu* igitur præsens ager Titulus.

§. I.

Cœlibatus hic accipitur pro vita, quæ agitur

zur sine conjuge, & vernaculâ vocitatur ein lediger / oder eheloser Stand.

§. II.

2 *Causa efficiens* cœlibatûs est jus, quod Clericis continentia necessitatem imponit. Ejus functiones videre est apud Gratianum in c. *Diaconus* 1. o. *Presbyteris* 8. *dist.* 27. *dist.* 28. *pene totâ dist.* 32. *totâ*: in Decretalibus c. *à multis* 9. *de Et. & qualis. & ord. practic. c.* 1. 3. 4. 5. *h. t. c.* 1. & 2. *Qui Clerici, vel voventes matr. contrab. possunt.* in Trident. *Sess.* 24. *de Matrim. can.* 9.

3 Inter partes dissidentes hæret: quo jure, & an etiam jure Divino Clericis Cœlibatûs injunctus sit?

Prima sententia cœlibatûm Clericorum juri Divino adscribit, eò quòd lex continentia in Divinorum Ministris, præsertim Sacerdotibus à tempore Apostolorum fuerit observata. Unde S. Hieronymus *Epist.* 50. *ad Pamachium*: *Christus virgo*, ait, *virgo Maria*, utriusque sexûs virginitatem dedicavere. *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentis: Episcopi, Presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* neque extat exemplum, aut constitutio, quâ Clericis permissum fuerit post Clericatum uxorem ducere, etsi quandoque in Ecclesia Græca fuerit toleratum, ut uxoribus ante Clericatum ductis uterentur. c. *cum olim* 6. *h. t.* Ita Major. in 4. *dist.* 24. *q.* 2. *Petr. Barb. in rubr. ff. soluto matr.* & alii apud Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 27. *n.* 4.

Alterâ, & verior sententia est, cœlibatûm SS. Ordinibus solo jure Ecclesiastico annexum esse: quia nullus est locus Scripturæ, vel Concilii, ex quo colligi possit, Clericis matrimonium jure Divino esse prohibitum. Deinde quia licet matrimonium muniis & officiis Ecclesiasticis impedimento sit, iis tamen non repugnat, aut certè alioquin in Ecclesia Orientali Clericis ante sacram ordinationem conju-

gatis usus matrimonii concedi non posset. Ad hæc in c. *Presbyteris* 8. *dist.* 27. & in Trident. *Sess.* 24. *can.* 9. *de Matrim.* vis dirimendi matrimonium, quam Ordo sacer habet, refunditur in *legem Ecclesiasticam*, & *Sacrorum Canonum diffinitiones*. Ita P. Engel *h. t. num.* 13. Sanchez *cit. disp.* 27. *n.* 5. & Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *c.* 13.

Neque ex observantia à temporibus Apostolorum ad nostra tempora propagata inferri potest, obligationem cœlibatûs Ordinibus annexam, ex jure Divino dimanare, sed hoc solum, quòd ex Apostolorum instituto, & traditione originem, ac primordia sua ducat.

§. III.

Subjectum cœlibatûs sunt Clerici, qui legi continentia subjacent, & matrimonium contrahere prohibentur. Ubi Clerici positi in Ordinibus Majoribus secernendi sunt ab iis, qui constituti sunt Minoribus.

Clerici Ordinibus majoribus initiati, nempe Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi nec matrimonium validè imposterum celebrare, nec etiam in Latina, seu Occidentali Ecclesia matrimonio antecederet validè contracto licite uti possunt. c. *un. de vot.* in 6. & *jura n.* 2. *cit.* Nec obstat *Canon. Apost.* 5. prohibens, ne *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu religionis abjiciat*: hoc namque intelligendum est quoad sustentationem, seu præstationem & provisionem alimentorum, supposito, quòd ante Clericatum eam duxerit, non verò quoad cohabitationem, & usum matrimonii.

Addidi in Ecclesia Latina Clericis uxoris conjugii usum denegari; nam in Græca, seu Orientali Ecclesia, quamvis post susceptos sacros Ordines uxores ducere non licuerit per c. *Nicana* 12. *dist.* 31. *c. si quis eorum* 7. *dist.* 32. *c. à multis* 9. *de Et. qualis. & ord. practic.* tandem tamen concessum fuit, ut Clerici saltem antea ductis uterentur, eò quòd Ecclesia Ori-

Orientalis votum continentiae non admisit.
c. fin. dist. 3. l. c. cum olim. 6. h. t. c. quæsitum 7.
de Pœnit. & remiss. Sanchez de Matrim. lib. 7.
dist. 28. à num. 3. Azor. Instit. moral. lib. 13.
c. 12. q. 3. & 5. & ego infra ad tit. Qui Cle-
rici vel uxo. n. 8. & 9.

6 Porro si qui Clericorum in Subdiaconatu
 & aliis superioribus ordinibus uxores accepisse
 noscantur, ad dimittendas uxores, & pœni-
 tentiam de scelere commisso agendam per sus-
 pensionis, & excommunicationis sententiam
 compellendi sunt *c. 1. h. t.* imò ipso jure sunt
 excommunicati. *Clem. un. de Consanguin. &*
affini. Præterea fiunt irregulares, ita ut neque
 in susceptis ordinibus ministrare, neque ad al-
 tiores promoveri queant. *c. 2. qui Clerici vel*
uox. reddunt suspecti de hæresi, ita ut con-
 tra eos procedi possit per Inquisitores S. Offi-
 cii. *Andr. Vallens. h. t. n. 6. Diaz. in Pract. crim.*
can. c. 80. n. 3. Cæsar de Panimoll. dec. 65.
n. 6. si virginem sub figura. ac prætextu ma-
trimonii violaverint, mulctantur etiam pœnâ
stupri. Farinac. in tit. de Delict. carn. q. 138.
n. 99. Vallens. cit. n. 6. denique beneficiis,
*si quæ habent, privantur *c. decernimus. 2. c.**
de iis. 5. c. Presbyter. 9. dist. 28.

Dissentunt verò DD. utrùm ipso jure, an
 per sententiam Judicis hæc privatio inducatur?

7 Prius placuit Panormitano ad *c. 1. h. t. n. 27.*
Farinac. in tit. de Delict. carn. q. 138. n. 98.
Covar. de Sponsal. p. 2. c. 6. §. 3. & Cæsari de
Panimoll. cis. dec. 65. n. 4. ideo: quia Benefi-
ciatus curatus intrudens se in alterum benefi-
cium æquè curatum, primò ipso jure priva-
*tur, quamvis affectu secundi sit irrita. *c. cum**
qui 18. de Prabend. in 6. ubi ratio redditur;
 quòd non deceat, ut invalor melioris condi-
 tionis sit, quàm is, qui justè alterum benefi-
 cium accepit. Ergo similiter Clericus temerè
 & invalidè contrahens matrimonium ipso jure
 privatur beneficiò, quòd antea possedit, ne
 melioris sit conditionis, quàm Clericus ille,

qui licitè & validè matrimonium contrahit;
 & beneficium ipso jure amittit.

Sed contrarium, & posterius omninò ten-
 endum est propter textum *c. si qui 1. h. t.* qui
 jubet, constitutos in minoribus compelli ad
 beneficia relinquenda, constitutos verò in
 Majoribus ad uxores dimittendas, & agen-
 dam pœnitentiam per *sententiam suspensionis*
& excommunicationis; luculentò argumentò,
 quòd ergo ipso jure privati non sint beneficio,
 à quo per sententiam suspendendi, postquam
 matrimonium contrahere attentarunt. *Gloss.*
fin. in cit. c. 1. h. t. Sanchez lib. 7. de matrim.
dist. 43. n. 4. Garz. tr. de Benefic. p. 11. c. 8.
n. 17. & cum his Pirrhing h. t. n. 18.

Argumentum oppositum parùm stringit:
 etenim licèt in adducto casu videre liceat pari-
 tatem rationis, attamen casuum est diversitas,
 & leges pœnales etiam ob paritatem rati-
 onis extendendæ non sunt, nisi necessitas
 cogat, & alioquin iniquitas, contradictio
 jurium, vel aliud absurdum sequeretur.

Clerici in Minoribus constituti valide qui-
 dem & licitè matrimonium contrahere pos-
 sunt, eò ipsò tamen quòd de præsentì contra-
 hant, statui Clericali renuntiâsse censentur, &
 pene in omnibus pro Laicis habentur per *c. ex*
parte 9. h. t. c. un. h. t. in 6. Hinc

I. Clerici conjugati ad beneficia Ecclesia-
 stica obtinenda sunt inhabiles, & obtentis pri-
 vantur, eò quòd in eorum conversatione ma-
 le concordet cythara cum Psalterio, neque de-
 beat stipendium ab Ecclesia accipere, qui
 propter uxorem non potest ampliùs liberè
 Ecclesiæ deservire. *c. si qui 1. c. sanè 2. c. quod*
à te. 3. c. diversis. 5. c. cum decorem 8. h. t.
 Quamobrem etiam amittunt gratias exspe-
 ctativas, accessus, regressus & alia quæcunque
 jura ad beneficia Ecclesiastica. *Gloss. in c. un.*
V. clericalis. h. t. in 6. cum jus ad rem facilius
amittatur, quàm jus in re arg. c. quemadmo-
dum 25. de Furejur. uti etiam pensiones Eccle-
 sia-

fiasticas, utpote quæ locò beneficii succedunt. Rotap. 8. dec. 33. n. 2. Puteus lib. 2. dec. 449. Barb. ad d. c. si qui. I. h. t. n. 4. & 6. Neque ea recuperantur, etiamsi uxor ante consummatum matrimonium moriatur, aut religionem profiteatur; cum jus semel extinctum non reviviscat cessante causâ, quâ extinctum est arg. c. quàm periculosum. 8. causâ 7. q. 1. Clem. gratia 4. de Rescript. Pirrhing. h. t. n. 13. Aliud dicendum de Sponsalibus de futuro, ut quæ non tam ponunt matrimonium, quàm spem ejus.

9 *Controvertitur I.* Utrum cum Clericis conjugatis ad obtinenda, vel retinenda beneficia Episcopis dispensare possit?

Affirmativam colorare videntur primò c. Joannes 7. h. t. in quo supponitur, Clericum uxoratum aliquando posse habere beneficium Ecclesiasticum. Secundo c. Salonitane 24. dist. 63. ubi conceditur Episcopo dispensatio cum deposito ab ordine & officio: nec non c. ad audientiam. 12. de Homicid. juxta quod Episcopus potest dispensare cum homicida, & irregulari ad beneficium simplex obtinendum. Quorum textuum vis, ut magis pateat, inde ita arguitur: *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* c. 53. de R. J. in 6. Ergo si Episcopus cum deposito, homicida, & irregulari in ordine ad beneficium, quod utique plus est, dispensare potest, æquè ipsi cum Clerico conjugato, quod minus est, dispensandi potestas competere debet.

Verum hæc sententia ab omnibus exploditur, & meritò: quia inferior, qualis est Episcopus, contra SS. Canonum decreta dispensare non potest, nisi id ei expressè, vel saltem tacite concessum reperiat per c. inferior. 16. de Majorit. & Obed. & ibi P. Engl. n. 48. & 49. tantum autem abest, ut in hoc passu ullibi SS. Canones Episcopis dispensandi facultatem concesserint, ut perspicuè potiùs denegârint, in c. si qui. I. c. sanè 2. c. diversis, s. h. t. Pirrhing ibid. n. 20.

Argumenta contraria quod attinet, ad primum Wagnereck & Gonzalez cum Gloss. ad c. Joannes. respondent, in eo Clericum uxoratum ex Pontificis, non verò Episcopi dispensatione beneficio Ecclesiastico gaudere posse, Alterum infirmâ laborat consequentiâ: ex quo in materia dispensationis, tanquam in materia exorbitante, supradicta regula cui licet non procedit, nec licet inferre à casibus permittis ad non permittis, tametsi casus permittis sint majores non permittis, est enim decantatissima regula: *quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trabenda.* c. 28. de R. J. in 6.

Controvertitur II. Utrum Clerici minores matrimonium contrahendo beneficium obtenta amittant ipso jure, an verò primum per Judicis sententiam.

Gloss. in c. conjugatus. 5. V. ad sacros. de Convers. conjug. Rodriq. in Sum. tom. 1. c. 123. num. 1. & Alex. Carerius. lib. 3. de Sponsal. c. 3. concludunt, opus esse sententia Judicis, propterea: quia in c. quod à re 3. & c. diversis. 5. h. t. Clerici conjugati beneficiis spoliari, & privati jubentur verbis officium, & actionem, sive sententiam Judicis condemnatoriam significantibus. Unde ante ejusmodi sententiam beneficii permutatio, aut resignatio à Clerico conjugato facta valet: fructus ante eam percepti non sunt restituendi: neque ante hanc beneficium, cum nondum vacet, ab alio impetrari potest per ea, quæ tradidit Flamin. Paril. de Resignat. benefic. lib. 3. q. 16.

At contraria sententia, quòd Clerici Minores, si uxores acceperint, ipso jure excidant beneficiis Ecclesiasticis, satis clarè decisa est in c. si qui. I. h. t. quo Episcopis mandat S. Pontifex, ut Clericos uxoratos compellant ad relinquenda beneficia Ecclesiastica; quibus verbis, ut Gloss. notat. subinnuit, eos beneficiis jam privatos esse. Ratio duplex est. Prima: quia status conjugalis de jure est in compatibili-

his cum beneficio Ecclesiastico, consequenter Clericus, qui illum amplexatur, huic tacite sine iplo facto renuntiare censetur. *Alter*: quia beneficii concessio ex Ecclesie consuetudine continet tacitam conditionem: *si Clericus manserit in coelibatu*; ac proinde ea conditione non subsistente, beneficium statim valet, necessum est. Quapropter Clericus beneficium ita privatus id resignare, aut permutare nequit, fructus percipiendo graviter peccat, & perceptos à die initi matrimonii restituere tenetur: item beneficium tanquam vacans ab alio impetrari, eique saltem quoad titulum valide conferri potest. P. Engl. *h. t. n. 1. & 3.* Zoël. *n. 25.* Pirrhag *n. 11.* Gatz. *de Benefic. p. 11. c. 8. num. 1. & seq.* Cæsar de Panimoll. *d. dec. 65. n. 19.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 42. à n. 10.*

Neque hujus sententiæ veritas enervatur reatibus oppositis: quoniam accipiendi sunt de spoliatione, ac privatione non ipsius juris, seu tituli, sed de spoliatione, ac privatione facti seu possessionis beneficiorum, quæ, cum per contractum matrimonium ipso jure amissa sint, solum defacto, & injuste retinentur. arg. *c. cum nostris 6. c. literas 9. de Concess. prob. P. Engl. cit. n. 2. in fin.*

Controversia III. An Clerici Minores quoque beneficia amittant, si ob aliquod impedimentum dirimens invalidum contrahant matrimonium?

Prima & communior sententia affirmat cum P. Engl. *h. t. n. 3.* Wagnereck *ad c. 1. not. 4. Barb. ibid. n. 4. 5. & 9.* modò non sit nulliter contractum ex defectu consensûs, ut si contrahens fuerit amens, impubes, aut metu coactus ad contrahendum. Idem Barb. *n. 10.* Ratio capitalis est: quia ex intentione Clericorum nubentium status incompatibilis assumptus est, adeoque juris interpretatione beneficium ipsò factò renuntiam intelligitur arg. *nuper 4. de Bigam. non ordin.* ubi propter

effectum seu intentionem cum opere subsecuto quis inter bigamos reputatur, etsi revera bigamus non sit, & certè in jure frequens est, ut non ad validitatem, & veritatem rei, sed potius ad effectum operis subsecuti attendatur.

Alter, & verior sententia negat cum Less. *de F. & F. lib. 2. c. 34. n. 113.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 43. n. 3.* Layman *in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 14. n. 7.* aliisque. *Primò* quia in sæpe cit. *c. si qui. 1. h. t.* difertè caveatur, ut Clerici conjugati ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas uxores compellantur; quæ ordinatio profectò solum Clericos ligatos matrimonio validò concernit, adeoque ad Clericos matrimonio invalidò irretitos tanquam odiosa porrigi non debet. *Secundò* quia non prestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *c. 52. de R. F. in 6.* cum ergo ex supposito ejusmodi matrimonium nullum sit, non inducit juris effectum. *Tertio* quia tales Clerici, quanquam statum cum beneficiis incompatibilem assumere attentaverint, hunc tamen revera, cum matrimonium invalidum sit, non assumpserunt, & propterea etiam beneficiis efficaci & absolutâ voluntate non renuntiârunt, hoc ipsò, quòd eorum attentatio effectum sortita non sit.

Et ex his ruit negantium fundamentum, nam talis intentio, ac conatus est inefficax, & voluntas inefficax non reputatur pro facto, quando versamur in odiosis, vel impedimentis incurrendis, nisi id jure expressum habeatur.

II. Clerici conjugati exuuntur omnibus penè privilegiis Ordinis clericalis. *c. Joannes 7. h. t.* atque ea de causa ad tributa, collectas vectigalia, gabellas, aliasque exactiones seculari Magistratui solvendas obligantur. *c. ex parte 9. & ibi Panorm. h. t. c. in. 4. in casuris Eod. in 6.* Covar. *var. resol. c. 3. in. 6. & 7.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 16. n. 16.*

C

Gau

Gaudent tamen privilegiò canonis, & fori, si modò cum una, eaque virgine contraxerint, ac habitum, tonsuramque clericalem deferant *d. c. un. & quod Trident. sess. 22. de Reform. c. 6.* addit, alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ deserviant, vel ministrent.

13 Vehementer inter DD. *disceptatur*: num Clerici, qui prædicta requisita habent, solùm in criminalibus, an verò etiam in civilibus causis privilegiò fori gaudeant?

Qui privilegium hoc restringunt ad causas criminales, moventur textu *d. c. un.* in quo postquam Pontifex Bonifacius VIII. constituit, hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus & delictis trahi non posse criminaliter, ad vindictam scilicet publicam, aut civiliter, ad privatum scilicet alterius interesse, ad iudicium seculare, in fine conclusit: *in cæteris autem, si vestem & tonsuram deferant, eos gaudere volumus privilegiò clericali.* Et licet Trident. in *d. sess. 23. c. 6.* Clericos conjugatos Clericis non conjugatis voluerit esse pares in illis requisitis, noluit tamen esse pares in privilegiis, dum respectu illorum innovat antedictam constitutionem Bonifacii VIII. Ratio, ob quam Pontifex solas causas criminales excepit, fuit, ut consuleret honori, & reverentiæ Ordinis clericalis. Panorm. in *cit. c. Joannes 7. num. 3.* Joan. Andr. in *d. c. un. num. 2.* Bordon. de Privil. Cleric. *c. 7. num. 6. & seqq.* Alter. de Censur. rom. I. lib. 5. disp. 16. c. 1.

Qui privilegium fori ad causas quoque merè civiles extendunt, similiter se fundant in textu *c. un. h. t. in 6.* eò quòd in isto S. Pontifex declaret, ad hos Clericos conjugatos extendi privilegium Concilii Parisiensis, quod habetur in *c. nullus. 2. de Foro compet.* & est universale tam quoad causas civiles, quàm criminales. Nec contrarium suadent verba textus.

pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, & alia: in cæteris autem eos gaudere volumus privilegiò clericali: quippe priora stant demonstrativè, ex quo causa criminalis est majoris præjudicii, quàm civilis: posteriora verò restrictivè, quoad alias exemptiones, & privilegia clericalia. Rice. p. 3. dec. 720. n. 5. Gavant. in Enchir. seu Manual. Episcop. in V. Clericus num. 84. Bonacin. in Bulla Censur. punct. 3. num. 3. Diana Resol. moral. p. 2. tr. 2. de Immanit. Eccles. resol. 50. Alex. Spetell. dec. 2. num. 125. Carol. de Grass. de Effect. clericat. eff. 1. num. 81.

Nos hic liberrimum cuique relinquimus statuendi arbitrium, quid ex utraque parte libuerit: nam quamcunque quis elegerit opinionem, non errabit. Sanè in nostris partibus juri hæc ob multitudinem Clericorum vix usus est.

§. IV.

Forma coelibatùs stat in continentia à conjugio, seu in vitæ statu conjugis experte.

§. V.

Finis, ob quem Ecclesia Clericos coelibes voluit, est, ne alligati uxori, & oneribus conjugii implicati à muniis, & officiis Ecclesiasticis impediuntur.

§. VI.

Effectus coelibatùs sunt, I. ut possideamus corpus nostrum in sanctificatione, & honore: I. ad Thessal. 4. 4. II. Facultatem præbet sine impedimento Dominum observandi, & meditandi cœlestia, dum econtra conjugium, ejusque usus mentem hominis ad inferiora deprimit; quemadmodum docet Apostol. I. Cor. 7. 32. & 33. qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO: qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divi-

sus est.

TITULUS IV.

De Clericis non residenti-
bus in Ecclesia, vel præbenda.

SUMMARI A.

1. *Definitur residentia.* 2. *Ea alia est vera, alia*
ficta. 3. 4. *Quo jure introducta sit residentis*
obligatio?

5. *Quatenus ad personalem residentiam teneantur*
Episcopi? 6. *Abbatibus?* 7. *usque 14. Parochi, &*
alii Curati? 14. *usque 19. Canonici?* 19. *Benefi-*
ciati simplices?

20. *Residentia exigit presentiam in loco beneficii.*
21. usque 27. sunt tamen causa, ex quibus absens fini-
gitur presentis. 27. 28. *item exigit, ut beneficiatus*
personaliter fungatur officio. 29. *& ut Canonicus*
Divinis intersit. 30. *usque 35. qui tamen ex certis*
causis quoad lucrandas distributiones interesse cen-
sentur.

36. *Quis sit finis residentia?* 36. 37. *Qui fructus re-*
sidentium? 38. *& seqq. Quae poena non residentium?*

AD vitæ honestatem, quæ in Clericis de-
sideratur, pertinet quoque Residentia in
Ecclesia, vel Præbenda, ob quam fructus be-
neficiorum, & distributiones quotidianas
percipiunt.

§. I.

1. *Definitur hæc residentia, quod sit præsen-*
tia, seu assidua commoratio in loco benefi-
cii, causâ servitii Ecclesiastici personaliter præ-
standi.

§. II.

2. *Dividitur in residentiam veram, & fictam.*
Vera est, quando Beneficiarius verè, & realiter
præsens est in loco beneficii, & per se ipsum,
seu personaliter officium, propter quod datur
beneficium, exercet. Ficta dicitur, quando
absens à loco beneficii fictione juris habetur
pro præsentem in ordine ad lucrandos fructus
annuos, aut etiam pro interessente in ordine ad
lucrandas distributiones quotidianas. Barb. in
Collect. an. ad rubr. l. s. n. 9. Pirrhing. n. 2.

§. III.

3. *Causa efficiens hujus residentia est jus, ex*
quo profluit residentis obligatio. Sed quod

illud? Beneficiarios simplices solo jure Eccle-
siastico ad residentiam teneri, in confesso est.
An verò Episcopi, & alii curam animarum
habentes ad eam jure quoque Divino obli-
gentur? in *disquisitionem* venit.

Negant Albinianus, & Catherinus *ter. d.*
Resid. maximè ideo: quia Ecclesia circa eo-
rum residentiam multa determinat: & obli-
gatio residentis per consuetudinem tolli potest.

Verùm Episcopos, & Beneficiarios, qui-
bus animarum cura incumbit, ad residentiam
ipso Jure Divino obligari, perspicuè desinit
Concilium Trident. *Sess. 23. c. 1. de Reform.*
Cum præcepto Divino mandatum sit,
omnibus, quibus animarum cura commissa est,
ovés suas agnoscere, pro his sacrificium offer-
re, verbique Divini prædicatione, Sacramen-
torum administratione, ac bonorum omnium
exemplo pascere, pauperum, aliarumque mis-
erabilium personarum curam paternam gerere,
& in cætera munia pastoralia incumbere:
qua omnia nequaquam ab iis præstari, & im-
pleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque
assistunt, sed mercenariorum more deserunt.
Ex quo ita concludo: Episcopi, & Parochi ea,
quæ ipsis Divinò præcepto imposita, & per
Tridentinam Sanctionem recensita sunt, non
possunt absentes præstare, ergo eòdem Divi-
nò præcepto residere tenentur. Imò ipsa S.
Synodus eos admonet, *ut Divinorum præ-*
ceptorum memores, factique forma gregis in ju-
dicio & veritate pascant, & regant. Ita Lo-
ther. *lib. 3. de re benefic. q. 27. n. 37. Less. lib. 2.*
de J. & J. c. 34. dub. 29. n. 153. & cum innu-
meris Jacob. Pignat. tom. 4. consult. 7. n. 18.

Argumenta Adversariorum nihil evincunt:
nam, quod *primum* attinet, licet in individo
quoad hoc, vel illud tempus sub certis cir-
cumstantiis multa Ecclesia circa residentiam
determinet, hoc tamen nihil impedit, quò mi-
nus in genere, & prout abstrahitur à casibus
particularibus, juris Divini sit, & secundum
illam

illam rationem genericam immutabilis, prout in simili de immunitate Ecclesiastica respondet Ægyd Rambek in *Panopl. libr. Eccles. disp. I. c. 2. n. 41. & seqq.* Quoad secundum negamus, hanc residentiam Episcoporum, & Curatorum etiam in futurum ullâ consuetudine abrogari posse, utpote quæ semper irrationalis, contra Jus Divinum, & magis corruptela, quàm consuetudo sit futura. Trident. *cit. Sess. 23. c. 1.* Zoëf. *h. t. n. 4.* Reliquas rationes Catherini confutat Valquez in *Opusculo moral. tr. de Benefic. c. 4. §. 2. dub. 1.*

§. IV.

Subjectum residentiae sunt Beneficarii, qui ad eam obligantur. Obligantur autem

I. Omnes Patriarchalibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque quacunque ratione, ac titulô præfati, etiam si Ecclesiae Romanae Cardinales, vel quacunque aliâ dignitate præclari sint. *c. ex gestis 2. h. t. Trid. Sess. 6. de Reform. c. 1. & cit. Sess. 23. c. 1.* Quo postremo loco idem Concilium declarat, quòd Episcopi ex gravi causa, æquâ tamen, & sine detrimento gregis, per duos, aut ad summum tres menses (computatis omnibus totius anni partialibus absentis) à sua Ecclesia abesse queant, modò in festis solennioribus præsentibus sint, scilicet Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi. Per longius tempus si abesse velint, duo simul requiruntur: *justa causa*, qualis est *Christiana charitas*, *urgens necessitas*, *debita obedientia*, *ovidens Ecclesie, vel Reipublice utilitas*, & *licentia*, seu *approbatio*, quæ petenda est, vel à S. Pontifice, vel à Metropolitano, vel hoc absente, ab antiquiori suffraganeo, atque in scriptis obtinenda. Trident. *cit. Sess. 23. c. 1.* Quâ tamen licentiâ opus non est, si periculum in mora appareat, ut declararunt Cardinales *ibid. n. 10. §. non est liber.* aut si causa absentiae sit notoria, ut si Episcopus, qui simul est Princeps Im-

perii, ad Comitata vocatus compareat, modò absentia tunc Ecclesiae non sit damnosa. P. Engel *h. t. n. 2.*

II. Ad residentiam in suis Ecclesiis tenentur Abbates, alique Prælati Episcopo inferioribus, ita ut sine licentia Superioris, cui subsumt, ad longius tempus discedere nequeant: siquidem & ipsi nomine Pastorum, seu Curatorum Episcopis inferiorum, de quibus Trid. in *d. sess. 23. c. 1.* loquitur, comprehenduntur. Tambur. *de Fur. Abb. rom. 1. disp. 14. q. 1. n. 4. & q. 2. n. 2.* Pœnæ tamen circa amissionem fructuum, de quibus *infra §. 7.* dicemus, in Abbatibus non residentibus obtinere non possunt, ex quo propter votum religiosæ paupertatis redditus proprios non habent. Utrum autem tales inferiores Prælati per tres menses abesse possint, sicut Episcopi? ex consuetudine præcipuè locorum æstimandum esse, censet P. Engel *n. 6. h. t.* Et sanè passim videas, eos ad breve tempus sine licentia Superioris abesse, præsertim ex causa, quæ Prælatum conjuncta & notoria est; ut si Prælatum sit Status, vel Deputatus Provinciae.

III. Personaliter residere debent Parochi, & omnes illi, qui beneficium aliquod, cui cura animarum annexa est, obtinent. *c. quia nonnulli. 3. §. cum igitur h. t.* Trident. *sess. 23. de Reform. c. 1. §. eadem omnino.* ubi sancivit, ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandam, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Verùm circa hoc decretum.

Dubitatur I. Num Parochi, aut alii Curati, qui tempore modico, id est, minus, quàm duobus mensibus abesse voluat, ab Episcopo licentiam petere, & habere teneantur? Navar. in *Man. 6. 25. n. 121.* & complures apud Gatz.

Garz. de Benefic. p. 3. c. 2. n. 19. autumant, Parochos, aliòsve Curatos ad bimestrem tantum absentiam haud opus habere aliquâ Superioris approbatione, eisque sufficere conscientiam iustæ causæ: tum quia in eod. c. 1. Tridentinum ad trimestrem absentiam ab Episcopis nihil aliud exigit, quàm iustam ejus causam, & postea subdit, eadem, quæ de Episcopis dicta sunt, etiam de Parochis, aliisque inferioribus Curatis accipienda esse: tum quia ante Tridentinam sanctionem ad bimestrem in anno absentiam Parochis ejusmodi licentia non erat necessaria. c. presertim. 3. causâ 7. q. 1. ergo neque post Tridentinam sanctionem, nihil tale ipsis præscribentem.

8. Econtra Garz. cit. c. 2. n. 23. Barb. in Collet. h. e. c. 4. n. 5. P. Engel n. 10. Less. de F. & F. lib. 2. c. 34. n. 159. docent, etiam ad absentiam duorum mensium Parochos, aut Curatos licentiâ Ordinarii indigere, idque colligunt ex Tridentino loc. cit. ubi præterquam quòd velit, causam prius cognosci, & probari per Episcopum, *quandocunque eos abesse contigerit, statuit, ut discedendi licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant*, facili argumento, quòd Concilium decernat, etiam licentiam discedendi ad duos menses à Parochis, vel Curatis impetrandam esse, quamvis sine scripto ea concedi possit, nec ad eam dandam gravis causa requiratur, sed sufficiat quævis causa iusta, veluti recreationis, aut visitandi propinquos.

Quæ in contrarium allata sunt, tam nodosa non videntur, ut non facile expediantur. Et quidem Tridentinum in cit. c. 1. non facit omnimodam paritatem inter Episcopos & Parochos, aliòsve inferiores Curatos, quoad tempus residentie, sed tantum quoad culpam, & poenam, si non resideant tempore à jure præcepto, ut legenti appaebit. Quòd vero dicatur, ante Tridentinam constitutio-

nem ad bimestrem absentiam iisdem Ordinarii licentiâ opus non fuisse, eâ, quâ asseritur, facilitate negari potest per c. si quis in Clero. 29. causâ 7. q. 1. c. relatum 4. h. t. nec probatur per allegatam c. presertim. ut quòd Parochis non permittit bimestrem absentiam sine Ordinarii licentia, sed solum enunciât, quòd ob ejusmodi absentiam ex causa infirmitatis beneficiò privari non debeant.

Planè consuetudine in pluribus Diocessibus invaluit, ut Parochi (multò magis Prælati) ad modicum tempus discedentes licentiam Episcopi non requirant, sed vel suis Capellanis, vel vicino Parocho curam & jurisdictionem interea committant. Quæ consuetudo multorum absentiam excusare potest, modò interim Ecclesia, cujus cura iis incumbit, notabile damnum non patiatur: quamvis enim residentia Curatorum in genere nullâ consuetudine immutari valeat, cum sit juris Divini; in specie tamen, seu in hypothese, ne v. g. Parochus ex iusta causa etiam minùs duobus mensibus absit, est juris duntaxat Ecclesiastici, contra quòd uti licentia ab Episcopo, aut S. Pontifice concedi, ita consuetudo introduci potest. Confer. Barb. de Officio Paroch. p. 1. c. 8. num. 52.

Dubitatur II. An ad legitimam absentiam Parochorum, aliorumve Curatorum sufficiat tacita, vel præsumpta Ordinarii licentia? Quòd negandum: siquidem ex supra recitato decreto Tridentini requiritur licentia specialis in scripto obtenta. Hinc tametsi quis ex gravissima causa, puta ob insidias, aut bellum, ab Ecclesia discedere debeat, attamen si potest, & tempus patitur, licentiam Episcopi petere debet, & impetrare; alioquin incidet in poenas non residentium. Garz. de Benefic. p. 3. c. 2. n. 34. ubi ita declarasse Congregationem Cardinalium refert. Quia imò si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinenda licentiâ Episcopum adire nequeat, quantum in tali

casu Parochus exemplo etiam ante petitam licentiam à sua Ecclesia discedere possit, nihilominus ne ex postfacto incurrat pœnas non residentium, necessum est, ut quàm primùm potest, de suo discessu, & causa absentiae Episcopum certiore reddat, tum ut is de sufficientia causae cognoscat, tum etiam ut tempus redeundi determinet. P. Engel *h. t. n. 14.* Pirrhing *n. 21* Garc. *cit. n. 34.*

11 *Dubitatur* III. Si quis præter Parochiam insuper Canonicatum, vel aliud beneficium habeat, an, & in quo per se residere, vel per Vicariũ deservire, teneatur? In hoc dubio plures casus involvuntur necessariò distinguendi.

Primus est, quando alicui Canonicatui, vel alteri beneficio annexa est Parochia perpetuò & accessoriè, quemadmodum frequenter Abbatibus, Præposituris, aliisque Dignitatibus Parochiæ incorporari solent. Hoc casu quia major ratio habenda est principalis, quàm accessorii, oportet in majori, & principali Ecclesia, sive Canonicatu personaliter, in Parochia autem per Vicarium deservire. *c. extirpanda 39. §. qui verò de Præbend. & ibi Interpp.* Barb. ad *Trid. sess. 22. de Ref. c. 3. n. 6.*

12 *Secundus* casus est, quando aliquis citra unionem vel incorporationem ex dispensatione Pontificis simul obtinet beneficium simplex v. g. Canonicatum & Parochiam. Et hoc casu propter curam, & salutem animarum constituit Pius V. in *Bulla: Cupientes dardà 25. Junii 1568.* & declarârunt Cardinales *ad c. 1. Trident. Sess. 23. n. 10.* quòd talis Canonicus in Parochia residere, & per se ipsum officium Parochi exercere debeat. Interim tamen quia ex justa causa in Canonicatu non residet, omnibus fructibus, & redditibus Canonicatũs gaudet, solis distributionibus quotidianis exceptis. Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. sub n. 179.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. § 3. n. 127.* Aliud usus ostendit.

13 *Tertius* est, si aliquis ex dispensatione citra

unionem, vel incorporationem habeat duo, vel plura beneficia curata. In hoc casu in Parochia digniori, vel ubi major cura animarum exercenda est, residere oportet, & in altera nihilominus cooperatorem constituere, si redditus patiantur; ad instar Episcoporum, qui, si sint plurium civitatum, seu locorum, semper in nobiliori, ac frequentiori habitare coguntur, *c. Episcopi 3. dist. 80. c. 1. de Privileg. Pa-norm. in d. c. extirpanda §. qui verò num. 5.* Quare quando unum beneficium est extra, alterum intra civitatem, residendum erit in eo, quod est intra; ita ex Garc. *decisum* ait Barb. *d. alleg. § 3. n. 73.* Quòd si verò Parochiæ omnino videantur æquales, propriam commoditatem sequi, & in alterutra prohibitu residere licebit, ut declaravit S. Congreg. Concilii in *Abulensi* teste Jacob Pign. *rem. 7. consul. 4. n. 20.* & ex comuni docet Honor. *h. t. n. 12.*

IV. Ad residentiam obligantur omnes in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis provisi de dignitatibus, Canonicatibus, præbendis ac portionibus, ita ut iis non liceat vigore *cu-juslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Trident. *sess. 24. de Reformat. c. 12.* Circa quod

Quæres I. An causâ, vel licentiâ Episcopi opus sit, ut Canonicus tribus mensibus abesse possit? R. Episcopo quidem incumbere, ut attendat, ne simul & semel vel omnes, vel major Canonicorum pars discedant, & ita Ecclesia debitò servitiò destituatur, aut etiam ne in præcipuas solennitates hujusmodi absentia trium mensium incidat. Trident. *cit. c. 12. de cætero verò, cum ipso jure sine adjecta aliqua conditione permillum sit Canonicis, tribus mensibus abesse, non erit necessarium, causam aliquam allegare, vel licentiam Episcopi obtinere, ut decisum asseverat Zerolla in Prax. Epi.*

Episcop. p. 1. V. *privatio. dub. 4.* Garc. de Benefic. p. 3. c. 2. num. 215. ubi amplius docet, posse Canonicum sine omni causa licite tribus mensibus abesse, & tamen fructus integros totius anni percipere: nam ideo, inquit, permittit Tridentinum istam absentiam trium mensium, ut præbendari possint capere aliquam recreationem a labore, ne nimis dura sit residentia.

15 *Quæst. II.* An circa residentiam consuetudo quid immutare possit? Affirmo cum Zypæo in *Analyti Jur. Pont. h. t. n. 13.* cum enim residentia Canonicorum non sit juris Divini, sicut residentia Curatorum, maximè illud, quòd tantum tribus mensibus abesse liceat, non videtur negandum, quin per contrariam consuetudinem ipsi decreto Tridentini, sicut aliis legibus positi vis derogari possit. Nec obstat illa clausula Concilii: *non liceat vigore cuiuslibet consuetudinis &c.* quia regulariter, ejusmodi clausula solum de præterita, non de futura consuetudine intelligenda sunt: & licet lex, aut canon simpliciter consuetudinem improbet, tanquam irrationabilem, etiàm in futurum, nihilominus ex nova causa verisimiliter à Legislatore non provisâ consuetudo introduci potest. Covar. var. resol. lib. 3. c. 13. n. 4. & ego supra in tit. de Consuet. sub n. 19. Atque ita factum videmus in multis locis Germaniæ, ubi ad lucrandos totius anni fructus interdum sufficit tempus unius, vel alterius mensis, vel dici debet in similibus locis prædictam Tridentini constitutionem receptam non fuisse.

16 *Quæst. III.* Quid si aliquis in duabus Ecclesiis Cathedralibus sit Canonicus ex dispensatione, quanto tempore teneatur residere in una Ecclesia? Expeditum est, sine dispensatione neminem posse habere duos Canonicatus: sunt enim propter personalem residentiam novem mensium beneficia incompatibilia. Imò si simpliciter dispensetur, ut duos Canonicatus habere liceat, nullâ factâ mentione,

quòd simul utriusque fructibus frui possit, nihil de residentia censetur remissum, sed singulis annis ex illo duntaxat canonicatu fructus percipiet, in quo per novem menses residentiam fecerit. Honor. b. t. n. 14. cum pluribus *ibidem* laudatis. Sin verò simul super residentia, & percipiendis utrobique fructibus dispensetur, attendendum erit ad particularia locorum statuta, quæ variant, dum in quibusdam Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis pro residentia quatuor, in aliis quinque, in nonnullis sex Menses assignantur. Atque hujusmodi statuta non sunt effrenatè accipienda, quasi licentiam præbeant, reliquo tempore non residendi, quippe sic repugnant Concilio Tridentino, ac per id abrogata essent, sed suppositâ Apostolicâ dispensatione de non residendo, & lucrandis nihilominus fructibus; enim vero quanquam Pontifex talibus statutis non ligetur, quin possit absolute super residentia dispensare, vel ipse terminum, aut tempus residendi præscribere, nisi tamen specialiter exprimat, non censetur derogare, vel evertere similia statuta, à se, vel ab antecessoribus suis approbata, aut confirmata. c. 1. & *ibi* DD. de Constit. in 6. P. Engl. h. t. n. 29.

Juvat hoc loco nobilem illam controversiam attingere: utrum Episcopus, qui extra suam Diocesim cum dispensatione Sedis Apostolicæ Canonicatum in Ecclesia aliqua obtinet, in eadem residere teneatur, vel an fructus, ac si præsens esset, lucretur, si in sua Ecclesia Cathedrali resideat?

Sanè S. Congregatio Cardinalium ad Trident. sess. 23. c. 1. de Reform. num. 1. ita declaravit: *Episcopus, modo in Episcopatu resideat, solutus est à residentia beneficii simplicis, aut dignitatis, quam sine ulla animarum cura obtinet, extra Diocesim, in aliqua Cathedrali: eamque retinere, ac ejus fructus percipere potest, exceptis portionibus, & distributionibus quotidianis, & aliis, si qua forte sint, que ab-*

absentes iustā aliquā de causā non percipiunt. Quam declarationem secutus est Barb. *ibid.* num. 20. & Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. num. 185.* Accedit, quod alioquin dispensatio de retinendo beneficio, aut canonicatu præter Episcopatum inanis, frustranea, ac omninò otiosa foret.

Non dispendium, multum speciei hæc primâ fronte præferre, sed si pensulatiùs examinaentur, vix merentur assensum: primò quia talis dispensatio Pontificia est strictè interpretanda, & aliud est habere Canonicatum & Episcopatum, aliud utrobique percipere fructus sine residentia. Secundo quia et si expressè cum aliquo dispensetur, ut in tuo beneficio non teneatur residere, is tamen nequaquam fructus beneficii lucrabitur, nisi id ipsum exprimitur, sed talis dispensatio solum operabitur, ne ob non residentiam suo beneficio privetur, ut ex communi docet Rebuff. *in prax. benefic. tit. dispens. de non resid.* Honor. h. t. n. 13. & 14. Felin. *in c. nisi Clerus. §. de Adulteriis. n. 16. de Judic.* quia rationem addit: quòd fructuum perceptio non sit connexum inseparabile; & n. 17. generaliter subjungit, quòd dispensatio non trahatur ad consecutiva separabilia. Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 1. n. 120.* ubi regulam tradit, quòd dispensatio non extendatur ad accessoria, si hæc sint separabilia, aut sine iis dispensatio non reddatur prorsus inanis, sed effectum habere possit; atque pro exemplo adjicit: unde dispensatio ad non residendum minimè extenditur ad fructuum consecutionem. Tertiò propter textum *in c. fin. de Rescript. in 6.* ubi S. Pontifex revocat indulgentias perpetuas aliquibus personis concessas *de percipiendis fructibus beneficiorum suorum, distributionibus duntaxat quotidianis exceptis, siue in scholis essent, siue in Ecclesiis suarum altera residerent aut in Romana Curia moram traherent;* consequenter supponit, opus esse speciali indul-

gentiâ ad hoc, ut is, qui in alterutra suarum Ecclesiarum residet, fructus lucretur, & istum textum procedere, quando quis ex dispensatione duas Ecclesias & beneficia habet, notat Gloss. *in V. altera.* Ad hæc quarto suffragatur universalis, uti aliarum Germaniæ Collegiarum, & Cathedralium, ita & hujus quoque Metropolitane Salisburgensis Ecclesiarum notoria observantia, immemoriali temporis usu stabilita, in quibus & in qua sine ulla Personarum distinctione, respectu, & qualitate, etiam Episcopi, si non resideant, & delerant, fructibus destituuntur: optima autem legum interpret est consuetudo. *c. dilectus de Consuetud. l. si de interpretatione. ff. de Legib. & ipsa pro lege servatur. l. de quibus V. in veterata. ff. Eod.*

Neque opposita sententia sibi præsidium ex allegata Cardinalium declaratione accersere potest: potest enim cum Zypæo *consult. cav. lib. 1. tit. de Elect. consult. 1. §. verum replicatur.* responderi hujusmodi declarationes Cardinalium non exhiberi authenticas: & omnes impressas declarationes jam sæpius Romæ damnatas esse ut adulterinas: vel saltem illi opponi potest exceptio de non usu: utpote quæ exceptio ipsis quoque constitutionibus tam canonicis, quam civilibus objici solet. Gloss. *in c. 1. de Treng. & pac. Aretin. consult. 11. col. penult.* Id, quod additur, dispensationem alioquin fore nullam, omnino negatur; ex quo ejus varia commoda supersunt: primò namque taliter dispensatus, si in una resideat, ad alterius residentiam sub pœna privationis adstringi non potest, ut alii possunt. Deinde ita dispensatus, si ob motus bellicos, aëris inclementiam, persecutionem, aut corporis debilitatem in uno loco, seu Episcopatu residere ac manere nequeat, ad alterum potest habere refugium. Tertiò, si statuta utriusque Ecclesiæ tam diuturnam residentiam non exigant, juxta eorum

tenorem fructus etiam utriusque participare poterit.

18. Caterum & illud sicco pede prætereundum non est, quòd Decretum Tridentini supra num. 12. relatum non afficiat fundaciones à Regibus, Principibus, aliisque Laicis factas, prout S. Congregatio in una Segobien die 21. Febr. 1576. hisce verbis declaravit: *Congregatio censuit, constitutionem, seu privilegium in fundatione Ecclesie editam, qua permittit Canonicis abesse ultra tres menses, non esse sublata à Concilio sess. 24. c. 12. Sine dubio ideo: quia Ecclesia non facillè derogat voluntati Fundatorum.* Fagnan in c. licet 32. de Præbenda num. 58. Idem statuenndum de statutis à Sede Apostolica confirmatis propter duplex eorum vinculum, prout iterum eadem Congregatio respondit: *Statutum, ait: per quod conceditur abesse ultra tres menses ab Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis, si à Sede Apostolica fuit confirmatum, non censetur derogatum per Concilium.* quam & alias declarationes refert Garc. de Benefic. p. 3. c. 2. num. 126. Verum hoc ipsum tum procedit, quando confirmatio Apostolica emanavit ex certa scientia, & cum causæ cognitione; secus, si fuerit facta in forma communi, utpote quæ nihil novi tribuit. c. cum dilecta 4. §. non igitur. de Confirm. util. vel inutil. ubi Ego n. 6. & 8. c. quia diversitatem 5. ubi DD. de Concess. præb. c. quia intentionis 29. junctâ Gloss. de Privileg. Fagnan. in cit. c. licet n. 62.

19. V. Denique jure communi ad residentiam personalem obligantur Beneficiati quicumque, etiam simplices, utut Beneficium sit admodum tenue, & ultra viginti solidos annui redditus non habeat. c. quia nonnulli. 3. c. consequente. 6. c. cum ad hoc. 16. h. 1. c. fin. de Rescript. in 6. Gloss. in extravag. execrabilis. de Præbenda. Flam. Parisius de Resign. benefic. lib. 1. q. 10. n. 3. At hodie generali totius orbis consuetudine beneficia simplicia (exceptis Canoni-

catibus & Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum) hujusmodi onus exuerunt, ita ut in illis Clericus non cogatur personaliter residere, sed per Vicarium, seu substitutum ministerium obire, & obligationi satisfacere queat. Imò in c. 9. h. 1. Panormit. ibid. num. 3. Rota dec. 483. num. 2. p. 1. Garc. cit. p. 3. c. 2. à num. 4. qui num. 8. addit, ita fuisse resolutum à S. Congregatione asserente, *Episcopum non posse cogere obtinentes beneficia simplicia aliquod personale servitium suis beneficiis impendere, cum ex antiquissima totius Ecclesie consuetudine non nisi ad officium recitandum teneatur.* Quapropter, qui Capellaniam obtinet, ratione cujus in certa capella, vel altari missas dicere obligatur, poterit ad istas missas legendas alium constituere, tamen si fundatio jubeat, ut ad Capellaniam non alius, quàm qui actu Sacerdos est, præsentetur: vel ut Capellanus electus celebret, cantet, interveniat; modò non specialiter caveat, ac exprimat, quòd ipsemet beneficiatus personaliter & per se missas legere debeat: tunc enim non excusabitur, nisi propter justum & legitimum impedimentum, ut declaravit S. Congregatio Concilii in Romana Capellaniarum die 4. Augusti 1654. ad c. 5. sess. 25. de Reform. & alibi pluries apud Jacob. Pignatell. tom. 7. conclus. 2. à n. 4. Garc. de Benefic. p. 7. c. 4. à num. 87. Cæsar de Panimoll. dec. 130.

§. I.

Forma hujus residentie posita est in assidua commoratione in Ecclesia, seu loco beneficii, servitii Ecclesiastici præstandi gratiâ. Itaque ad residentiam proprie dictam, sive ut ratione ipsius fructus beneficiales percipiantur, requiritur.

I. Assidua præsentia in loco, seu Ecclesia, in qua quis habet beneficium. Sic Episcopus residere dicitur, si in Ecclesia sua Cathedrali, aut saltem in sua Diocesi commoretur. Tri-

D

dent.

dent. *sess. 6. de Reform. c. 1.* in illis verbis: *extra suam diocesim morando*: quod tamen in *sess. 23. c. 1. §. eosdem interim.* limitatur, ut certis anni temporibus principalem cathedram non relinquat, nisi Episcopalia munia in sua diocesi eum aliò vocent. Et hoc jam antiquitus sancitum fuerat, sed generaliter in *c. placuit. 21. causa. 7. q. 1. c. Episcopus. 4. de consecr. dist. 3.* Canonicus Ecclesie suae cathedrali, vel collegiatæ ita adesse debet, ut in dies per seipsum inservire, & Divino officio, quod est scopus residentie, interesse possit, ut colligitur ex Trident. *sess. 24. de Reform. c. 12. §. Prætereas.* Parochus in domo parochiali, vel, si non habet, intra fines parochiæ habitet, oportet; nec satisfacit, si in vicino aliquo oppido moretur, & singulis diebus festis, ac Dominicis ad Parochiam suam excurrat. Barb. ad Concil. Trident. *sess. 23. de Reform. c. 1. n. 45.* cum citatis. Neque excusaretur, si diebus ferialibus abesset, causâ docendi in aliqua civitate, ut decisum refert Garc. de Benefic. p. 3. c. 2. n. 179. Amplius: si Parochia sit divisa, & major pars populi longè ab Ecclesia degat, & minor propè, adhuc Parochus debet habitare prope Ecclesiam. Barb. *ubi supra n. 46.*

21 Sunt verò iustæ, & legitimæ causæ, ex quibus ultra tempus indultum cum consensu Papæ, vel Ordinarii absentes juris interpretatione residentes, seu in loco beneficii præsentés finguntur, ita ut consequenter fructus saltem annuos lucrentur. Earum

Prima est Christiana charitas; ut si quis à loco sui beneficii absit causâ convertendi aliquam Provinciam, tollendi inimicias, pacem inter dissidentes componendi, Ecclesie viduatæ, aliisve piis locis, vel personis miserabilibus succurrendi. Pirrhing. *h. t. n. 22.* qui ita limitat: dummodo absentia non cedat in notabile detrimentum commissi gregis: cum Episcopus, Parochus, aut Curatus ex iustitia obligatus sit ad subveniendum suis ovis, non item alijs. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. § 3. n. 6.*

Secunda causa est evidens Ecclesie vel Reipubl. utilitas; ut si quis absit pro defensione jurium sui Canonicatus, aut Ecclesie, qualem absentiam nec juramentum de perpetuo residendo impedit: *c. ex parte. 13. h. t. Rota dec. 163. n. 11. p. 4. tom. 2. Rec.* si Elector, aut Princeps Ecclesiasticus propter officia Dignitati annexa Comitibus interfuit, ex quo talis causa redundat in Ecclesie utilitatem. Huc etiam refertur causa studiorum Theologiae, & Juris Canonici, quibus ad quinquennium in publicis Scholis (non item in villa, seu loco privato *c. tunc. 12. h. t.*) operam dare licet absque redituum privatione. *c. fin. de Magistr. & ibi Panormit. Trident. sess. 5. de Ref. c. 1. in fin.*

Verùm hæc facultas studendi, licet de jure communi non tantum Canonicis, sed etiam Curatis permessa fuerit cum licentia Episcopi & substitutio Vicariò assignatâ pro sustentatione certâ portione reddituum; *c. cum ex eo. 24. de Elect. in 6.* hodie tamen de jure novissimo Tridentini. *sess. 23. c. 1. de Reform.* Curati studiorum causâ amplius abesse nequeunt, neque Episcopus talem licentiam indulgere potest, prout S. Pontifex à S. Congregatione Concilii consultus respondit, teste Fagnano in *c. super specula. de Magistr. n. 17.* eò quòd secundum Tridentinum *sess. 24. c. 18. de reform. Ecclesie* Parochiales provideantur per concursum, per quam illas assecuti idonei sunt de præsentibus, ita ut eos studiorum causâ ab Ecclesiis suis abesse non sit opus. Fagnan. *cit. n. 17.* Quæ provisio per concursum cum in plerisque Germaniæ nostræ Diocesisibus recepta non sit, in his cessat ratio illius declarationis, ac proinde Episcopi, licentiam prosequendi studium sacrarum illarum scientiarum Parochiis probabiliter dare possunt; quod etiam post Concilium illud generaliter Episcopis permittum esse cum alijs relatis sustinet Pallao *disp. 2. pur. et. 9. §. 9. à n. 8.* Reliquis Beneficiariis non curatis, sicut Canonicis, quod stu-

gno abire velint, non tantùm potest, sed etiam tenetur hodiernum Episcopus licentiam concedere, dummodo id status Ecclesiæ patiat, & non sit extraordinaria Clericorum penuria. *c. cum ad hoc* 16. *h. t.* Garc. de Beneficiis p. 3. c. 2. n. 82. & 86. Cæsar de Panimoll. *dec.* 20. adnot. 3. n. 78.

3) Tertia causa est *obediencia Superioribus debita*, ratione cujus à residentia excusantur, qui à S. Pontifice, vel à proprio Episcopo ad certa officia subeunda mittuntur, vel ad servandum in certis functionibus assumuntur. *c. de casero* 7. *c. cum dilectus* 14. *c. ad audiendam* 15. *h. t.* Curatos tamen Episcopos inferiores extra eorundem curam, & cum curæ detrimento ad negotia, vel servitia Episcopalia, puta Vicarii, Visitatoris, Secretarii, Fiscalis, & huiusmodi assumendos non esse admonent Cardinales *ad Tria. sess.* 23. *c. 1. de Reform.* n. 7. Barb. *ibidem* n. 52. & 53. Piasec. *in Prax. Episc.* p. 2. *c. 3. n. 27.* Jac. Pignatell. *tom. 7. consult.* 4. n. 4. & seqq.

4) De eo altercari DD. video: num à residentia excusentur Clerici, qui Principibus sæcularibus inserviunt?

Sunt, qui asserant, Reges ac Principes à Sede Apostolica privilegia impetrâsse, ut Episcopi, aliive Clerici, qui illis inserviunt in officio aliquo, non teneantur residere in suis Ecclesiis, salvo jure percipiendorum fructuum. Boët. *dec.* 17. Rebuffus *in Concord. de Collat.* §. 1. qui testantur tale privilegium Regi Franciæ fuisse concessum. Joan. Selva *de Benef.* p. 4. q. 6. Hieron. de Cævallos *in suis comm. contra comm.* q. 588. n. 7. qui Clericos à residentia absolvunt. Atque pro eorum opinione facit *Novel.* 123. *c. 9.* quâ Episcopis conceditur, ut per annum in Curia commorari possint.

Nihilominus sententiam negativam ut veniorem approbo cum Garcia *de Benef.* p. 3. c. 2. n. 389. ideo: quia ejusmodi privilegia

si quæ ab Ecclesia unquam Principibus tributa fuerunt, ea per Concilium Tridentinum *sess.* 6. *c. 2. de Reform.* & constitutionem Pii IV. *editam* 13 *Calendas Martii* 1565. recantata sunt, vel certè de eo casu intelligenda, quo regnum sine alicujus Episcopi, aut Clerici præsentia comodè administrari non posset: quippe tunc, ut propter bonum commune Reipublicæ S. Pontifex in obligatione residentia dispenset, æquitas, vel necessitas suadet. Nec est, quòd morer *Novellam* 123. *c. 9.* quandoquidem constitutiones Imperatoris, quæ in *Constit.* ac *Novellis* speciatim de Ecclesiis, Episcopis, Clericis, Monachis, eorundemque rebus jubendo vel vetando, licet de facto olim vim habuerint ob dissimulationem SS. Pontificum, qui tunc temporis virium defectu resistere non valebant, absolutè tamen & semper invalidæ fuerunt, tanquam latæ à non habentibus potestatem. *c. lege Imperatorum* 1. *dist.* 10. *c. Ecclesia* 10. *de Constit.* & ibi Interpp.

Quarta causa est *urgens necessitas*; velutiz bellum, & hostium incursiones arg. *c. pastoralis* 42. *causâ* 7. *q. 1.* capitalis inimicitia, aut insidiarum timor. *Gloss. fin. in c. ult. h. t.* gravis infirmitas, quæ an talis sit, Judicis arbitriò relinquitur. Barb. *tr. de Canon.* *c. 24. n. 27.* Zerol. *in Prax. Episc.* p. 1. *§. distributiones.* n. 3. item pestis, seu contagio, ob quam Beneficiarius vel in loco residentia, si sibi grassetur, manere nequit, vel ad eum è loco, ubi moratur, & pestis sævit, transire non licet. Rebuff. *in prax. tit. Dispensatio de non resid.* n. 31. *in fin.* Barb. *d. c. 24. n. 39.* Ubi tamen pro praxi bene notandum, quòd Curati, Parochi, Prælati, Episcopi, vel quacunque dignitate clari, tempore pestis teneantur etiam cum periculo suæ vitæ residere, nec possint absque lethali culpa fugere, & oves sibi commissas deserere: quoniam boni pastoris munus efflagitat, animam suam dare pro

ovibus suis, & vitam suam corporalem pro vita, ac salute spirituali earundem exponere, exemplò D. Caroli Borromæi, qui, ut in *vita* ejus legitur, eo morbo laborantes sedulo invisens paterno reficiebat affectu, & Ecclesiæ Sacramenta propriis ipse manibus ministrans mirum in modum solabatur. Barb. *ad Trid. sess. 23. de Reform. c. 1. n. 60.* Jacob Pignatelli. *tom. 4. consult. 17. n. 85. & seqq.* P. Engel *h. t. num. 17.*

26 In facto *disputatum* fuit: utrum beneficiati religionem ingressi tempore Novitiatus fingantur residentes, fructusq; annuos lucrentur?

Negativæ fundamentum in eo collocatur, quòd in jure ingressus in religionem non referatur inter causas legales, quæ ita ab obligatione residendi liberant, ut unà faciant, quòd absens in ordine ad lucrandos fructus pro præsentibus habendus sit. Ex quo Garc. *de Benefic. p. II. c. 9. n. 31.* deducit, Canonicum Novitium anno Novitiatus & probationis non lucrari fructus præbendæ, quamvis sit justè excusatus à residentia. Huic accedit P. Engel *h. t. n. 28.*

Ego mallem in affirmativam desletere: *primo* quia ingressus in religionem est causa favorabilior, quàm causa studiorum, ergò eum causâ studiorum absens fingatur residens in ordine ad lucrandos fructus, multò magis ad eum effectum præfens censi debet absens propter ingressum religionis, sive postmodum profiteatur, sive iterum è religione exeat, abest enim interim ex justa, & honestissima causa, approbante etiam lege, ut ad eò pœnam, seu privationem fructuum non mereatur. *Secundo* quia beneficium illius, qui religionem ingreditur, tempore probationis non vacat, sed, si necessariò requirat servitium, Novitius per substitutum assignatâ illi congruâ portione reddituum deservire potest. *c. beneficium 4. de Regularib. in 6.* ergo etiam retinet jura ex illo beneficio dimanantia, quæ inter numeratur jus percipiendi fructus. Neque

tertiò ex eo, quòd ad bonum aspiret, & vitam religiosam probet, debet ejus conditio fieri deterior; quam ob causam Canonicus Novitius dicitur quoque retinere jus eligendi, quod habent ceteri Canonici ejusdem Ecclesiæ, ita ut ad electionem Episcopi vocari debeat. arg. *c. penult. dist. 63.* Gloss. in *d. c. beneficium in V. conferendum.* Ad hæc *quartò* in Novitio considerandus est status potius pristinus, quàm regularis, utpote certus præ incerto. Atque hanc sententiam amplectantur complures citati ab Herman Wesseling in *suo Monopost. Furis Universi in V. Novitius.* ubi adducit quoque actuale præjudicium, simulque responsum plurium DD. qui huic se decisioni subscripserunt.

Hæc si solidum robur obtinent, fundamentum, quod pro negativa allatum est, facili negotio evertitur. Verùm ne forte plus æquòd religioni favere videar, referentis duntaxat partes mihi tribuo.

II. Ad residentiam requiritur personale²⁷ servitium, ac ministerium sacrum, hoc est, ut munia, quæ Beneficiato ratione beneficii imponuntur, per se ipsum obeat. *Trid. sess. 7. c. 3. de Reform. Card. in Clem. un. in pr. n. 22. de Foro compet. Loth. de re benefic. lib. 3. q. 27. n. 4.* Clericus enim acceptando beneficium quodammodo per quasi contractum ad residendum, & serviendum in persona se obstringere intelligitur, cum beneficium detur propter officium, & semper eligatur personæ industria. *c. quia nonnulli 3. s. relatum 4. c. conquirente 6. h. t.*

Ex quibus facilis est decisio illius *questio-28 nis*: num Parochus satisfaciat suæ obligationi, si in Parochia quidem præfens sit, sed omnes actus ministerii per suos Capellanos, sive Vicarios exercent? Enim verò ut satisfaciat, omnino necessarium est, ut ad minimum aliquoties, & maximè, si Parochiani postulaverint, per semetipsum curam animarum peragat, & Sa-
cra-

eramenta administret, *d. c. relatum 4. h. t. c. excipienda 30. §. qui verò de Præbend.* P. Engl. *h. t. n. 1. §.* siquidem residentia, ad quam Parochus tenetur, non est residentia materialis, hoc est, habitatio in Parochia, sed formalis, hoc est, exercitium muneris pastoralis, ut docent Sylvelter *V. residere n. 1.* Garc. *de Benefic. p. 2. c. 2. n. 179.* referens declarationem S. Congregationis. Zerol. in *Prax. Episc. p. 1. V. Parochus §. 4.* & constat ex Trident. *c. 1. de Reform. sess. 23.* dum inculcans debitum pastoralis curæ inculcat residentiam, quâ pascat, & regat. Interim quia poena privationis fructuum est lata in absentes, qui corporaliter Ecclesias suas deserunt, verius videtur cum communi DD. apud Garc. *de Benef. p. 3. c. 2. n. 53.* quòd talis ad restitutionem fructuum non teneatur, præsertim si Parochiani nullum exinde patiantur detrimentum, sicut nec ille, qui malè officium Parochi administrat, quem fortè meliùs esset omnino abesse: quippe juxta vulgatam regulam: poenæ non debent extendi ad casus non expressos: & fructus principaliter dantur propter obligationem ad munera parochialia subeunda, vel per se, vel saltem per alium idoneum substitutum. Neque ab Horis Canonicis ad residentiam rectè ducitur paritas: cum hæc saltem ex rationabili causa fructuose aliis irandetur, ut puta propter multitudinem confidentium, vel aliarum occupationum, præcipue si per cooperatorem æquè bene ac meliùs animabus subjectis provisum sit; econtra onus recitandi officium Divinum purè personale est, & substitutionem nullam admittit, sicut ex natura rei nemini non patet.

29 III. Ut Canonici ratione residentia præter fructus annuos lucrentur distributiones quotidianas, non sufficit præsentia in Civitate, sed omnino requiritur interessentia in Divinis officii, *c. de catero. 7. h. t. c. un. Eod. in 6. c. li. §. 32. de Præbend.* Trident. *sess. 24. c. 12. de Reform.* idque variis Cardinalium declaratio-

nibus confirmant Fagn. in *d. c. licet num. 41.* & Jacob Pignatell. *tom. 1. consult. 129. n. 24. & seqq.* Imò Navar. Azor. Less. Garc. Hurtad. & alii apud Gonzal. in *c. 7. h. t. n. 5.* contendunt, Canonicos sub onere, & poena restitutionis teneri psallere, seu cantare cum aliis in Choro, nec satisfacere, si tantum intersint, & per Capellanos, seu Vicarios psallant, ipsi verò vel ibi, vel domi privatim Divinum officium recitent. Quod etiam Tridentinum insinuat. *cit. sess. 24. c. 12.* in illis verbis: *omnes verò Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis DEI nomen reverenter, de voicè, distinctèque laudare.* At quòd interessentes non psallentes, sed tantum submissà voce horas Canonicas recitantes suas faciant distributiones, docuerunt Cajetan. in *Summ. V. hora canonica.* Barb. *J. E. U. lib. 3. c. 18 n. 83. & ad Trident. d. c. 12. n. 118.* cum pluribus citatis, quibus patrocinantur textus in *d. c. licet 32. de Præbend. & c. un. h. t. in 6.* ubi sola interessentia commendatur, non autem ulla psallendi obligatio injungitur. Sanè consuetudo passim obtinuit, ut Canonici in Choro præsentés, etsi non per se, sed per substitutos Vicarios psallant, pro verè interessentibus habeantur; quam consuetudinem Barb. *cit. num. 118.* & Zypeus in *Analyti h. t. n. 28.* non irrationabilem esse existimat, ex quo officii decantatio, præsertim si figurata sit, ita sit magis decens, & accurata, ut etiam advertunt P. Engel *h. t. num. 27.* & Layman. in *Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 6. num. 2.*

Cæterum sunt justæ, & privilegiatæ causæ, 30 ex quibus Canonici fictione juris habentur pro actu præsentibus, non tantum in loco beneficii, sed etiam in Choro, & officiis Divinis, ita ut quoque distributiones quotidianas percipere possint. Harum

Prima est militas Ecclesia. c. un. h. t. in 6. ut Canonicus si curam animarum ipsemet exerce-

cere & residere velit in Parochia Canonici, seu Dignitati suæ annexa. Trident. *sess.* 22. *de Reform. c. 3.* si Canonicus Pœnitentiarius in Ecclesia Cathedrali sub Divino officio confessiones excipiat. Trident. *sess.* 24. *de Reform. c. 8.* secus si audiret confessiones etiam infirmorum extra Ecclesiam Cathedraliam. Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 56. n. 8. si Canonicus assistat Episcopo in Ecclesia Cathedrali, aut aliis Civitatis locis Pontificalia exercenti ad præscriptum Trident. *sess.* 24. *c. 12. de Reform. f. omnes verò.* Fagnan. *ad c. licet. 32. n. 168. de Prab.* si Canonicus nomine Capituli sui Concilio generali interfit, ut ex Concilio Constantiensi *sess.* 19. cum Rebuffo tradit P. Engl. *h. t. n. 32.* Quod alii ad eos quoque, qui in synodo provinciali, vel diocæsana comparent, extendunt cum Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 53. n. 158. & *ad cit. c. 12. Trident. n. 81. & 82.* si Canonicus munus inquisitoris contra hæreticam pravitatem, vel Auditoris in Rota Romana obeat. Idem Barb. *cit. alleg.* 53. num. 155. & 156. & *ad Trid. d. c. 12. num. 76. & 77.*

Non immeritò hic *quæritur*: an interessens censeatur, & distributiones quotidianas lucretur Canonicus, qui tempore Divini officii in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata missam celebrat? Communissima sententia negat, sive celebret ex mera devotione, sive pro stipendio, & elemosyna recepta, sive ex onere Capellanæ, quam in eadem Ecclesia in titulum habet, sive ex onere legatorum, cui Capitulum, & Canonici satisfacere tenentur; nisi in loco aliquo consuetudine contrarium prædicetur, aut ex rationabili causa, approbante Prælate, puta ob supervenientem advenarum processionem, aut sublimis dignitatis personam. Aliàs perniciosi exempli foret, si laborantibus in choro destinata stipendia prætextu missæ, quæ in aliam horam remitti posset, aliò transferre fas esset, cum publici cantus dimi-

nutione, propter quem distributiones diariæ institutæ sunt. Panormit. in *c. cum olim. n. 6. de Sent. & re jud. Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 11. q. 19.* P. Engl. *h. t. n. 33.* Riccius in *Prax. distrib. dec. 492. n. 2.* ubi allegat decretum S. Congregationis Cardinalium.

Secunda causa, ob quam præsens in urbe, à Choro autem absens pro interessente habetur, est *infirmas*, ob quam Canonicus ad Ecclesiam conferre non potest; ut si febris laboret, si podagrâ vexetur, si debilis sit in cruribus, seu tibiis, si utroque lumine orbatus &c. *c. un. h. t. in 6.* Barb. *ad Concil. Trident. sess. 24. c. 12. à n. 89. usque 94.* Turcremata in *c. Clericus victum dist. 91.* qui dicit, ad infirmitatis excusationem spectare non solum infirmitatem, quam quis patitur, sed etiam, quam timere potest, & vitare cupit minuendo sanguinem, aut medicinam sumendo; latè Fagnan. in *c. licet de Prabend. à n. 136.* modo infirmus, dum integrâ valetudine uteretur, solitus fuerit Divinis officiis interesse; Secus enim si sanus solitus non esset frequentare chororum, & multò magis si omnino non fuisset solitus residere in loco, non censeatur infirmitas dare causam absentia, nec proinde distributiones reciperet. Panorm. in *c. ad audiendam. h. t. Navar. de Hor. Can. c. 11. n. 9.* Covar. *Var. Resol. lib. 3. c. 13. n. 8.* Felin. in *c. Apostolicam. n. 12. de Except.*

Scrupulò non caret: utrum infirmitas sit justa, ac privilegiata causa absentium, si in eam Canonicus ob excessum in potu, propriamque culpam incidat?

Videbitur fortassis, quòd non: tum propter juris regulam, quâ culpa auctori suo prodesse non debet, tum propter *l. 5. ff. Quib. ex caus. major.* juxta quam caret privilegio restitutionis, qui causam absentia procuravit. Quam sententiam tenuit Philipp. Franch. in *d. 6. nn. num. 17. h. t. in 6.*

92 Benignior tamen, & verior est opinio contraria ex eo, quod licet Canonicus suâ culpâ in morbum incidit, impedimentum tamen non eo fine, & animo causatum, sed per accidens subsecutum, ac ab ipso DEO illatum sit, neque illud voluntarium in causa (ut vocant Theologi) tanquam nimis remotum hic à Jure attenditur. Confert optimus textus in c. 2. causâ 7. q. 1. ubi Gregorius Papa: *cum percussio, inquit, imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, DEI in hoc iudicium ignoratur: & ideo non debet à nobis addi flagelantis afflictio.* Lotter de re benefic. lib. 3. q. 27. num. 136. Zerol. in Prax. Episc. p. 1. in V. distributiones. §. 3. §. 6. Covar. var. resol. lib. 3. c. 13. n. 8. §. 7. Putem verò, Canonicum, qui per actus repetitos se inhabilem redderet, ægrè ferre haud posse, si ipsi distributiones quotidianæ subtraherentur.

93 Tertia causa, ob quam Canonico absenti tanquam interessenti quotidianæ distributiones debentur, est *justa & rationabilis corporalis necessitas.* cit. c. un. h. t. in 6. ut si Canonicus sit senio confectus, ita ut ob decrecentes corporis vires arbitriò Judicis Divinis interesse nequeat, modò aliàs interesse consueverit: Azor. Instit. mor. p. 2. lib. 7. c. 7. q. 12. vel si sanitatis gratiâ in balnea ivit, aut alium locum petit, quo salubriori aurâ uteretur: Pirrhing. h. t. n. 87. vel si impeditus fuisset à Capitulo, aut etiam expulsus, quò minus cum alijs Choro interesset: Lotter. cit. q. 27. n. 143. vel si absit à Choro ac etiam à Civitate ob meum, ne ab inimicis occidatur: Fagnan. ad c. licet. n. 151. de Præbend. vel si injustè fuerit incarceratus. Navar. h. t. consil. 10. & 11. Gratian. Discept. forens. c. 806. n. 13. Nec refert sive in loco beneficii, sive alibi detineatur, ut rectè advertit Fagnan. loc. cit. n. 153. contra Covar. vel si injustè sit bannitus, & relegatus: Barb. ad Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de Ref. n. 103. item injustè excommunicatus,

suspensus, aut interdictus, quando eo tempore, quo censura ejusmodi in eum injustè lata est, in loco sui beneficii præsens, & Chorum frequentare solitus fuit. Cæsar de Panimoll. dec. 20. adnot. 3. n. 68. cum citatis. Jacob Pignatell. tom. 4. consult. 157.

Quarta causa præceditur *justa consuetudo;* qualis est, vi cuius conceditur alicui Canonico, vel Beneficiato, qui per 40. annos semper diligenter interfuit Divinis, ut is imposterum, tanquam emeritus, ad nullam amplius præsentiam obligetur, & tamen fructus annuos, ac distributiones quotidianas lucretur. Ita declarasse S. Congregationem Concilii, meminit Garc. de Benefic. p. 1. c. 2. n. 344. Et generaliter justam esse consuetudinem, qua ex legitima causa, & ad breve tempus absentes distributiones quotidianas recipiunt, tenent Fagnan. in sepe cit. c. licet. de Præb. n. 59. & 134. Covar. lib. 3. Var. c. 13. num. 5. Jacob Pignatell. tom. 1. consult. 130. num. 3. & seqq. non obstante c. un. h. t. in 6. id namque accipiendum est de consuetudine, quâ absentibus distributiones dantur, etsi absint sine justa, & legitima causa.

§. VI.

Finis residentie est, ut Divinum officium, & 315 servitium Ecclesiasticum debite præstetur, ideo enim potissimum residentia est introducta.

§. VII.

Effectus alius est residentie factæ, alius residentie neglectæ.

Effectus residentie factæ est perceptio fructuum beneficialium, quorum tres species assignantur: nempe fructus seu redditus annuus, distributiones quotidianæ, & fructus grossi.

Fructus, seu redditus annui sunt fructus præbendæ, qui in fixo consistunt, & propter annuam residentiam, ac onera annexa in loco beneficii dantur, sine ordine ad ministeria, & interessentias in officio Divino; v. g. cum singulis Canonicis per legitimum tempus residentibus,

annuatim destinantur mille imperiales, sive sæpius, sive rarius Ecclesiam frequentent, ac Horis Canonicis intersint. Fagnan. in *c. licet* 32. n. 17. de *Præbend.*

Distributiones quotidiana sunt, quæ dantur intuitu singulorum actuum, seu præsentiarum in Choro, & Divino officio; v. g. cum Canonici, qui sacro Officio, Matutino, Vesperis, vel aliis Horis intersunt, pro singulis actibus certam pecuniam, sive *præsentiam*, ut appellant, accipiunt. *c. un. h. t. in 6. Trident. sess. 24. de Ref. c. 12.* Atque hæc distributiones non veniunt sub nomine fructuum, ac reddituum beneficiorum per *c. fin. §. in illis, de Concess. præb. in 6. extravag. cum nonnulla. XI. §. præterea. de Præbend.* Lotter *de re benef. lib. 1. c. 39. n. 22.* ac proinde si alicui esset concessum privilegium, ut absens posset percipere fructus beneficii, non propterea posset accipere quotidianas distributiones, ut notat Gloss. in *d. c. un. h. t. in 6. Azor. Inst. mor. tom. 2. lib. 7. c. 7. q. 2.* & si quis condemnatus esset, ut restituat fructus beneficii, non teneretur vi hujus sententiæ restituere distributiones: Boër. *dec. 383. n. 4. §. in contrarium.* Cæsar. de Panimoll. *dec. 30. adnot. 3. num. 3.* nec privatus ob delictum fructibus beneficii censeretur esse privatus distributionibus. Boër. *dec. 40. n. 4.* Rota *dec. 1170. n. 2. p. 3. divers.* Nisi beneficium nullos alios fructus haberet, quàm distributiones, tunc enim habentur loco fructuum beneficii. *Dec. lib. 1. consil. 49. n. 14.* & alii, quos laudat Cæsar. de Panimoll. *d. adnotat. 3. n. 9.* Certè ad distributiones quotidianas spectant *anniversaria*, sive portiones funebres pro iis fundatæ, qui anniversariis intersunt. *c. un. in fin. h. t. in 6.*

Fructus grossi nuncupantur, qui de frumento, vino, piscibus, aut similibus rebus certis anni temporibus inter Canonicos residentes distribui solent. Garc. *de Benefic. p. 3. c. 2. n. 440. & 441.* P. Engel *h. t. n. 36.* Et hi fru-

ctus ordinariè annumerantur annis, eo quòd plerumque æqualiter inter residentes distribuuntur, absque respectu ad singulas in Choro præsentias; sin verò alicubi cum tali respectu distribuuntur, utique quotidianis distributionibus accensendi forent, quemadmodum olim contigisse colligitur ex *cit. c. un. h. t. in 6.* ubi distributiones quotidianæ *vistualia* dicuntur, & ex *c. de cætero. 7. h. t.* ubi *vistualia* illis denegantur, qui actualiter Divinis non intersunt. Gloss. in *extravag. un. Ne sede vacante.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. §. 7. proam. n. 205.* & fuse Quar. in *Summ. Bull. V. residentia.* ubi etiam decisionem Rotæ, & plures hujus sententiæ Authores allegat.

Non levis DD. pugna est: an qui in eadem Ecclesia duo beneficia habet, puta Præposituram, & Canonicatum, duplices distributiones percipiat?

Negant Butrio in *c. cum olim n. 10. in fin. de Sent. & re jud. Honor. h. t. n. 23.* & Zoëf. *n. 16.* Primò quia, qui ratione duorum beneficiorum in Choro præsens est, non magis est præsens, quàm is, qui tantum Canonicatum habet, ergo satis est, illum vel ut Præpositum, vel ut Canonicum habere simplices distributiones, utpote quæ percipiuntur ob personalem præsentiam. Secundo quia distributiones quotidianæ non dantur ratione beneficii, sed ratione officii, & muneris, quod quis facit in Ecclesia. Ergo duplices distributiones non debentur ei, qui licet duo beneficia habeat in eadem Ecclesia, duo tamen munera & officia simul non obit. Facit huc textus in *l. si plures. 9. pr. ff. de Partis.* ubi dicitur esse difficile; ut unus homo duorum vicem sustineat, id quod præcipuè in hac personali præsentia, ac interessentia obtinet.

Affirmant Joan. Andr. Panormic. & Felin. *ad c. cum olim de Sent. & re jud. Pirrhing. h. t. n. 100.* Covar. *lib. 3. var. resol. c. 13. n. 6.* Quibus suffragatur primò, *cit. c. cum olim. ex quo*

quo colligitur eum, qui simul Præpositus & Canonicus est, duplicem vocem in Capitulo habere, nisi aliud exigat Ecclesie consuetudo. *Secundò l. Titia. §. qui Marco. ff. de Annuis legat.* ubi notant Interpp. quòd si legentur centum singulis Senatoribus alicujus Oppidi, & Marco quinquaginta, centum & quinquaginta debeantur Marco, si is sit unus è Senatoribus. *Tertiò* juvat ratio: quòd talis Clericus Præpositi & Canonici munere simul fungatur; ergo æquum est, ut percipiat id, quod utroque fungenti debetur; quia quando plura jura concurrunt in persona unius; perinde est, ac si concurrant in personis diversorum per *l. tutorem 21. ff. de his, qua ut indign. & ibi Bartol.* Ad hæc licet talis Canonicus non magis sit præsens physicè, quàm qui unum tantum habet beneficium: magis tamen præsens est moraliter, eò quòd duorum impleat munus: nec est ratio, cur unam potius, quàm alteram portionem acquirat, cum idem Clericus tanquam Canonicus, & tanquam Præpositus Divinis officiis intersit.

Ego cum Layman in *Theol. mor. lib. 4. tit. 2. c. 7. n. 4.* cenleo, hac in re cujuslibet Ecclesie consuetudinem observandam esse. Utra verò harum opinionum ad juris obrusam examinata verior sit, problema esto.

38 *Effectus neglecta residentia* sunt poenæ, quarum quidam plures contra non residentes sancivit Jus Canonicum vetus in *c. pervenit. 20. cum multis seqq. causà 7. q. 1. & passim ibi.* quia verò circa eas plerumque Tridentinum attenditur, poenas ab eodem statutas breviter recensebimus.

I. Itaque in *sess. 6. c. 1. de Reform.* antiquos Canones innovavit, ac ulterius ordinavit, ut si quis à Patriarchali, Primitiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diocesim morando abfuerit, poenam privationis quartæ partis fructuum unius

anni fabricæ Ecclesie, vel pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum, ipso jure incurrat, & si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eò ipso amittat, crescente verò contumacia, intra tres menses per Archi-Episcopum, vel si ipse Archi-Episcopus abfuerit, per seniorem Suffraganeum, sub poena interdicti ingressus in Ecclesiam eò ipso incurrenda, R. Pontifici denuntiari debeat, ut in absentem animadvertere, & Ecclesie de Pastore utiliore providere possit. Insuper

II. In *sess. 23. de Ref. c. 1. §. si quis autem. 39* S. Synodus statuit, ut si Cathedrali Ecclesie cuicumque præsidens ultra duos, aut summum tres menses (exclusâ necessitate, vel causâ rationabili) abfuerit, præter peccati mortalis reatum pro rata temporis absentie fructus suos non faciat, nec tutâ conscientiam, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi retinere possit, sed vel ipse, vel ipso cessante superior Ecclesiasticus Ecclesie, vel pauperibus loci applicare debeat, prohibita quâcunque conventionem, aut compositionem, & non obstantibus quibuscunque privilegiis.

III. In *ead. sess. 23. c. 1. §. eadem omnino. 40* declaravit, eadem omnino quoad culpam, amissionem fructuum, & poenam de Parochiis, aliisque Curatis inferioribus intelligenda esse. Quare & ipsi, si ultra duos menses sine gravi causa, & expressa Ordinarii licentia abfuerint, fructus restituere tenentur, & ad id ab Episcopo compelli possunt: & si per editum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, Ordinariis liberum esse voluit, per censuras Ecclesiasticas, sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliâque juris remedia, etiam usque ad privationem eos compellere nullò privilegiò, licentia, familiaritate, exemptione, pactione, statuto, consuetudine, appellatione, aut inhibitione executionem

E

nem

nem hanc remorante. Antequam tamen deveniatur ad privationem beneficii, necessarium est, ut absens prius personaliter, aut si personaliter non possit, per trinum edictum citetur expectatò post tertium edictum sex mensium spatìo. *c. ex parte 8. c. extra. II. h. t. & ibi Panorm. Zypceus in analysi h. t. n. 15. Layman in Theol. mor. tom. 4. sr. 2. c. 6. num. 3. Optimè Cæsar de Panimoll. dec. 80. à n. 11.*

41 IV. In sess. 24. de Ref. c. 12. §. præterea. decrevit, ut qui in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata obtinet dignitatem, Canonicatum, præbendam, aut portionem, & sine legitima facultate ultra tres menses non residet, primo anno privetur dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentia fecit suos, & si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit: durante verò post duos annos contumaciâ, & si legitime monitus non redierit, contra eum juxta SS. Canonum constitutiones procedatur etiam ad privationem beneficii. *c. 8. II. & sim. h. t. Barb. ad Trident. d. c. 12. n. 70. Piafec. in Prax. Episc. p. 2. c. 3. num. 9. Jacob Pignat. tom. 1. consult. 164. ubi n. 2. adducit sequentem declarationem S. Congregationis: Sacra & c. censuit, scribendum Episcopo Asculano, ut contra Archi-Diaconum non residentem adhibeat remedia SS. Canonum ultra amissionem distributionum quotidianarum, primòque anno absentia privandum esse dimidia parte fructuum sua præbendæ; secundo anno privandum esse omnibus fructibus: tertio verò anno, durante contumaciâ, & precedente prius monitione privari posse Archi-Diaconatu.*

42 V. Denique in ead. sess. 24. c. 12. §. distributiones verò. S. Synodus in usum revocavit decretum Bonifacii VIII. quod extat in *c. un. h. t. in 6.* & constituit, ut Canonici, qui statutis horis non interfuerint, quâvis collusione, aut remissione exclusa, distributionibus careant. Ex quo decreto DD. colligunt, nullo prætextu

Episcopo, aut Capitulo licere, Canonicis, qui sine legitima causa ab Officio Divino abfuerunt, amissas distributiones remittere, relaxare, aut condonare, ne iis alioquin detur occasio se absentandi à choro, sub spe, Episcopum, aut Con-canonicos suos sibi condonaturos distributiones, quas ob absentiam amiserunt. Fagaan. in *c. licet. 32. n. 9. de Præbend. Rota in Hispanen. distribut. 2. Maii 1603. coram Coccino. Barb. ad Trid. cit. cap. 12. num. 108. Garc. de Benefic. p. 3. c. 2. n. 432.* ubi memorat, ita declarasse S. Congregationem Concilii.

Non extra calcem quaesieris: an distributiones ab aliis Canonicis propter absentiam amissæ reliquis interessentibus accrescant? Aliqui affirmant, nonnulli omnino negant. Mihi eorum sententia probatur, quæ rem sequenti casuum distinctione componit: Primò si ex communibus beneficiorum redditibus detracta, vel ex fundatione, aut fidelium oblatione pro defuncti anniversario assignata sit certa portio distribuenda inter eos, qui certo die Divino Officio intersunt, absentium portionem præsentibus accrescere, perspicue insinuat Trid. sess. 21. de Reform. c. 3. Secundò, si pars aliqua ex propriis, & distinctis à mensa Capitulari redditibus quarundam dignitatum, officiorum, vel præbendarum desumpta sit, ut per modum distributionum iis dentur, qui illas dignitates, ac officia obtinent si præsentibus sint, his absentibus præsentibus non accrescet, sed fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio assignanda erit juxta idem Trident. sess. 22. de Ref. c. 3. Pirrhing *h. t. n. 101.* Tertio si massa aliqua habeatur, ex qua certa portio, v.g. medius florenus iis qui solenni sacro; alii quot pazii illis, qui Matutino, Vesperis, aliisve Horis Canonicis intersunt, dentur, absentium portio apud massam Ecclesiæ in ejus utilitatem convertenda remanebit. Gutierrez. 99. *Cap. lib. 1. c. 1. num. 106.*

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

NE Clericos in opprobrium Ordinis mendicare contingat, & status clericalis ob paupertatem vilescat, *præbenda, & dignitates* constitutæ sunt. c. cum secundum Apostolum. 16. h. t. ubi & Gloss. & DD.

Pars I.

De Præbendis.

SUMMARIÆ.

1. Præbenda etymologia. 2. Homonymia. 3. Definitio. 4. usque 12. multiplex divisio. 12. Origo. 13. Ubi 17. A quo præbenda, ac beneficia instituenda? 17. 18. Quibus conferenda? 19. Assignatur eorum objectum. 20. usque 25. Recensentur requisita necessaria ad eorum constitutionem. 25. usque 29. An Capellania, Commenda, Praesimonium, & pensio nomine beneficiorum veniant? 29. Quis sit finis præbendæ, seu Beneficii? 30. & sequitur de fructibus beneficiorum, eorumque perceptione.

§. I.

1. Præbenda, unde nomen trahit, primo statim intuitu apparet, nimirum à *præbendo*, eò quòd Ministris Ecclesiæ alimoniam, sive jus ad proventus Ecclesiasticos præbeat. Desselius h. t. theor. 1. Hinc & Canonici *præbendarii* dicuntur, qui præbendam accipiunt. c. sanctorum 2. dist. 70.

§. II.

2. Sumitur autem vocabulum *præbenda* modo latè, modo strictè. Latè quidem quatenus denotat perceptionem reddituum Ecclesiasticorum, etiam si laico competat propter servitium aliquod merè temporale, v. g. propter advocatiam Ecclesiæ, aliudque officium sæculare; quàm *laicalem præbendam* alias appellant. Vallens. h. t. §. 1. n. 1. Strictè verò, quatenus accipitur pro beneficio Ecclesiastico, seu *præbenda spiritali*; in qua acceptione iterum duplici significato gaudet. Primo enim significat portionem canonicam, sive ipsum jus percipiendi certos redditus Ecclesiasticos pro-

manans ex Canoniam; quæ simpliciter sic dicta tantum est *jus habendi sedem in Choro, & vocem in Capitulo*, & à præbenda differt tanquam causa à suo effectu. Pirching. h. t. n. 1. Secundo, & in præsentem capitulum generaliter pro quocunque beneficio Ecclesiastico intuitu Divini officii, & obsequii concessio, atque hoc respectu *præbenda, & beneficium* in jure Canonico confunduntur, & pro synonymis usurpantur in c. majoribus. 8. c. suis questionibus. 23. & passim. h. t. c. penult. de V. S. Gonzal. in c. 1. n. 10. h. t.

§. III.

Definitur Præbenda, seu beneficium, quòd fit jus perpetuum percipiendi redditus Ecclesiasticos ratione spiritualis officii, Ecclesiasticæ auctoritate institutum, & personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesiastica collatum. P. Engel h. t. v. 1. Layman. in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.

§. IV.

Dividitur Præbenda, seu beneficium Ecclesiasticum multifariam.

I. In beneficium regulare, & sæculare. c. cum de beneficio 5. c. cum singula 32. h. t. in 6. Clem. 1. de Elect. Clem. un. de Supplenda neglig. Pralat. Regulare illud dicitur, quòd solis Religiosis conferendum est; quale est *Abbatia, Prioratus, Canonicatus regularis*; & aliqua *Parochia*, de quibus infra de Capell. monach. Sæculare nuncupatur, quòd per Clericos sæculares regi, & administrari debet. Azor. Inst. mor. tom. 2. lib. 3. c. 1. q. 4. Garz. de Benefic. p. 6. c. 1. n. 12. Ea verò tribus modis discernuntur; Primo fundatione: etenim pro fundatorum arbitrio beneficium vel regulare, vel sæculare est, cum eorum voluntatem omnino deceat adimpleri. c. qua semel 4. causa 19. q. 3. Tambur. de Jure Abb. tom. 3. disp. 9. q. 3. num. 1. ubi notat, tunc beneficium ex fundatione censeri regulare, quando eum auctoritate & consensu Episcopi, vel Episcopò superioris eà lege fundatum est, ut per Viros religiosos in tali beneficio deserviatur:

E 2

sicut

sicut enim universim de ratione beneficii est, ut cum auctoritate Episcopi constituatur, ita etiam ad beneficium regulare non sufficit, si solum per Abbatem, aut alium jurisdictionem Episcopalem non habentem ita statutum sit, ut non nisi Regularibus conferri debeat. *Secundo* conversione, ac mutatione status à seculari in regularem, & vice versâ à regulari in saecularem. *c. ad audientiam. § de Eccles. adif.* *Tertio* praescriptione, quâ ut ex beneficio regulari fiat saeculare, aut e contra, praeter possessionem bonae fidei per quadraginta annos continuatam requiritur, ut Clericus saecularis in beneficio regulari, vel Religiosus in beneficio saeculari auctoritate Ordinarii tanquam Rector principalis institutus sit. *c. cum de beneficio §. h. t. in 6. & ibi Passerin. n. 22. Feder. de Senis consil. 136. Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 23.* Unde si Praelatus Regularis in Parochia regulari habeat Vicarium saecularem temporalem tantum, hic Vicarius nunquam praescribet. Similiter si Religiosus de facto tantum sine legitima institutione beneficium saeculare possideat, uti etiam si non tanquam beneficiatus principalis, sed quasi Vicarius, vel non ut Regularis, sed quasi Clericus saecularis in beneficio saeculari commoretur, nunquam mutabitur status beneficii. Vid. Barb. *J. E. U. l. 3. c. 4. n. 68. Tambur. ubi supra à n. 4. Corrad. in Prax Benefic. lib. 1. c. 6. n. 323. & seqq. Pirrhing h. t. n. 109. & 110.*

5 *Addubitatum* fuit: an, si de statu, seu qualitate beneficii non constet, id regulare, vel saeculare praesumatur? Omnia beneficia ex institutione sua praesumi saecularia, asserunt Rota in *una Pamphilonen. Prioratus. 21. Junii 1594. coram Pamphilio. Mascard. de Prob. concl. 172. à n. 1. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 7. n. 1. Sanchez. lib. 7. moral. c. 29. n. 11.* cum enim Religiosi contemplantis habeant officium, *c. Monachis. c. placuit. causa 16. q. 1.* non est verisimile, aliquod

beneficium esse erectum, quo fortè ab hoc suo officio avocentur. Jac. Illung. in *Theol. pract. tr. 5. disp. 2. q. 2. a. 2. n. 177.* Quapropter Passerin. *ad c. cum de beneficio §. num. 7. & 43. h. t. in 6.* concludit, in dubio ei, qui asserit, beneficium esse regulare, probationem incumbere. At sunt alii, qui in tali casu attendunt ad ultimum statum beneficii, hoc est, an vacaverit per obitum personae regularis, vel saecularis, atque ex eo de illius qualitate judicant: quoniam generaliter in beneficiis ultimus rei status inspicitur, & maxime consideratur per *c. querelam. 24. de Elect. c. consultationibus. 19. de Jure patronat. c. cum olim 7. de Causa possess. & propriet. Gonzal. cit. Gloss. 7. n. 23. Petr. de Murga tr. de Benefic. q. 2. n. 8. & alii, quos refert Rota dec. 737. n. 3. p. 2. Recent. Et hoc, quamvis appareret de variatione, & beneficium aliquando per institutos saeculares, aliquando per Regulares gubernatum fuisset. Vincent. de Franchis *p. 1. dec. 85. n. 2.* nisi constaret de contrario statu legitimo praecedente. Rota Romana apud Farinacium *dec. 188. n. 1. p. 1. Recent.* Certè, quando beneficium fundatum est in aliquo Monasterio, & de modo fundationis non constat, praesumerem illud esse regulare: nam penitissimè mihi persuasum habeo, id in favorem Monachorum esse fundatum, eâ scilicet intentione, & lege, ut per Regulares eidem provideatur, nisi per saeculares regi consueverit. Barb. *J. E. U. lib. 3. c. 5. n. 14. Rebuff. in Prax. benefic. in proxm. tit. quotuplex sit beneficium. n. 6. Tambur. de Jure Abb. tom. 3. disp. 9. q. 6. n. 4. Mascard. cit. concl. 172. n. 17.**

II. *Dividitur* praebenda, seu beneficium in beneficium duplex, & simplex. Castro Palao in *Opere moral. p. 2. tr. 13. disp. un. punct. 2. n. 3.* Noster Petr. de Murga *tr. de Benefic. q. 2. n. 320.* Duplex est, quod aliqua juris qualitate afficitur; cujus generis est Dignitas, quae

que habet præminentiam cum jurisdictione in foro externo; veluti *Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus* &c. de quibus in parte altera dicemus: *Personatus*, qui nec jurisdictionem ullam habet, nec administrationem rerum, habet tamen eminentiorem sedem, & locum in Capitulo, in Choro, ac aliis in locis respectu aliorum, qui in Ecclesia, aut Conventu suo tali, vel majori carent præminentia. P. Engel *h. t. n. 4. Offitium*, quod jurisdictione caret tam in foro interno, quam externo, nec specialem præcedentiam in Capitulo, Choro, aut alibi habet; veluti officium *Cantoris, Sacristæ, Custodis, & Thesaurarii*. Vallens. *h. t. §. 2. n. 6. Beneficium curatum, seu parochiale*, quod curam animarum in foro poenitentiali habet cum potestate administrandi Sacramenta Parochianis suis Clericis, & Laicis. Castro Palao *cit. n. 3. Simplicia* sunt omnia reliqua beneficia, quæ neque jurisdictionem fori externi, neque specialem præminentiam, administrationem, aut curam animarum habent, sed instituta sunt ad preces tantum persolvendas & alia Divina officia peragenda, ut *Capellania*, & omnes *Canonicatus* Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ. Petrus de Murga *cit. q. 2. n. 324.* Præsumitur autem in casu dubio beneficium simplex potius, quam duplex, eò quòd qualitas non præsumatur, nisi probetur. Card. Tusch. *concl. præct. lit. B. concl. 63. n. 4. Garc. de Benef. p. 2. c. 6. n. 8.*

7 Hic occurrit celebris *questio*: utrum sub nomine beneficiorum comprehendantur tam duplicia, quam simplicia, quando in genere eorundem sit mentio? Quæ adhibita distinctione inter materiam *odiosam & favorabilem* dirimitur. In materia *odiosa*, vel aliàs strictæ interpretationis tantum veniunt simplicia, quia beneficia duplicia, curata & dignitates plus quodammodo sunt, quam beneficia

simpliciter dicta, & propterea specialem mentionem merentur, si strictè loqui placet. Hinc si S. Pontifex mandet, ut alicui provideatur de beneficio non facta mentione curati, vel non curati, non debet, nec potest beneficium curatum eidem conferri per textum luculentum in *c. cum in illis. 16. h. t. in 6.* non quidem quasi curata beneficia non sint propriè dicta beneficia, sed quia intentio S. Pontificis non censetur fuisse de beneficio curato rescribere, eò ipsò quòd propriis verbis non expresserit. *c. fin. h. t.* Christophorus Döring Gottwicensis, Vir de Academia nostra optimè meritus in *Disp. de jure Rescriptor. c. 3. n. 3.* Econtra in materia *favorabili*, & lata interpretationis (qualis ordinariè est gratia Principis, *c. cum dilecti. 16. de Donationib. c. olim. 16. de V. S.* exceptis tamen litteris, seu rescriptis Papalibus super obtinendo beneficio impetratis, ut quæ ambitiosa censentur. *c. 4. h. t. in 6.*) nomine beneficii in genere intelligitur æquè duplex ac simplex, tam curatum, quam non curatum: cum non minus unum, quam alterum naturam beneficii participet, & si favor aliquis concedatur beneficii in genere, merito concessus censeatur curatis, quæ ad majores labores ampliori favore digna sunt præ simplicibus. Sic dum *seq. tit.* conceditur, ut ægroti Clerici beneficia unà cum fructibus retineant, id non solum de simplicibus, sed de curatis quoque procedit. Quod tamen ita limito, nisi expresse contrarium statuatur, vel natura beneficii aliud exigat. Quamobrem ubi in genere Beneficiatis indulgetur non residere, & officium suum per alium implere, id licet favorabile sit, nihilominus ad Curatos extendi non potest, utpote contra rationem, & naturam beneficii curati, quod ex Jure Divino & humano residentiam exigit, ut in *tit. præced. n. 4.* probatum est.

III. *Dividitur Præbenda; seu beneficium* §
in beneficium collativum, electivum, &

E 3

mix-

mixtum. *Collativum* est, quod collatione liberâ pro voluntate Superioris confertur. *Electivum*, quod per suffragia Capitularium, accedente postea Superioris Ecclesiastici confirmatione, vel admissione obtinetur; qualia etsi alicubi reputentur Decanatus, propriè tamen electivorum nomine veniunt solæ Prælaturæ, sive Dignitates pastorales, quas obtinentes censentur Ecclesiarum suarum quasi sponsi, & capita Collegiorum, quibus præfunt, veluti Episcopi, Abbates, Præpositi, Priores Conventuales, & similes. Azor *Instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 14. q. 2. & 5.* Gregori Tholosan. *de Elect. c. 4. n. 2.* Beneficium *mixtum*, seu *patronatum* vocitatur, quod nominante, seu designante Patrono à Superiore confertur, ita ut Patronus primò præsentare, & postea Episcopus præsentatum instituere debeat, prout plerique Parochi, & Capellani institui solent. In dubio beneficium præsumitur *collativum*, non *electivum*, aut *mixtum*: quia esse electivum, vel mixtum non est qualitas propria beneficii, sed extrinseca, ac accidentalis, liberæque provisioni Episcoporum præjudicat. Pirhing. *b. t. n. 16.* Castro Palao *p. 2. tr. 13. de Benefic. dif. 1. pun. 2. num. 5.*

IV. Dividitur Præbenda, ac Beneficium in manuale, & titolare. *Manuale* est, quod ad nutum conferentis revocari, & adimi potest; quòd fere omnia beneficia regularia, exceptis electivis, pertinent, utpote quæ Prælati, qui ea contulerunt, Religiosis sibi subjectis pro lubitu auferre queunt, *Clem. un. de supplenda neglig. Prælat. & ibi Interpp.* *Titulare*, sive, ut alii vocant, *non manuale* beneficium est, quod in titulum perpetuum confertur, & semel collatum tolli non potest, nisi certis de causis à Jure statutis; hujusmodi sunt beneficia secularia, quæ suapte naturâ, & jure ordinario perpetua sunt, & irrevocabilia, nisi ex gravi, & justa causa. *c. præcepta 16. dif.*

55. c. satis 7. dif. 56. c. 2. dif. 70. Garc. *p. 1. de Benefic. c. 4. n. 16.* Pirhing. *b. t. n. 14.*

Frequens in foro *controversia* est: numquam Parochia regularis sit beneficium manuale, ita ut Beneficiati tam sæculares, quam regulares sint ad nutum Prælati amovibiles?

Difficultatem facessit Concilium Tridentinum *sess. 7. de Reform. c. 7.* quod Episcopis potestatem dedit, ut in Parochiis, quæ Monasterio, aut Collegio unitæ sunt, vicarios perpetuos, aut temporaneos constituere possint, prout ipsis pro bono Ecclesiarum regimine expedire videbitur, appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus minimè suffragantibus.

Sed cur ab affirmativa recedere debeat, non video: enimverò quòd Prælati ad Parochiam regularem vicarium tam regularem quam sæcularem ad nutum amovibilem exponere possit, habet Barb. *de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 199.* cum pluribus ibi allegatis: *Regularem* quidem, quia non est credibile, Concilium voluisse abrogare. *c. ad nostram. 5. o. porrecta 6. o. ad monasterium. 9. §. tales de Statu Monach. Clem. un. de Supplend. neglig. Prælat.* aliòsve antiquos Canones, juxta quos Regulares à beneficiis prohibitu revocari possunt, maximè cum per manualitatem æquè, imò melius provisum sit Ecclesis, quam per perpetuitatem Regularium, cum regularis Beneficiatus à recta vita, aut parochialis curæ semita deflectens facile, & absque strepitu per solum Prælatum amovetur, & melior sufficitur, sicque religiosus obedientiaris in sacræ obedientiæ vigore continetur. *Sæcularem* verò: quia si Clericus sæcularis ab Episcopo vicarius perpetuus constitui posset, Prælati in Parochia regulari privaretur jure suo, & impediretur, quin constituere posset vicarium regularem, usquedum sæcularis moreretur; quòd Tridentinum *loc. cit.* minimè concedit. Certè quòd Episcopus non

non possit Vicarium perpetuum deputare, quando à tempore immemoriali unio (scilicet Ecclesie Parochialis) facta est, & ex tunc constat, Vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus & consentientibus Ordinariis, & nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum, tenent Flores de Mena *variar. lib. 1. q. 16. n. 44.* Sanchez in *Præcept. Dec. tom. 2. lib. 7. c. 29. n. 191. p. 3. fallit.* & cum his Barb. *ad d. c. 7. Trident. n. 16.*

Potè decretum Tridentini, quod in contrarium adductum, intelligendum est de Parochiis *secularibus* Monasterio unitis, non verò de *Regularibus*, seu ita unitis, ut in illis ex arbitrio Prælati vicarii regulares, vel sæculares constitui possint: siquidem Pius V. in *Bulla: Ad exequendum. sub dat. Kal. Novemb. 1567.* expressè excepit tam mendicantes, quam alios regulares habentes Parochiales Ecclesias unitas, & decernit, ut in ejusmodi Ecclesiis possint deputari vicarii ad nutum Superiorum amovibiles ex ipsis Fratribus, ac Monachis, nec illis invito ibi Episcopi vicarios perpetuos instituire valeant. Præterea quia nonnulli Episcopi abutebantur potestate sibi datâ in Concilio *d. c. 7.* & Vicariis perpetuis tantam portionem assignabant, ut vix aliquid Monasteriis, aut Collegiis de fructibus remaneret, ideo idem Pius V. in *d. Bulla: Ad exequendum.* declaravit, quòd, cujuscunque valoris, vel oneris Parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major, quam 100. nec minor 50. Scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis assignari, nisi jam priùs ante designationem Episcopi Vicario fuerit plus dari solitum. Ad hæc notabile est, quòd in Parochiis unitis, in quibus Vicarius sæcularis exponitur, Episcopus non pro suo libitu possit instituire Vicarium perpetuum, sed in debeat facere ex justa causa, eaque deficiente appel-

latio deur. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 72. num. 190.* Garc. *de Benefic. p. 9. c. 2. num. 8.*

V. Beneficia ad se invicem comparata dividi solent in *sociabilia*, seu *compatibilia*, ut vocant, & *insociabilia* seu *incompatibilia*.

Incompatibilia dicuntur, quorum officium unus simul præstare nequit; qualia sunt ea beneficia, quæ singula residentiam continuam petunt; itémque uniformia sub eodem tecto, neque eam natura patitur, ut quis simul duobus locis continuo resideat, aut idem officium simul pluries præstet.

Rursus inter hæc aliqua sunt incompatibilia, ut unum alterum ipso jure excludat, quæ *incompatibilia primi generis* vocantur: alia sunt, quæ etsi simul absque dispensatione Pontificis licitè retineri nequeant, tamen non ita inter se pugnant, ut uno obtento alterum ipso jure vacet, etsi post secundi assecutionem à Superiore sit auferendum, dicunturque *incompatibilia secundi generis*.

Incompatibilia primi generis sunt beneficia habentia annexam curam animarum, dignitatem, personatum, aut officium. *c. multa 28. h. r. Extravag. execrabilis. Eod. Trid. sess. 7. de Reform. c. 4.* quandoquidem ipso jure primum ex his vacat, cum secundum ejusdem generis acquiritur, & si quis etiam alterum retinere contenderit, utroque privato ipso jure, & ad sacros insuper ordines, & beneficium quodcumque inhabilis existit. *d. Extravag. execrabilis.* Talia etiam sunt beneficia uniformia sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia, vel Capella, aut Cœmeterio illi contiguo, v. g. duo Canonicatus ejusdem Ecclesie, juxta *Clem. ult. h. r. c. literas. q. de Concess. præb. Trident. cit. cap. 4.* Requiritur tamen ad dictum effectum, tum ut secundum beneficium integrè sit obtentum, ejusque pacifica possessio habeatur, tum ut fructus secundi beneficii percipi valeant; aliàs

aliās enim talis possessio inutilis foret. *c. si tibi* 26. *h. t. in 6. Clem. 3. h. t. Azor. Inst. moral. p. 2. lib. 7. c. 16. q. 9. Garc. de Benef. p. 11. a. 5. n. 100.* tum ut utrumque beneficium collatum sit in perpetuum, seu titulum, seu commendam juxta Trid. *loc. cit.* Unde habens dignitatem, vel beneficium curatum, licet vicariatum generalem Episcopi acceptet, prius tamen beneficium, seu dignitatem non perdit, cum Vicarius sit ad nutum amovibilis, ut supra de Officio Vicarii diximus.

Incompatibilia secundi generis sunt cetera beneficia, quæ residentiam continuam, ac cum alio impossibilem exigunt, licet simplicia sint, prout colligitur ex Trid. *sess. 24. de Ref. c. 17.* in quibus non eò ipso primum vacat, quòd secundum obtentum sit, cum id expressum in jure non reperiatur, ut notat Less. *de F. & F. lib. 2. c. 34. dub. 27. n. 144. Azor. Inst. moral. p. 2. lib. 6. c. 10. q. 1.* Imò etiam quoad incompatibilia primi generis notandum, quamvis is, qui duo ejusmodi beneficia retinuit, primo ipso factò ita privetur, ut nullà opus sit sententià Judicis, secundi tamen beneficii, licet itidem titulum & proprietatem statim perdat, possessionem nihilominus retineat, donec per sententiam privetur, prout idem Less. *d. lib. 2. c. 34. dub. 27. n. 143.* docet.

Beneficia *compatibilia* dicuntur, quorum officia præstari possunt; qualia sunt beneficia in diversis Ecclesiis, quæ nullam, vel non impossibilem residentiam exigunt; veluti si ex statuto, aut consuetudine recepta in uno v. g. Canonicatu, tres vel sex, in altero totidem menses residere sufficiat, contra Trid. *sess. 24. de Ref. c. 12.* quòd residentiam continuam, aut saltem novem mensium postulat. Layman. in *Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 8. n. 6.* Talia etiam sunt beneficia difformia in eadem Ecclesia, quorum obligatio ab uno suscipi, & commodè impleri potest; v. g. Præpositura, vel Decanatus, & simplex canonicatus: Pirthing. *b. t. n.*

136. Less. *de F. & F. lib. 2. c. 34. n. 144.* Navar. *h. t. consil. 26.* Quòd probabiliter etiam revocari possunt duo altaria ejusdem Ecclesiæ propter diversa onera, & officia illis annexa; ut si in uno bis, in altero ter, aut quater hebdomadam distinctis diebus celebrandum esset. Navar. *h. t. consil. 16.* Pirthing *n. 138.* Atque de hujusmodi beneficiis compatilibus sentendum, ea tum demum juxta Trident. *sess. 24. de Reform. c. 17.* licetè simul obtineri posse, si pro congrua sustentatione necessaria sint, & simplicia, quod addo: quia licet ante Tridentinum potuerint etiam plura curata beneficia possideri, si ita erant tenuia, ut non possent proprios Sacerdotes alere, per *c. eam 11. c. de Et. at. qualit. & ord. presic.* hodie tamen id sine Apostolica dispensatione non amplius licet, teste Less. *cit. c. 34. n. 147. in su.*

§. V.

Causa efficiens Præbendæ, seu beneficii alia est remota, alia proxima.

Remota est jus. Sed quale? Existimem beneficia, ac præbendas eatenus jure Divino positivo esse introductas, in quantum deserviunt pro retributione temporali Divini officii, & pro necessaria sustentatione Ministrorum Ecclesiæ: ita enim edicit æterna Veritas: *dignus est operarius cibo suo. Matth. 10. v. 10.* Cui succlamat Doctor Gentium. *1. ad Corinth. 9. v. 17. Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, & qui Altari deserviunt, de Altari vivant.* Quoad titulum verò beneficiale, & modum & formam prædictæ retributionis temporalis, præbendas esse de jure humano, & sub absoluta Papæ dispensatione, sæ abundè constat ex *c. omnes 1. dist. 22.* ubi dicitur Romanam Ecclesiam instituisse Patriarchatus, Primatus, Archi-Episcopatus, Episcopatus, & cujuslibet ordinis dignitates, & ex *c. in illis 2. dist. 80. c. licet 2. pr. h. t. in 6.* ubi habetur, *Ecclesiarum, Personatum.*

Dignitatum, aliorumque beneficiorum plenariam dispositionem ad Romanum Pontificem pertinere. Confer Azor. *Instit. moral.* p. 2. lib. 6. c. 1. q. 1.

13 Proxima sunt illi, qui præbendas, seu beneficia erigunt, instituunt, aut fundant: nempe S. Pontifex, Episcopus, Capitulum, vel privatus.

S. Pontifex solus erigit beneficia majora, seu Dignitates Ordinis, ac Collegii Ecclesiastici. *c. omnes. 1. c. sacrosancta. 2. dist. 22. de quo infra p. 2.*

14 Episcopus in sua Diocesi creat omnia minora beneficia: *c. nemo. 9. dist. 1. de Consecrat. c. nullus omnino. 11. causa 16. q. 7. Trident. sess. 24. de Reform. c. 13. ex seculari regulare facit, non e contra, nisi auctoritate R. Pontificis. c. inter quatuor. 5. de Religios. domib.*

Dubitari hoc loco potest: num inferior Episcopus, præsertim Prælatus exemptus, aut nullius Diocesis beneficium Ecclesiasticum instituere, ejusque institutionem autorizare possit? Quod negandum, nisi habeat suffragium Episcopi Diocesani, aut privilegium speciale à Sede Apostolica. *c. auctoritate 4. de Privil. in 6. vel jurisdictionem quasi Episcopalem: quia talis quoad ea, quæ jurisdictionis sunt, regulariter omnia potest, quæ Episcopus in sua Diocesi, Barb. J. E. U. lib. 1. c. 17. n. 94. Chockier lib. 1. q. 17. n. 25. & lib. 4. q. 20. n. 1. intelligitur autem Prælatus exemptus habere jurisdictionem quasi Episcopalem, quando ei jurisdicção collata est non solum in suam Congregationem, seu Collegium, sed etiam extra per totum aliquod territorium, certis limitibus finitum, ita ut ea competat in Parochos & Parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi. Secus dicendum de Abbate exempto, qui solum in eos, qui de Collegio sunt, jurisdictionem exercet. Azor *Instit. moral. tom. 2. lib. 3. c. 28. P. Engl. de Privileg. Monast. privil. 46.**

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

Capitulum præbendam tantum in specie, ac proprie dictam instituit, ac suppressam dignitatem restaurat. *c. dilectus. 19. h. t. c. cum accessissent. 8. de Constit. Canonatus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis instituere in actu erectionis spectat ad S. Pontificem, post erectionem verò potest etiam Episcopus cum consensu Capituli alios de novo creare, maximè si Canonorum numerus præscriptus, & Ecclesia numerata non sit, eò quòd Canonatus appellatione beneficiorum comprehendantur. Barb. de Canon. & dignit. c. 2. n. 21. & seqq. ita ut si nova supperadditio pure fiat, novi Canonici in nullo differant ab antiquis, & iisdem cum iis prærogativis gaudeant; secus si cum restrictione. Fagnan. in d. c. cum dilectus. h. t. n. 21. & 22. Jo. Bapt. de Luca in *Theatr. verit. tom. 12. tit. de Can. & Capitul. disc. 6. n. 2. & 3.* Quòd si Ecclesia numerata, & à S. Pontifice certus Canonorum numerus præfixus fuerit, videtur denegata potestas inferioribus numerum augendi, ut docet idem Jo. Bapt. de Luca *cit. disc. n. 4.* nisi forte postea proventus, & facultates Ecclesiæ excreverint, ut limitat Gratian. *discept. forens. § 19. num. 21.* cum Panormit. Butr. Imola, & aliis in *c. cum. M. Ferrariensis. 9. de Constit.**

Privatus beneficium fundat non per se, sed cum licentia, & auctoritate Episcopi. *c. nemo de Consecr. dist. 1. Eà non accedente privata oratoria construit, & dotat. c. unicuique 33. ead. dist. 1. c. fin. de Consib. c. patentibus. 10. de Privil. ut amplius n. 20. dicemus.*

Hic scrupulus incidit: an ei, qui bona sua confert ad novi beneficii fundationem, pacisci, & conditionem adjicere liceat, ut illud sibi beneficium conferatur?

Dixeris, id licere, eò quòd in fundationibus Ecclesiarum, ut major sit hominum ad Ecclesias fundandas promptitudo, honestæ conditiones admittantur. *c. præterea. 23. de*

F

Jure

Jure patronat. c. verum. 4. de Condit. appof.
 Qua ratione motus P. Engl. *de Elect. n. 1.* tenuit, posse Patronum Ecclesiasticum, aut sibi, aut alii Praelato, vel Capitulo in Ecclesia fundata jus eligendi referuare. Deinde cum juxta Azor. *tom. 2. Instit. mor. lib. 6. c. 4. q. 25.* & communem DD. fundatori liceat beneficium instituere, ea lege, & conditione, ne ullus, nisi ex sua familia, vel gente præficiatur; non est, cur eidem fundatori non liceat beneficium instituere ea lege, & conditione, ut ipsemet præficiatur.

Verum negativa unanime Canonistarum suffragium jam dudum merita est, partim propter textus generales in *c. non est putanda 27. causâ 1. q. 1.* & in *c. ex multis. 9. causâ 1. q. 3.* partim propter textum specialem in *c. tua nos. 34. de Simonia.* qui disertè habet: *quòd si quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non possit sine vitio Simonia: cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat, juxta canonicas sanctiones.* Ubi Fagnan. *n. 3.* in terminis notat, esse simoniam fundare, vel dotare Canonicatum, vel aliud beneficium Ecclesiasticum cum eo pacto, ut beneficium illud sibi conferatur. Profectò quod *ibi* statuitur de præbenda nullatenus ex pacto conferenda fundatori ejusdem, hoc idem statuendum de alia quavis præbenda, quam aliquis sibi, aut alicui suorum conferri pacisceretur, dum fundat aliud beneficium, quasi in compensationem, & remunerationem antidoralem, aut in permutationem suæ novæ foundationis. Augebitur verò, & gravius erit simoniæ delictum, si pactio hujusmodi fiat super beneficio necdum fundato, sed fundando, ut contingit, cum quis ad obtinendum sibi, aut filio suo beneficium jam existens, confert prædium, vel nume-

ratam pecuniam, ex qua novam aliud fundetur beneficium: tunc enim fit communitio rei temporalis ad rem sacram, ex quo beneficium fundandum non est beneficium, & priusquam facta, & ab Ordinario recepta, & approbata sit fundatio, prædium, aut pecunia ad hoc destinata manet adhuc sub genere rei merè temporalis, & profana, atque sub ista conditione magis reprobabitur per *d. c. tua nos.* Diversum obtinet, si fundator remota omni pactio, & intentione simoniacâ etiam occultâ & mentali gratis, & liberaliter sua bona donaret, & postea roga- ret, ut sibi beneficium à se fundatum liberè & spontaneè conferretur. *d. c. tua nos. & ibi Fagnan. n. 23. & seqq. Azor. Instit. moral. p. 3. lib. 12. c. 7. q. 2.*

Rationes in partem oppositam supra adductæ procedunt, quando in foundationibus conditiones honestæ apponuntur, non verò in hypothese, in qua Ecclesia conditionem adjectam damnat, ac improbat. Unde nec paritas vim habet, quandoquidem argumentum à pari, aut simili nunquam concludit contra expressam juris dispositionem. Eberhardus in *argumentis legalib. loc. à simili.* Et notat Barb. in *loc. commun. argument. jur. loc. 101.* argumentum à simili esse valde fragile & infirmum, ac facile sterni posse, cum oporteat paritatem esse in puncto; quod præcipuè in materia morali verum est, in qua cum bonitas & malitia ab unica sæpe pendent circumstantia, facillimè fieri potest, ut unius circumstantiæ atomus oculum, & considerationem fugiat, & ita periculosissimè ab uno ad aliud trahatur consequentia.

§. VI.

Subjectum præbendæ, seu beneficii est is, cui confertur. Requiritur autem ex parte ejus, cui confertur, ut sit habilis, legitime ætatis, scientiæ, non suspensus, non excommunicatus, irregularis, indignus: item ut sit

fit Clericus vel sæcularis, vel regularis pro qualitate beneficii, prout latè de hujusmodi conditionibus differuimus in lib. 1. ad tit. de Elect. §. 4. & in tit. de Etat. & qualit. & ord. præficiend. per tot. Duæ tamen superflunt quæstiones non indignæ, quibus immoremur.

Prima est: utrùm Religiosi de jure, & absque dispensatione Apostolica sint capaces sæcularium beneficiorum curatorum?

Qui in negativam propendent, opponunt primò *c. in Ecclesiis. 1. de Capell. Monach.* ubi Urbanus III. hæc statuit: *In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, Populus per Monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat ab Episcopo per consilium Monachorum instituitur: ubi Glossa notat, quòd Monachi curam populi habere non debeant. Cui consonant c. placuit. 1. c. de Monachis. 3. c. Monachus. 4. c. placuit. 8. c. interdicimus. 10. causà 16. q. 1.* Secundo obtendunt vulgatam regulam, quæ habet: *Beneficia regularia Regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda esse, juxta c. cum de beneficiis. 5. c. cum singula. 32. h. t. in 6. Clem. un. de Supplend. neglig. Pralat.* Ad hæc tertio Paulus IV. Anno 1558. in Bulla, quæ incipit: *Postquam Divina bonitas nominatim prohibet, Regulares ad beneficia sæcularia aliter, quam ex Papali dispensatione promoveri: & sub Gregorio XIII. emanavit Decretum Congregationis Concilii Tridentini, quò expressè promotionem Regularium ad Beneficia sæcularia interdixit: Gonzal. ad Reg. Cancell. gloss. 7. num. 53. Sanch. lib. 7. in Decal. c. 29. num. 71. Garc. de Benefic. 7. p. 10. n. 21. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 4. Pirhing. num. 118. h. t. qui, & plures alii contendunt, jure saltem novissimo Regulares curata beneficia sæcularia sine dispensatione Papæ obtinere non posse.*

At verò quàm multos isti, & unà seipfos scelererint, in propatulo est: etenim jure anti-

quo regulares beneficiorum curatorum sæcularium capaces esse, clamant *c. quòd Dei timorem. 5. de Statu Monach. Clem. 1. de Elect. c. nullus Religiosus. 28. c. si Abbatem. 36. Eod. in 6. c. doctos. 21. & quatuor seqq. causà. 16. q. 1.* Imò Gregorius XV. in Bulla, quæ incipit: *Salvatoris nostri Jesu Christi* perspicuè fatetur, quòd longà, & continuatà multorum sæculorum serie Ecclesia ipsa nullos alios, quàm Familiæ Benedictinæ Alumnos Pontifices habuerit, ex eaque jam ab antiquissimis temporibus admirabili doctrina & sanctitate præditi Viri propè innumerabiles prodierint. Et quidem non tantùm intra septa Monasterii, ut dicitur, sed in toto pene terrarum Orbe, cum pleræque gentes per religiosos ad fidem conversæ fuerint, ut passim Annales profitentur. Id ipsum probatur ex Jure novissimo Tridentini, quod *sess. 14. c. 11. de Reform.* statuit, ut omnis Religiosus, ex alio Ordine translatus, etiamsi Canoniarum Regularium fuerit, ad beneficia sæcularia etiam curata, omninò incapax existat. ergo supponit Tridentinum, Religiosos, si ex alio Ordine translati non fuerint, esse illorum beneficiorum capaces, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Ita P. Engl. de Privileg. Monast. privil. 45. Bordon. de jure Paroch. num. 51. Præterea non est dubium, quin consuetudo jus pariat, & legem abroget *c. fin. de Consuet. l. 32. cum seqq. ff. de LL. Panormit. in c. cum liceat. de Præscript. & in c. 1. de Capell. Monach.* ubi ait, contra constitutionem hujus *c. 1.* consuetudinem valere. Atqui consuetudo obtinuit, ut regulares admittantur ad beneficia sæcularia absque ulla S. Pontificis dispensatione, & obtentâ duntaxat sui Superioris licentiâ; Et hæc consuetudo tantò magis probanda est, quòd cum jure communi conveniat.

Nec argumentis contrariis hæc sententiâ enervatur. Nam ad Canones, qui videntur

Monachis adimere Clericorum munia, respondetur cum S. Th. *opusc. 19. contra impugnantes Religionem. c. 4. & 2. 2. q. 187. a. 1. & q. 188. a. 4. & 5.* quod solum loquantur, de illis Monachis, qui nec Sacerdotes erant, sed solitarii & eremita, non verò de illis, qui ad hoc vocati sunt, & qui non ex propria auctoritate id faciunt, sed ex commissione suorum Prælatorum. Quod attinet illam regulam universalem, *beneficia secularia secularibus, & regularia regularibus conferenda esse, ea exceptionem patitur in beneficiis secularibus curatis, quæ possunt Regularibus conferri, per text. & Gloss. in c. in parochia. causâ 16. q. 1. & c. quod DEI timorens. 5. de Statu Monach.* Addo, quod æquè prohibeantur beneficia regularia, & Monasteriis unita secularibus conferri, ac secularia Regularibus, juxta Trident. *sess. 24. de Reform. c. 10. & tamen passim videas, Clericos seculares assumi, & promoveri ad beneficia curata Regularium; ergo idem jus erit in promotione Regularium ad beneficia secularia: cum parium eadem debeat esse dispositio juxta vulgata. Et sanè incivile foret Regulares à Clericis secularibus penitus excludi, dum Regulares eos in confortium admittunt. Minus obstat Bulla Pauli IV. & Decretum S. Congregationis supra oppositum: quoniam Bulla Pauli IV. omnino revocata & ad terminos juris communis reducta est per aliam Bullam Pii IV. quæ incipit: *Sedis Apostolica solertia. Anno 1560.* ut videre est apud Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 29. n. 71.* & Tambur. *de jure Abb. tom. 3. disp. 9. q. 8. n. 13.* Decretum verò Congregationis, præterquam quòd loquatur solum de Canonicis Regularibus, adeoque tanquam odiosum ad Regulares omnes extendi non debeat, nunquam fuit promulgatum, nunquam observatum, & multoties contra illud in Rota Romana decisum, teste Tambur. *cit. q. 8. n. 12.* & ipso Gonzal. in recentiori editione *Gloss. 7. n. 35. §. ceterum.**

Porro an Regularis de sui Prælati licentia, & consensu ad curatum, seu parochiale beneficium seculare per collationem, aut institutionem canonicam tituli collatoriam assumptus, beneficiarius, ac parochus perpetuus sit, an verò amovibilis per Prælatum regularem? item an talis Religiosus suo Prælato Regulari in omnibus subiectus maneat, vel solum Episcopum Diocælanum, seu Ordinarium loci Prælatum, & Superiorem suum recognoscat? disputat noster Petrus de Murga *tr. de Benefic. q. 2. a. 1. à num. 259.*

Alteram quæstio est: an licitum sit, uni plures præbendas, ac beneficia simul conferre, aut recipere?

Hujus quæstionis decisio extat in Trident. *sess. 24. c. 17. de Reform.* ubi ita decernit: *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurimum officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere, in duabus Ecclesiis conscribi, verum quoniam multi improba cupiditatis affectu se ipsos, non DEUM decipientes, ea, qua bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescant, Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsentis decreto, quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiam Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari. statuit, ut impostertum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hacque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia, quam regularia quacunque etiam commendata pertineant, cujuscunque tituli, ac qualitatis existant. Quod quidem meritò sancitum, & statutum ob multas inordinationes, quas ejusmodi præbendarum plu-*

pluralitas involvit: etenim exinde sequitur *primò* diminutio cultûs Divini, dum unus loco plurium in diversis Ecclesiis instituitur: *Secundò* defraudatio piarum intentionum, quas habuere præbendarum fundatores, ut quidcirco bona sua Ecclesiis contulerunt, ut pro modo, & ratione facultatum sustentarentur personæ ad ministerium Ecclesiasticum deputatæ, quod evertitur, dum unus duorum loca occupat: *Tertiò* damnosa, & iustitiæ distributiæ adversa inæqualitas inter personas ejusdem ordinis, & conditionis, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum suæ sustentationi necessarium habere potest. Hinc rectè S. Bernardus, relatus à D. Th. *quodlib. 9. art. 15.* dicebat, quod *qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures futurus sit in suppliciis.* Ast

Dubitatur I. Ob quas causas S. Pontifex, & respectivè etiam Episcopus dispensare possit, ac soleat, ut unus plura beneficia consequatur, & retineat?

R. Esse plures: *prima* est necessitas Ecclesiæ, quæ contingit, quando idoneorum Ministrorum est penuria: *Secunda* est utilitas Ecclesiæ, si nimirum tanta sit alicujus prudentia, industria, ac doctrina, ut solus plus speretur emolumenti allaturus, quam plures alii: *Tertia* est eminens alicujus literatura, vel nobilitas generis, aut evidens meritorum prærogativa per *c. de multa. h. t.* *Quarta*, & potissima est exiguitas reddituum unius beneficii, ita ut unum ad congruam sustentationem non sufficiat. Trident. *loc. cit.* Azor. *Institut. moral. tom. 2. lib. 6. c. 12. q. 2.* Panormit. in *d. c. de multa. n. 7.* Alphons. Hojeda *de Benefic. incomparib. p. 2. c. 12. n. 18.* Causâ ejusmodi deficiente dispensatio, quantumvis à R. Pontifice concessa, nullius est roboris, utpote sub- & obreptitia, nec provisus vi talis dispensationis est in conscientia securus. Panormit. in *c. quia in tantum. num. 2. h. t.* Fagnan. *ibid.*

num. 4. Passerin. *ad c. 1. de Consuet. in 6. q. 2. a. 1. num. 352.* & B. Albertus M. qui cuidam, qui super pluralitate beneficiorum idoneâ causâ destitutam dispensationem impetraverat, reposuit: *poteras ire in infernum sine dispensatione, nunc ibi cum dispensatione.*

Dubitatur II. Utrum, quando beneficia simplicia sunt compatibilia, & unum non sufficit ad congruam sustentationem, liceat tunc non tantum duo, sed tria, quatuor, vel plura obtinere?

Complures existimant, non licere sine dispensatione Apostolica ultra duo recipere, eò quod Trident. *sess. 24. de Reform. c. 17.* solummodo concedat, ut liceat aliud (quod verbum est singularis numeri) consequi, si unum non sufficiat. Barb. *ad Trident. d. 6. 17. num. 4. & de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 62. per tot.* Garc. *de Benefic. p. 11. c. 5. n. 310.* ubi refert, ita sæpius censuisse S. Congregationem Concilii.

Verum probabilius alii cum Azorio *p. 2. lib. 6. c. 11. q. 8.* sustinent, non tantum duo sed, si duo non sufficiant, tria, quatuor, vel plura, usque ad congruam sustentationem sine dispensatione obtineri posse: partim quia Concilium Tridentinum in *cir. c. 17.* non loquitur limitativè per particulas taxativas *solum, tantum,* & similes, ac proinde non censetur voluisse coarctare Ordinarii auctoritatem ad conferendum secundum beneficium, ita ut nequeat conferre tertium, si duo ad sustentationem non sufficiant: partim quia idem juris esse videtur, quando tria, quatuorve competentem sustentationem non suppeditant, modò non plura, quam æquum sit, in eadem persona coacerventur. Quæ sententia præsertim in Beneficiis de jure patronatus Laicorum procedit: nam universalem præxin esse, ut Episcopus instituat præsentos à Patronis, tamen tertium, & quantum habeant beneficium, testatur Lambert. *de Jura*

Patron. p. 1. lib. 2. q. 7. c. 15. n. 15. Barb. ad Trident. d. c. 17. n. 8. & contra Lambert. §. VII.

19 *Materia*, seu *Objectum* Præbendæ, ac Beneficii partim est temporale, & profanum, partim verò spirituale. *Profanum*, seu *temporale* sunt bona Ecclesiæ, hoc est, bona ac prædia Deo dicata, & Ecclesiæ pro dote donata, ex quibus redditus beneficiales percipiuntur. *Spirituale* est Divinum officium, quod beneficium annectitur, ejusque radix, ac fundamentum est. *c. fin. & ibi DD. de Rescript. in 6.*

§. VIII.

20 *Forma* Præbendæ, seu Beneficii Ecclesiastici desumitur à requisitis, quæ plura:

Primum est, ut Præbenda, seu beneficium Apostolicæ, seu ordinariæ auctoritate erectum sit. *Gloss. in Clem. 2. in fin. V. si beneficiorum & ibi communiter DD. de Decimis. Dec. consil. 210. sub num. 4. Felin. consil. 41. num. 5. & consil. 45. num. 3.* Unde si quis Anniversarium, vel certas missas, aut preces etiam in perpetuum fundet, Episcopi verò consensus, aut approbatio non accedat, beneficium nunquam erit, sed simpliciter pium legatum, vel donatio, aut simplex deputatio Sacerdotis. *R. Engl. b. t. num. 1. & dico 4. Pyr. Corrad. in Prax. benefic. lib. 1. c. 2. num. 1. & seqq. Rotam una Melphitem. Legati pii. de Anno 1529. coram Dunozetto.* Consequenter neque aliquod jus patronatûs exinde quaritur fundationi: *Rota dec. 161. num. 3. p. 2. in Recent. neque deputatus ad titulum ejusmodi donationis ordinari poterit, & si in majoribus necdum constitutus sit, non tenebitur ad Horas Canonicas, utpote necdum beneficiatus. Pyr. Corrad. d. c. 2. num. 44.*

Altioris inquisitionis est: utrum ad hoc, ut probetur existentia Beneficii, necessaria sit justificatio auctoritatis Episcopalis expressæ, vel an sufficiat justificatio tacitæ? Et videtur sufficere justificatio auctoritatis tacitæ, quæ

videlicet elicitur ex actibus, qui non possunt accidere, nisi in beneficiis Ecclesiasticis, sed scienter, non ignoranter gestis. Quomobrem si Episcopus consecraverit Ecclesiam, censetur illam in Ecclesiasticum beneficium erexisse: cum consecrationis actus repugnet statui privati Oratorii. *c. nemo. 9. de Consecr. dist. 1. Panormit. in c. auctoritate. n. 2. de Censib.* Similiter si Episcopus sciens statum rei consecret aliquod altare, vel capellam jam fundatam, vel ordinatam per aliquem fundatorem, satis dicetur illud, vel illam in beneficium instituisse, eò quòd actus conferendi in titulum perpetuum non possit cadere, nisi in beneficium Ecclesiasticum. *Dec. consil. 248. sub n. 2.* E contra si concedat duntaxat facultatem celebrandi missas in hujusmodi Capella seu altari, illud vel illam nequaquam in beneficium Ecclesiasticum erexisse, aut instituisse censetur: cum actus hic cadat etiam in privatis Oratoriis, in quibus non potest celebrari nisi de Episcopi licentia. *c. si quis etiam in fin. de Consecr. dist. 1. Pyr. Corrad. in Prax. Benef. lib. 1. c. 2. n. 23. Panormit. in c. ult. sub num. 3. & Oratorium verò de Censib.* Atque cum hoc temperamento accipio Rebuffi, in *Prax. Benefic. sub tit. quid sit benefic. num. 8.* quando asseruit, in dubio Capellam fundatam ad serviendum DEO, licet non appareat de approbatione Episcopi, præsumi beneficium Ecclesiasticum.

Secundum requisitum est, ut habeat aliquid spiritualitatis annexum; quamvis enim beneficium sit jus percipiendi redditus, qui per se res temporales sunt, debet tamen hoc jus percipiendi redditus dari, & competere propter officium Divinum, & spirituale ministerium. *c. fin. de Rescript. in 6. Pyr. Corrad. in Prax. benefic. lib. 1. c. 3. n. 67.* Hinc præbendæ merè temporales, v.g. Musicorum, Advocatorum, aliorumve Ministrorum laicorum, etsi in latiori sensu præbendæ dicantur, beneficia

nam appellari nequeunt, & nunquam beneficiorum nomine intelliguntur, quoties de iis in genere sermo est. Panormit. p. 2. consil. 47. num. 1. Garz. de Benefic. p. 1. c. 2. num. 7.

22 Tertium est, quod beneficium conferri non possit, nisi à persona Ecclesiastica, puta à S. Pontifice, Episcopo, vel alio Prælato, nullo modo autem à Laico: tamen enim laici ex speciali juris privilegio capaces sunt juris patronatus, vi cuius possunt aliquem Clericum pro suo placito ad beneficium præsentare, juris tamen conferendi beneficia, vel instituendi omnino incapaces sunt, cum id solummodo Prælati Ecclesiastici competat. c. si quis 12. & seq. c. per laicos. 20. c. laici. 24. causa 16. q. 7. c. 3. de Instit. ubi laici ad conferenda beneficia Ecclesiastica simpliciter inhabiles declarantur. Proinde si aliqua Capellania, aut anniversarium ita fundatum sit, ut hæres, vel alius laicus sine institutione Episcopi ad talem capellaniam sacerdotem constituere possit, hoc ipsò beneficium Ecclesiasticum non erit. P. Englb. t. num. 3.

23 Quartum requisitum est, quod beneficium conferri debeat Clerico: quandoquidem laicus incapax est beneficii Ecclesiastici, tanquam rei spiritualis, vel saltem spirituali annexæ. c. cum adeo. 17. & ibi Gloss. de Rescript. c. in Ecclesia. 2. de Instit. Ex quo fit, quod Clericus hoc ipsò, quod matrimonium contrahat, & statum clericalem deserat, ipso jure beneficium perdat, nec obtinere possit. c. 1. 2. & 3. de Clericis conjug. deinde quod etiam ad hanc non possit laico beneficium concedi, quanquam immediatè post vellet fieri Clericus. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 2. n. 6. nec collatio laico facta superveniente postmodum Clericatu revalidetur, sed semper maneat invalida. Paris. de Resignat. benef. lib. 4. q. 2. n. 1. & 32. Garc. de Benef. p. 1. c. 2. n. 28. Carol. de Grassi. de Effect. clericat. effect. 15. n. 1. & 9.

Quintum requisitum est, ut beneficium sit perpetuum, & ut non conferatur ad certum tempus, nec sub conditione, sed regulariter ad vitam Beneficiati per text. in c. sanctorum. 2. dist. 70. c. penult. de Cleric. agrot. ac propterea in c. 2. & 4. h. t. constitutum est, ne Clericus sine titulo, vel sine beneficio ordinetur, unde scilicet toto vitæ tempore habeat sustentationem. Hæc tamen perpetuitas non obstat, quin beneficia regularia, & ea, quæ manualia dicuntur, sint verè beneficia: quod enim illorum beneficiati sint tantum manuales, & ad nutum superioris etiam absque legitima causa amovibiles, id non habent ex sua institutione, ex qua illis competit perpetuitas, sed ex privilegio, ac ex eo, quod is, qui ita obtinet, Superiori quoad officia, habitationem, & vitæ directionem subiectus sit. Layman in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 1. Verum illud fateamur oportet, quod beneficium manuale non sufficiat pro titulo ad sacros Ordines suscipiendos: Paris. de Resignat. benef. lib. 2. q. 6. num. 2. & 3. Garc. de Benef. p. 1. c. 3. num. 83. cum civitatis: nec Beneficiatus manualis possit intitulari, seu, ut Practici loquuntur, investiri, quandoquidem intitulatio repugnat manualitati.

Disceptatur I. Utrum nomine beneficii Capellania veniat? Pro resolutione.

Præmitto I. Capellaniam esse onus celebrandi annuatim missas ad certum altare à Testatore, vel alio Institutore designatum, cum jure recipiendi stipendium pro labore ad sustentationem Capellani.

Præmitto II. Capellaniam aliam esse Ecclesiasticam, aliam laicalem. Ecclesiastica dicitur, quæ à Patrono proposita pro celebratione Missarum auctoritate Episcopi erigitur in titulum, ab eodem, vel alio Prælato conferendum Clerico apto ad celebrandum: Laicalis est, quæ sine auctoritate Episcopi à Te-

statore, vel alio instituta confertur ab illis, vel eorum heredibus, aut aliis Sacerdoti, qui assumit onus, & obligationem celebrandi missas secundum intentionem Fundatoris. Illa *collativa*, hæc *electiva*, seu *simplex* capellania indigitatur. Suarez *lib. 4. de Horis Canon. c. 22. n. 11.* Castro Palao *de Benef. disp. 1. p. 6. per tot.* Quibus præmissis.

Respondeo, Capellaniam *Ecclesiasticam*, cum habeat omnia requisita ad beneficium Ecclesiasticum, nomen beneficii mereri, ideoque ealem Capellanum teneri ad recitandum Divinum officium: Garc. *de Benef. p. 1. c. 2. n. 81.* Navar. *consil. 5. & 7. b. t.* & gaudere privilegio fori juxta Trident. *sess. 23. de Reform. c. 6.* ubi Barb. *num. 16.* Jacob Pignatell. *tom. 3. consult. 7. n. 15.* Capellaniam verò *laicalem*, seu *electivam*, ex quo non est fundata auctoritate Episcopi, & non ab eo, aut alio Prælato habente jura quasi Episcopalia, sed ab aliis etiam laicis confertur, beneficiis accenseri non posse, ac proinde nec obligationem recitandi Horas canonicas, nec privilegium fori secumferre. Diana. *p. 1. tr. 2. resol. 31.* Bordon. *de Privil. fori cleric. c. 5. n. 25.* Rota *p. 2. dec. 254.* Addo tamen, Capellaniam in dubio, & si non constet, qualiter initio fuerit instituta, præsumi esse beneficium Ecclesiasticum, maximè si appareat de aliqua collatione ab Episcopo facta: nam ultimus status attendendus est juxta *c. cum de beneficio. 5. b. t. in 6.* nec præsumendum, Prælatum sibi usurpasse jus alienum. Merlin. *dec. 501. n. 7.* cum Gonzal. *gloss. 5. n. 50.* Garc. *de Benef. p. 1. c. 2. n. 113.* Pyr. Corrad. *in Prax. Benef. lib. 1. c. 2. n. 58. & 59.* Secus, si clarè constaret de anteriori statu laicali. Rota *p. 5. Reccen. tom. 1. dec. 238. n. 2.* Bordon. *de leg. missar. c. 6. num. 16. & 39.* Garc. *cit. c. 2. n. 115. & seqq.* Pyr. Corrad. *cit. n. 59.*

26 *Disceptatur II.* Num Commenda propriè sit beneficium, seu præbenda Ecclesiastica?

Videtur negare Glossa in *c. qui plures 3. causà 21. q. 1.* quatenus ait, Commendatarium non esse Prælatum, sed solum Procuratorem, & Depositarium beneficii: commendatio namque est quasi depositio, seu commendatio beneficii, dum nimirum non confertur in vim absoluti tituli, sed illius duntaxat administratio committitur per *c. obitum. 16. & c. Carinensis. 17. dist. 81.*

Ego distinguo inter commendam temporalem, & perpetuam. *Temporalis* est, quæ fit propter utilitatem Ecclesiæ ad tempus; puta quia Parochus, aut Beneficiatus propter temporale impedimentum obligationi suæ satisfacere nequit, quo casu non tantum S. Pontifex, sed etiam Episcopus, vel Abbas jurisdictionem quasi Episcopalem habens jus Ecclesiæ alteri ad tempus commendare potest, modò Ecclesia parochialis non ultra sex menses commendetur. *c. nemo 15. de Elect. in 6.* Et hæc commenda, seu vicaria temporalis, beneficium dici non potest. Dessel. *b. r. theor. 17.* Jacob Pignatell. *tom. 3. consult. 7. num. 16.* Perpetua dicitur, quæ non tam propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ, quàm in favorem personæ conceditur cum facultate disponendi de beneficio, & fructibus beneficii instar veri beneficiati. Quæ commenda verum beneficium est, cum sit titulus canonicus: Gloss. & DD. in *d. c. nemo 15. commendare de Elect. in 6.* Rota *p. 3. dec. 765. num. 5.* & ideo inventa, ut aliàs inhabili ad titulum beneficii (sicuti est existens in minori ætate, vel habens beneficium incompatible, aut Clericus secularis respectu beneficii Regularis, Abbatix, vel Prioratus) saltem sub commenda idem beneficium conferri valeat. Rebuff. *in Prax. benef. tit. de Commenda. num. 7.* Hodieda *de incompatib. benef. p. 1. c. 24. num. 15. in fin.* Fagnan. *in c. cum ad nostram. num. 3. de Elect. Barb. J. E. II. lib. 3. c. 9. num. 24.* ubi commendam pec-

petuam appellat dispensationem palliatam ad obtinendum beneficium aliquod alioquin respectu talium personarum obtineri prohibitum. Atque ea de causa hæc commenda à solo S. Pontifice concedi potest, ut qui solum potest dispensare super tali inhabilitate. Trident. sess. 7. c. 4. sess. 24. c. 17. de Reform. & sess. 25. c. 21. de Regularib.

Nec hisce sic dictis refragatur Gloss. nam sententia ejus locum habet in beneficio commendato ad tempus, & hanc esse illius intentionem, ex textibus c. 16. & 17. dist. 81. quos citat, apparet. Et verò Commendatarium perpetuum proprie salutari Prælatum, decidit Rota dec. 346. num. 2. p. 3. Divers. nec esse solum Procuratorem, aut depositarium, sed dominum fructuum, sicut alios titulares, innuit forma commendationis, de qua Rebuff. in Prax. Benefic. tit. de Commend. num. 28. & de Pacif. possess. num. 43.

27. Disceptatur III. Utrum præstimonium beneficium adnumerari debeat?

Ita statuit Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloss. §. 2. num. 10. Azor. Institut. moral. p. 2. lib. 3. c. 7. q. 1. & cum his Castro Palao p. 2. tr. 13. de Benef. Eccles. disp. 1. punct. 7. eò quòd sub nomine beneficium comprehendatur tum in c. fin. de Concess. præb. in 6. tum in Trid. sess. 14. c. 9. & sess. 23. c. 18. de Reform. Quod & ipsa nominis ratio & definitio indicat: quippe præstimonium dicitur, quia datur munus, seu obsequium præstanti, estque certum aliquod stipendium ex Ecclesiasticis redditibus Clericis studentibus in subsidium dari solitum & quidem propter officium spirituale, cum sic præstimoniatu Horas Canonicas recitare teneantur. Navarr. c. 21. de Orat. n. 9. Sotus de Just. lib. 10. q. 5. art. 3. Suarez lib. 4. de Hor. Can. c. 22. n. 8. Interim si præstimonium non detur in titulum, sed ad certum tempus, vel si detur absque onere spirituali, naturam beneficium proprium non participat, de

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

quo præstimonium genere accipiendi sunt Panorm. & Felin. in c. postulasti. num. 8. de Rescript. Gigas de Pension. q. 28. num. 5.

Disceptatur IV. Anne pensio, id est, jus exigendi certos fructus ex alieno beneficio, pro beneficio habenda sit?

Affirmant Paulus Roman. de Pensionibus. c. 6. n. 34. & c. 7. n. 16. Fagnan. in c. ad audientiam. 31. de Rescript. num. 131. ubi asserit S. Congregationem die 18. Decemb. 1576. declarasse, Pensionarium censi beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio fori. Primò propter text. in d. c. ad audientiam. ibi: recipientes ab eis pensiones, seu alia beneficia pronomen enim alia similia denotat. Menoch. lib. 1. de Arbitr. q. 80. n. 122. Secundo quia pensio in titulum data dici potest jus perpetuum percipiendi fructus, ex quo non finitur durante vitâ Pensionarii, quæ autem pro tota vita conceduntur, perpetua reputantur.

Nihilominus verius censeo, pensionem Ecclesiasticam beneficium non esse, neque sub illius appellatione contineri: primò propter text. in c. quamvis. h. t. in 6. ibi: non in pensione, sed in Beneficiis Ecclesiasticis volumus providere. Secundo propter multiplicem rationem: tum quia beneficium adnexa est obligatio recitandi Horas Canonicas, non pensionibus: tum quia pensio oritur ex beneficio, ergo non habet rationem beneficium, quod ex alio non nascitur: tum quia jus percipiendi fructus ex alieno beneficio extinguitur morte Pensionarii, morte verò Beneficiarii non extinguitur beneficium, utpote ex sua natura perpetuum. Ita Garc. de Benef. p. 1. c. 5. n. 3. Azor. Institut. moral. 2. p. lib. 3. c. 5. q. 2. & lib. 8. c. 5. q. 4. & 5. Carol. de Grass. de Eff. Clericat. eff. 1. n. 1205. cum innumeris citatis.

Nec contrarium persuadere possunt argumenta Affirmantium: etenim textum in c. ad audientiam. quod attinet, dictio alia non sem-

semper est repetitiva ejusdem qualitatis, idque solum verum est, si materia subiecta eandem qualitatem exigere videatur, & non sit materia odiosa, ac strictæ interpretationis, nec conjecturæ aliud subinnuant. Aliàs prædicta particula accipitur tantum disjunctivè, absque eo, quòd eandem qualitatem repetat, ut in *s. Novatianus 6. V. alios Pseudo-Episcopos, causâ 7. q. 1.* Ad secundum respondetur, perpetuitatem, quam exposcit beneficium, non esse referendam ad personam, sed ad naturam ipsius beneficii, quod mortuo Beneficiario non exspirat, quemadmodum pensio mortuò Pensionariò, sed solum vacat, donec alius substituatur.

An *Coadjutoria* sive temporalis, sive perpetua appellatione beneficii intelligatur, alibi discutiemus.

§. IX.

29 *Finis* Præbendæ, seu beneficii est compensatio muneris clericalis: nam propter officium datur Ecclesiasticum beneficium. *c. fin. de Rescript. in 6.*

§. X.

30 *Effectus* Præbendæ, seu beneficii est perceptio reddituum: sunt enim beneficiati suorum beneficiorum quasi usufructuarii habentes jus percipiendi fructus ex illis. Quorum aliqui requiruntur ad honestam sustentationem ipsorum, alii verò superflui sunt, seu supra ipsorum honestam sustentationem redundant.

Opportune hic *quæritur*: quæ sit congrua ac honesta sustentatio Beneficiorum? Et quidem Lugo *de F. & F. disp. 4. sect. 4.* cum communi docet, eam esse congruam sustentationem, quæ necessaria est ad honorabilem suæ personæ, & familiæ alimoniam, juxta conditionem status, dignitatis, qualitatis, & regionis. *Primo* ergo requiritur competens cibus, potus, & vestitus: item habitatio comoda cum suppellectile necessaria. *Menoch.*

Tusch. & alii, quos refert Barb. de appellatione Verb. signif. V. alimenta. Secundo veniunt medicina, & pharmaca ad curandos morbos tam Beneficiati, quam suorum domesticorum. *l. si cum dotem. §. si autem & ibi Bartol. n. 9. ff. Solut. matrim.* Tiraquell. *tr. de Nobilit. c. 31. n. 395.* Tertio debita Hospitalitas, non solum illa, quæ sit erga pauperes, & peregrinos, quam apprimè Clericis commendat Trident. *sess. 25. de Reform. c. 8.* sed etiam hospitalitas urbana juxta Patriæ consuetudinem, intra limites tamen temperantiæ, modestiæ, & frugalitatis. P. Engl. *infra de Pecul. Cleric. num. 9.* Idem est de honestis, & legitimis recreationibus cum amicis, & consanguineis. Molin. *de F. & F. tr. 2. disp. 145.* Quarto ad eandem sustentationem rectè imputantur donationes remuneratoriæ ob accepta ab aliis beneficia, & obsequia, imò etiam donationes liberales in quantitate moderata. Sanchez *lib. 2. Consil. c. 2. dub. 41. n. 2.* Nomine verò familiæ, quam beneficiatus alere debet, intelliguntur in primis Parentes, Fratres, Sorores, quando pauperes sunt, juxta statum suum. Lugo *d. sect. 4. n. 20.* Deinde officiales, famuli, ancillæ: item equi pro usu & commoditate secundum qualitatem beneficii, & dignitatem personæ, modò servetur moderamen pro decentia status Ecclesiastici. Roland. à Valle *consil. 74. num. 19.* Bald. *consil. 221.* Dec. *consil. 545.* Cæterum qualis sustentatio desideretur pro Episcopo, pro Canonico Comite, vel Barone, aut pro Parocho nobili, vel Graduato? ex usu, & consuetudine Virorum, qui sunt ejusdem conditionis, ac timorata conscientia, desumendum esse, post Molinam *d. disp. 145. n. 13.* tradit P. Engl. *ubi supra.*

Magis *dubius*, & in utramque partem volubilis *articulus* est: num decedente Beneficiario, fructibus pendentibus, ac non dum perceptis, divisio fructuum inter ejus hæredes,

des, & successorem beneficii pro rata temporis fieri debeat?

Prima sententia contendit, tales fructus, præsertim civiles, pro rata temporis dividendos esse, ita ut, si defunctus possedit beneficium, ejusque onera sustinuit quartâ parte postremi anni, hæredes ejus recipiant quartam partem fructuum ejusdem anni, reliquum verò fructuum successor in beneficio sibi vendicet. Covar. var. resol. lib. 1. c. 15. n. 12. in fin. Gonzal. in c. 4. n. 7. de Offic. Ordinar. Zerol. in Praxi Episc. p. 1. V. beneficium. ad 6. Garc. de Benefic. p. 2. c. 1. n. 96. cum citatis. Ratio punctualis est, quia beneficium datur propter officium, id est, propter onera, & servitia. c. cum secundum h. t. c. fin. de Rescript. in 6. adeoque sicut fructuum dotis inexactorum inter maritum & uxorem, eorumque amborum hæredes sit divisio pro ea parte anni, in qua maritus subit onera matrimonii. l. divorzio. ff. Solutio matrim. ita æquum est, ut etiam inter Successorem & Beneficiarij defuncti hæredes fiat divisio fructuum pro rata, & parte anni, pro qua sustinuit onera beneficii: siquidem insignis convenientia est inter conjugium corporale, & spirituale, eorumque onera. c. 2. de Translat. Episc. Panormit. in c. cum esset n. 13. de Testam.

Quamvis verò annus, de cujus fructibus dividendis agitur, ad hoc, ut sciatur, pro qua parte maritus fructus lucretur, non incipiat, ut alij anni incipere solent, à Calendis Januarii, aut alia die notabili, ut S. Michaëlis, vel S. Joannis Baptistæ, sed à tempore celebrati matrimonii, & dotis traditæ. Text. & DD. in d. l. divorzio. in pr. & l. de divisione. ff. Solutio matrim. Valasc. in Prax. partition. & collation. c. 29. n. 2. attamen in dividendis fructibus beneficialibus, tempore mortis Beneficiarii nondum perceptis, annum à mense Januario inchoandum esse, tradunt Annæus Robertus, lib. 3. rer. judicat. c. 4. Chopinus,

Lovetus, Baquet, Papo, & cum his Joann. Cabassutius in Praxi Juris Can. lib. 2. c. 26. num. 6.

Alterâ, & in puncto juris verior sententia statuit, omnes fructus pendentes, ac nondum à solo separatos, & redditus inexactos ad Beneficii successorem pertinere. Gloss. & DD. in c. si propter de Rescript. in 6. Navar. in Apolog. de Redditib. q. 2. monit. 13. Petr. Barb. in d. l. divorzio p. 2. n. 57. ff. Solut. matrim. Rot. dec. 19. n. 5. & 6. p. 6. in Recent. Jacob. Pignatell. tom. 4. consulti. 126. n. 6. per textus egregios in c. cum vos plerumque 4. de Offic. Ordinar. c. presentis. Eod. in 6. c. quia sape de Elect. in 6. Clem. statutum 7. & Extravag. suscepti. Eod. in quibus habetur, Beneficiorum fructus, & bona vacationis tempore undecunque obvenientia integrè Ecclesiæ, vel Successoribus esse reservanda. Quod apertâ ratione constat: quia jus percipiendi fructus sive naturales, sive civiles in defuncto finitur, & Beneficiarius usufructuario comparatur, qui non facit fructus suos, nec eos transmittit, nisi quos in vita perceperit, l. si usufructuarius. 13. ff. Quib. mod. usufr. amitt. Sperell. dec. 82. n. 9. & 10. Gloss. in c. presentis. V. reservari. de Offic. Ordinar. in 6. Hic consonat Constitutio 7. Julii III. publicata Anno 1550. & confirmata ab Urbano VIII. die 5. April. 1628. juxta quam pendentes, & inexacti Beneficiorum fructus, ubi non spectant ad Cameram Apostolicam, ad Successores, non ad hæredes pertinent, etiam si maturati fuerint tempore demortui Beneficiarij, dummodo realiter, & cum effectu non sint percepti, & aliis propriis bonis non incorporati: aut licet per Beneficiarium non steterit, quò minus illos exegerit, imò etiam si omnem diligentiam pro eorum exactio- ne judicialiter adhibuerit; ut refert Passerini. ad d. c. presentis. num. 17. Atque hanc constitutionem in toto orbe Christiano jus

facere, ad eò ut priori sententiæ non sit ulterius insistendum, post alios testatur Alex. Sperell. d. dec. 82. num. 11. & ex hac inexactis debitis occasione fructuum perceptorum à conductore, controversiam decidit Rota in una Romana, seu nullius pecuniaria. 4. Junii, & 19. Novemb. 1593. coram de Pegna.

Neque valet argumentum à Marito ad Beneficiarium: quia in Marito causa immediata acquirendorum fructuum dotalem sunt onera matrimonii, & ideo merito pro rata onerum fit divisio: in beneficio autem causa immediata acquirendi fructus est titulus canonicus juxta c. 1. de R. F. in 6. Petr. Barb. in l. divorzio p. 2. num. 44. ff. Solutio matrim. qui tamen n. 58. & neque cum Navar. in Apolog. 2. q. monitu 12. in fin. etiam rectè monet, ne Beneficiarius illo anno, quo deceffit, & nullo fructus percepit, beneficio sine ullo emolumento intervenisse videatur, ejus hæredibus solvendum esse honestum salarium pro modo servitii, & quantum ad honestam sustentationem mortuus habere debebat, prout & fructuario decedenti pendentibus fructibus solvuntur impensæ, quas circa illos fecit. Bald. in l. Pater in fin. C. de Usufr.

Verùm, ne quid dissimulem, aliud passim practicari scio, & fateor, omnino servandam esse consuetudinem Regionis, si secundum eam fructus beneficii pro rata inter hæredes Beneficarii, & Successorem in beneficio dividantur, dummodo hujusmodi consuetudo legitime probetur. Rota dec. 529. n. 3. & 29. dec. 722. n. 7. p. 4. tom. 3. Recent. Cæsar. de Panimoll. dec. 20. advot. 1. n. 19.

Pars II. De Dignitatibus.

SUMMARIA.

32. Dignitatis diversa acceptio. 33. Definitio. 34. usque 44. Multiplex divisio. 44. 45. Origo & causa efficiens. 46. Subjectum. 47. Materia, seu

objectum. 48. Forma, seu requisita. 49. Finis. 50. Effectus, ac emolumenta.

§. I.

Nomen dignitatis diversimodè usurpatur, non tantum in jure Civili, quò aliquando accipitur pro famâ, ac æstimatione. l. un. C. de Infamib. l. milites. 3. C. de re milit. quandoque pro conditione. l. nepos autem. 125. in fin. ff. de V. S. alibi aliter, ut notat Cassianus in Catalogo glor. mundi. p. 1. consil. 66. sed & jure Canonico, quò ad eò latè nonnunquam patet, ut omnes Clerici dignitatem habere dicantur. c. denique dist. 4. c. si quis post dist. 51. c. reperintur causa 1. q. 1. Specialiter verò denotat omnem administrationem rerum Ecclesiasticarum, cui vel coheret jurisdictio aliqua, vel potestas. Gloss. in c. 1. de Consues. in 6. Panormit. in c. de multa h. t. vel saltem præ eminentia, id est, gradus connexus administrationi. Panormit. loc. cit. n. 23. ad fin. & puto, quòd officium. in qua acceptione.

§. II.

Definitur dignitas, quòd sit Ecclesiastica, & prærogativa, quæ cuique auctoritatem conciliat, & singulare nomen, ac titulum tribuit.

§. III.

Dignitatis divisiones varii varias attulerunt: 34 omnium autem maximè generalis ea est, quæ alia dicitur secularis, alia regularis.

Dignitatis secularis non tantum multæ species infimæ, sed etiam classes, & gradus numerari possunt, & distingui debent. Primum gradum constituunt suprema dignitatum culmina: Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archi-Episcopatus, & Episcopatus; quæ dignitates majores vocantur, & communi appellatione beneficiorum, præsertim in pœnalibus, aliisque strictæ interpretationis Canonibus comprehendi non solent. Layman in Theol. mor. lib. 4. tit. 2. c. 4. n. 4.

Papatus improprie quidem beneficium dicitur, ex quo Pontifex Superiorem in terris non recognoscit, cui beneficium in acceptis ferat. Rebuff. tit. *saecularia beneficia quotuplicia*. n. 13. prima tamen, & apex omnium dignitatum est. c. non decet. 1. dist. 12. c. quamvis 3. c. nunc autem 7. dist. 21. c. in nomine Domini 1. dist. 23. c. dudum causa 3. n. 6. c. nemo 13. causa 9. q. 3. Quod & Concilium Florentinum in hunc modum definiuit: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in univ. Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesia Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petropascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse.*

35 Cardinalatum præcellentem dignitatem esse, notius est, quam ut dici debeat: Sunt enim Cardinales consultores, fratres, & coadjutores Romani Pontificis. c. fundamenta 17. §. decet de Elect. in 6. atque ex his quidam sunt Cardinales Episcopi, quidam Cardinales Presbyteri, aut Diaconi, certis Titulis inter se distincti, in quibus jurisdictionem Episcopalem habent. c. his qua 11. de Majorit. & obed. Canis. in *Summ. Juris Can. lib. 1. tit. 1. §. 5.*

36 Patriarchatus est veluti prima sedes, seu major alicujus Regni: nam Patriarchæ, sic dicti quasi Patres Principum, & Prælatorum. c. clerus. 1. §. Patriarcha. dist. 21. non tantum plures Episcopos, sed etiam Archi-Episcopos sub se habent. c. nulli 2. dist. 99. c. duo simul. 9. de Offic. jud. ordin. Unde in signum tantæ eminentiæ ubique ante se crucem deferre possunt, quod Archi-Episcopis non nisi in sua Provincia licet. c. antiqua. 23. & Clem. Archi-Episcopo. 2. de Privileg. Horum alii

salutantur majores; quales erant Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, ac Hierosolymitanus, d. c. antiqua 23. qui potestati Christianorum per potentiam Turcarum subtrahi sunt. P. Engl ad tit. de Majorit. & obed. n. 24. Alii minores; ut sunt Patriarcha Aquilejensis, Venetus, Æthiopia, & Indiarum; quos tamen proprie Primates esse, vult Barb. de appellativa Verb. Jur. signif. appellat. 189. ad fin.

Archi-Episcopatus præsumunt Metropolitanus, 37 aut Archi-Episcopi, inter quos hodie vel nulla vel non nisi modica intercedit differentia, cum Archi-Episcopi vocentur, quod quasi sint Principes Episcoporum. c. Cleros. 1. §. Archi-Episcopus. dist. 21. Metropolitanus verò à mensura civitatum, ac multitudine Diocesisum Episcopalium, juxta idem c. Cleros, §. Metropolitanus. Petr. Gregor. Tholosan. in *Syntagm. juris lib. 15. c. 11. n. 2.* Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 33. q. 4.* Quamvis fieri possit, ut quis sit Archi-Episcopus, non verò Metropolitanus, quando scilicet nullum sub se habet Episcopum suffraganeum, sicut non habent Rossanensis, & Lancianensis Archi-Episcopi. Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 7. n. 7.* Archi-Episcoporum nonnulli, qui majores Metropoles regunt, Primates nominantur, ut in Hispania Toletanus, in Anglia Cantuariensis, in Gallia Bituricensis, & Gradensis, in Italia Aquilejensis, & Pisanus, in Germania Celsissimus noster Salisburgensis. Petr. Gregor. Tholosan. *cit. lib. 15. c. 10. de Primatibus.* P. Engel ad tit. de Majorit. & obed. num. 23.

Episcopus hic significat præcedentiam, & 38 præfecturam, quæ Episcopus Clero, ac Populo præest; quoniam, ut S. Augustinus relatus in c. qui Episcopatum 11. causa 8. q. 1. ait, Episcopatus græcum est, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum sci-

scilicet gerens: *Epi* enim græcè *super*, & *scopus* idem est, quod *intentio*. Hinc & *Episcopus* *ibid.* *Superintendens*, & in *c. Cleros* 1. *v. Episcopatus*. *dist.* 21. *Speculator* appellatur, nimirum ab officii ratione, quæ postulat, ut tanquam è specula attendat, ne cœtui sibi commisso damnum aliquod immineat.

39 Ad secundum gradum pertinent dignitates inferiores, puta *Archi-Diaconatus*, *Archi-Presbyteratus*, *Vicariatus generales* &c. de quibus speciales Tituli extant in *Lib. 1.* Item etiam *Præposituram*, *Decanatum*, & *Præbendam*, cœteris paribus, nomina dignitatum esse, testatur *Cardinalis Tuschus Conclus. præct. lit. D. concl. 419.* Ideo autem has dignitates inferiores in speciali gradu collocamus, quia in rescriptis, & reservationibus Papatibus, & universim in materia strictæ interpretationis nomine dignitatum, vel in dignitate constitutorum, solum istæ dignitates inferiores intelliguntur, non verò *Episcopatus*, & aliæ superiores, quæ specialem mentionem merentur arg. *c. dilectus* 12. *de Concess. Prab. Card. Tuschus lit. D. concl. 428.*

40 Tertium gradum tenent *Personatus* & *Officia Ecclesiastica*; quæ latius accepto vocabulo ad priorem quoque gradum dignitatum inferiorum revocari possunt. Nihilominus si propriè loquamur, *Dignitas*, *Personatus*, & *Officium* inter se distinguuntur, sibi que mutuo opponuntur, ut apparet ex supradictis *n. 6.* Porro *Canonicatus* huc non spectant; quanquam enim *Canonici Ecclesiarum Cathedralium* singularem præ aliis *Beneficiatis* prærogativam habeant propter suffragium, & facultatem eligendi *Episcopum*, atque etiam *Prælati*, seu in dignitate constituti æquiparentur in eo, quòd à Sede Apostolica causæ ipsis committi, & delegari queant juxta *c. statutum*. 21. *de Rescript. in 6.* absolute tamen *Canonicatum Ecclesiæ etiam Cathedralis* non esse dignitatem propriè, sed *beneficium sim-*

plex, cum communi docet *Navar. de Simon. consil. 97.* *Pirrhing h. r. n. 12.*

Inter *Dignitates Regulares* primum, ac præcipuum locum occupant *Abbatia*, & *Præpositura Regulares*: quia eas obtinentes perpetuam jurisdictionem circa personas, & universalem administrationem circa res *Monasterii* habent, atque nomine *Prælatorum Ecclesiæ* in jure Canonico gaudent. *c. decernimus* 2. *de Judiciis c. præfenti* 9. *de Offic. Ordin. in 6.* Unde etiam immediatè *Episcopum* sequuntur, & tam in *Conciliis generalibus*, quam aliàs præcedunt *Canonicos Ecclesiarum Cathedralium*, aliòsque in dignitatibus inferioribus constitutos. arg. *c. si quis deinceps* 12. *causà* 16. *q. 7.* *Panorm. in c. ex ore. n. 3. de Privileg. P. Engl de Major. & obed. n. 62. & Ego n. 12.* Huc revocari possunt *Generalatus*, & *Provincialatus* *Ordinum Regularium*.

Secundum locum habent *Prioratus conventuales*, ut *Prioratus Eremitarum S. Augustini*, *Carmelitarum* &c. quia *Priores Conventuales* *Conventui Religiosorum* præficiuntur, & curam universalem tam spiritualem quam temporalem in *Prioratibus* obtinent eodem modo, quo *Abbatibus* in *Monasteriis*; quapropter etiam *Abbatibus* æquiparantur in *fin. de Regularibus*. & à Sede Apostolica *Judices* dari, & causæ ipsis delegari possunt. *Clem. etsi principalis* 2. *de Rescript.* Item dicuntur absolvi à *Monachatu*, in tantum scilicet, ut omnia, quæ acquirunt non suo *Monasterio*, sed tali *Prioratui* acquirant. Neque interest, utrum hujusmodi *Priores* eligantur, vel per alium, v. g. *Abbatem suum* constituantur. *d. Clem. etsi principalis in fin. Tusch. Præct. conclus. lit. P. conclus. 708.* His similes sunt *Rectores*, *Guardiani*, vel quocumque alio nomine vocati *Regularium Superiorum*, qui nullum alium *Monasterii sui Superiorem* agnoscunt, nisi *Provincialem*.

vel Generalem, sicut Abbates non exempti Episcopum. Donat. in *Prax. Regul. tom. 2. rr. 9. q. 4.* Clariss. P. Jacob. Wex de *Prælat. Regnl. p. 1. c. 1. n. 13.*

43 *Tertium locum obtinent Prioratus claustrales:* sunt enim Priores claustrales primi post Abbatem juxta *c. cum ad Monasterium §. Prior de Statu Monach.* quia tamen Abbati Monasterii, in quo Religiosis præfati sunt, subjiciuntur, nec universalem Monasterii curam habent, sed tantum in iis, quæ claustrum ac Regulam Monachalem concernunt, non censentur positi in dignitate Ecclesiastica juxta *Clem. et si principalis. 2. de Rescript. Azor. p. 2. lib. 3. Instit. moral. c. 20.* His Silvester V. *Prælati num. 2.* & Donat. in *Prax. Regul. tom. 2. rr. 9. q. 6.* accensent *Sub-Priores*, qui subline Priori conventuali, *Vicarios Conventuales* in Ordine Patrum Franciscanorum, ac *Ministros* subjectos Rectoribus, seu Prælati localibus, eò quòd hi vel nullam, vel solum delegatam habeant jurisdictionem.

§. IV.

44 *Causa efficiens Dignitatis Ecclesiasticæ est vel remota, vel proxima.*

Remota est jus partim Divinum, partim Ecclesiasticum: utriusque enim ut aliorum beneficiorum, ita Dignitatum origo adscribi potest per tradita *num. 12.*

Proxima alia est Pontificatus, alia aliarum Dignitatum.

Pontificatum instituit Christus & non alius juxta *Matth. c. 16. v. 16. & seqq.* ubi Petro proficenti, eum esse CHRISTUM Filium DEI vivi, dixit: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Quamobrem in *c. omnes 1. dist. 22.* traditur, *illam verò, scilicet Romanam Ecclesiam, solus ille fundavit, & super petram fidei mox nascentis*

erexit, qui Beato aterna vita Clavigero reverenti simul, & cælestis Imperii Jura commisit. Neque fuit unquam Catholicus, qui dubitaverit, quò minus Christus illis verbis Primatum Petri in Ecclesia pro eo, ejusve Successoribus, Romanis Pontificibus constituerit, ut perspicue probat Suarez in *defensione fidei Cathol. lib. 3. c. 10.*

Alia Dignitates à S. Pontifice proficiscuntur, & quidem dignitates ordinis, id est, Collegii Ecclesiastici ipse solus instituere potest per d. c. omnes. 1. dist. 22. idque propter primatum, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populū gregem sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia obtinuit, non ab Apostolis, sed ab iplo Christo Domino Salvatore nostro. *c. non ergo 2. dist. 22.* Hinc non tantum si agatur de nova erectione Sedis Episcopalis, sed etiam Abbatia, Præpositura, vel alterius cujusvis dignitatis, Ordinis, seu collegii, ea ad solum S. Pontificem spectat per textum notorium & Gloss. in *d. c. omnes 1. v. omnes.* Pyr. Corrad. in *Prax. Benefic. lib. 2. c. 2. n. 28.* ubi asserit, ita in Curia Romana observari. Quod intelligendum de dignitate nova, non de restauratione antiquæ: quæ fortè extincta erat: cum enim facilis sit reditus ad statum pristinum, restauratio ejusmodi fieri potest vel à Canoniceis cum autoritate Episcopi: Panormit. Imola, & alii in *c. cum olim. 6. de Consuet. vel ab Episcopo cum consensu Capituli, & modò congrua dos reassignetur. Felin. in c. cum accessissent. n. 14. & seqq. de Constitutionib. Pyr. Corrad. d. c. 2. n. 30. & seqq.*

§. V.

Subjectum dignitatis Ecclesiasticæ est is, cui confertur: Ut verò alicui conferri possit, oportet, ejus esse capacem; ut autem conferri debeat, requiritur præterea, ut etiam sit dignus. Quinam capaces sint, colligitur ex dictis ad tit. de Postulatione, de Electione, & de Ætat. qua-

qualit. & Ord. præs. Quinam digni, in tanta dignitatum varietate vix quicquam certi determinari potest. Alexander II. in *c. ex multis. 9. 7. nec eligant causâ 1. q. 3.* illos dignitatibus admoveri præcipit, qui moribus, & disciplina, atque scientiâ divites sunt, gravissimèque increpat in *pr. ejusd. can.* Lucensis Ecclesiæ Clerum, quòd nulli unquam Clerico, quamvis Religioso, quamvis scientiâ, & moribus prædito, Ecclesiasticum beneficium concederet, sed solum ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuisset: Et Gregorius IX. in *c. penult. h. t.* in collatione beneficiorum in Ecclesia virtutes (quæ maximè nobilitant *c. nunquam 4. dist. 56.* atque clarificant *c. penult. de Consec. dist. 5.*) & vitæ honestatem potius, quàm ullam generis nobilitatem attendi debere statuit, etiam in Ecclesia, quæ nonnisi nobiles admittere consuevit. Ego velim, ut qui ad dignitates aspirat, rationem ineat, quid valeant humeri, quid ferre recusent: & illud Poëtæ expendat:

Ut gravis est gemmis, sic est gravis infula
curis.

Dùmque regit, tutum non sinit esse caput.

§. VI.

Materia, seu Objectum Dignitatis Ecclesiasticæ coincidit cum materia, seu objecto Præbendæ, ac beneficii.

§. VII.

Forma Dignitatis Ecclesiasticæ consistit in Requisitis. Tria autem ad constituendam dignitatem propriè talem concurrant, necessum est. I. Ut aliquis habeat administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione sibi perpetuò assignata. II. Ut habeat nomen dignitatis, quale est nomen Episcopi, Abbatis, Præpositi, Archidiaconi cum præcedentiâ, & prærogativis in Capitulo, & Choro. III. Ut ex consuetudine Ecclesiæ officium, & vel beneficium tale pro dignitate Ecclesiasticæ re-

putetur. Tuschus *Concl. Præcl. lit. D. Coml. 419.* Archidiaconus. *c. 1. n. 2. de Consec. in 6.* Caesar de Panimoll. *dec. 1. adnot. 6. num. 12.* Quâ ratione Rota Romana apud Tamburinum de *Jure Abbat. tom. 3. dec. 4. & 5.* quamvis nomen Abbatis per se dignitatem sonet, illum tamen Abbatem sæcularem, qui nec perpetuam administrationem, nec præcedentiam ante Canonicos Ecclesiæ Cathedralis habebat, pro Prælato Ecclesiastico, vel in dignitate constituto habendum non esse, decedit, & universim ad omnem dignitatem tria illa signa requirit. Excipiuntur quædam dignitates regulares, quæ præsertim in Ordinibus Mendicantium non sunt perpetuæ, sed solum ad certos annos, v. g. ad sexennium, vel triennium durant. Tambur. de *Jure Abbat. tom. 1. disp. 1. q. 1.* Donat. in *Præcl. Regul. tom. 2. tr. 9. q. 4. à n. 8.*

§. VIII.

Finis dignitatis Ecclesiasticæ est Divinæ cultûs augmentum, cui cum omnes fideles studere debeant, tum maximè Prælati: & recognitio majoritatis, quæ à persona personæ debetur.

§. IX.

Effectus dignitatis in triplici potissimum jure spectatur: nempe in honore, potestate, & emolumentis.

De honore textus reperitur in *c. ad hoc 7. dist. 39.* ubi dicitur, *ad hoc gradus diversos, & ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minoribus potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & relictò officiorum gereretur administratio singularium: neque enim universitas alia poterit ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentia ordo servaret.* Quam verò reverentiam, & obedientiam Inferiores Superioribus præstare teneantur, exponitur ad tit. de *Majorit. & Obed.*

Potestatem quod attinet, ea variat pro varietate dignitatis, ac Prælatorum, atque de ea extant plures tituli in *Lib. 1. Decretalium* à tit. 23. Summa autem, ac suprema residet in Romano Pontifice: quippe hic solus convocat & confirmat concilia generalia: solus jurisdictionem in omnes alios Episcopos exercet: solus Imperatores, ac Reges censuris coercet: solus pro tota Ecclesia leges condit, acquies, re exigente, dispensat: solus controversas fidei dirimit, dubia S. Scripturæ dissolvit, & vera quæque à falsis discernit: solus ubique apud Christianos Principes suos habet Legatos: solus novos erigit, approbatque Episcopatus, solus universalem curam gerit conversionis infidelium, & Prædicatorum ad diversas provincias mittendorum, ut Gregorius I. in Angliam, Gregorius II. in Germaniam, alii in alia terrarum loca, ac regna. Confer. Haunold. Plettenberg, in *Introduct. ad Jus Can. c. 15.*

Emolumenta debentur, ne quemadmodum omnis ordo sine divitiis, ita Ecclesiastica dignitas ob paupertatem vilescat. *Clem. in plenitudo* §. ibi: *ne mendicitatis opprobrio serenitatem Pontificalis obnubilent dignitatis, de Elect.* Et huc pertinent non tantum Annatarum, Palliorum, & id genus alii redditus, quos Pontifices percipiunt, sed & synodaticum, sive cathedraticum, census, procuraciones, charitativum subsidium, aliæve exactiones, de quibus *infra suo loco.*

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

SUMMARIÆ.

1. Quid sit coadjutoria? 2. Alia est temporalis alia perpetua. 3. Quo jure coadjutoria sit introducta? 4. à quo? 5. quis? 7. 8. Et cur dicitur coadjutoria? 9. In quibus coadjutor coadjuti vices supplere debeat? 10. Ex quibus causis? 11. Et cur coadjutor constituitur? 12. Coadjutori quæ potestas? 13. 14. Quæ fructus? 15. Quæ præcedentia, ac prærogativa competant?

tor? 9. In quibus coadjutor coadjuti vices supplere debeat? 10. Ex quibus causis? 11. Et cur coadjutor constituitur? 12. Coadjutori quæ potestas? 13. 14. Quæ fructus? 15. Quæ præcedentia, ac prærogativa competant?

Speciem præbendæ, seu beneficii præferret Coadjutoria, quæ Clericus ægrotans, vel debilitatus adjuvatur.

§. I.

Definitur Coadjutoria, quod sit facultas, seu officium alicui concessum adjuvandi Beneficiatum impotem in regimine beneficii. Passerin. in *c. un. num. 2. b. 1. in 6.*

§. II.

Dividitur coadjutoria in temporalem, & perpetuam. *Temporalis* est, quando beneficio per infirmitatem, senium, aut aliam causam impedito coadjutor datur, quam diu is vivit, vel impedimentum durat. *Perpetua*, seu cum spe futura successione est, quando coadjutor sublato impedimento non amovetur; sed mortuo coadjutor in ejus officium, & beneficium succedit; quæ successione species in jure nostro detestabilis est juxta *c. accepimus* §. de pact. c. 1. & 2. de Concess. præb. ideoque ab alio, quam S. Pontifice concedi nequit, ut n. 5. dicemus. Differt etiam à coadjutoria temporali, quod temporalis non sit beneficium, cum tantum officii functionem, & ministerium loco proprietarii contineat. Suarez l. 4. de Orat. c. 22. n. 19. Navar. de Orat. c. 2. n. 18. qui inde inferunt, coadjutoriam vi hujus coadjutorie ad Horas Canonicas non teneri; Coadjutoria verò perpetua congruâ portione assignatâ, & cum futura successione propriè beneficium dicatur. Garc. de Benefic. p. 2. c. 5. n. 132. in fin. Petr. Gregor. Tholosani eod. tr. c. 11. n. 2. Fagnani in *c. nulla n. 66. de Concess. præbend.*

§. III.

Causa efficiens coadjutorie duplex est: remotiva nimirum, & proxima.

Hi

Re-

Remota est jus Ecclesiasticum, & illud tam antiquum, quam novum. Antiquum: quia Coadjutorum usus semper receptus, ac probatus fuit, ut relucet ex *c. de Rectoribus 3. c. ex parte. 5. c. fin. h. t. c. nn. Eod. in 6. c. 2. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* Novum: quia S. Concilium Tridentinum *sess. 25. de Ref. c. 7.* coadjutorias permittit etiam in Ecclesiis Cathedralibus, si quando urgens necessitas, aut evidens utilitas postulat, reservatâ solum cognitione causæ Sedi Apostolicæ.

Proxima est is, qui dat coadjutorem. Spectat autem hæc datio regulariter ad Superiorem, cujus est cognoscere de morbo, defectu, impedimento, vel inhabilitate inferioris. Pro pleniore verò hujus regulæ intelligentia, coadjutorem temporalem secerno à coadjutore perpetuo, &

4 *Dico I.* Coadjutorem temporalem Parochis, Archi-Diaconis, aliisque Prælatibus inferioribus non exemptis regulariter dat Episcopus, aut alius Prælatibus habens jurisdictionem quasi Episcopalem, uti etiam sede vacante Capitulum. *c. de Rectoribus 3. c. consultationibus. 6. & ibi. Joan. Andr. n. 7. Panorm. n. 5. h. t. Fagnan. in c. nulla num. 67. de Concess. præb. Episcopis autem, & aliis Prælatibus Superioribus de coadjutore nec Legatus à latere, nec Patriarcha, aut Archi-Episcopus, sed solus S. Pontifex providet. c. nn. & ibi Gloss. in 1. tantummodo. Franc. n. 4. Passerin. n. 15. & 16. h. t. in 6. Fagnan. in c. ex parte n. 2. X. Eod.* Verum ne hoc prætextu Ecclesiæ, præcipuè à Curia Romana longius distantes, dispendium patiantur, Episcopo, & Capitulo tanquam Sedis Apostolicæ delegatis hæc potestas assumendi coadjutorem ex singulari gratia communicata est, ita scilicet, ut Episcopus, qui ob senium, morbum, vel aliud impedimentum perpetuum suo munere defungi nequit, si sit compos rationis, ipse unâ cum consensu Capituli, vel majoris partis ejusdem;

aut si in amentiam incidere, & de dementia constet, Capitulum autoritate Pontificia unum, vel duos coadjutores constituere possit, modo eò casu duæ Capituli partes consentiant. Quòd si verò Episcopus mente quidem sanus, sed corpore infirmus, ac ad officium omnino inhabilis sit, & coadjutorem admittere recuset, utrunque irrationabiliter contradicat, Capitulum eundem cogere haud potest, sed tota causa illicò ad Sedem Apostolicam referenda erit. *Text. & DD. in cit. c. nn. h. t. in 6.*

Dico II. Coadjutorem perpetuum, si cum spe futuræ successionis Clericis etiam inferioribus solus S. Pontifex adungere potest, nullatenus autem Episcopus, vel Capitulum nisi ex licentia, aut dispensatione Apostolica. *Trident. sess. 25. de Reform. c. 5. Navar. consil. 2. h. t. Garc. de Benefic. p. 4. c. 5. num. 16.* Imò neque legatum de latere, vel quemcumque alium Nuntium Apostolicum id posse, docet Flam. Paris. *de Resignat. Benef. lib. 6. q. 5. num. 15.* Ratio capitalis est: quia jure communi damnantur pollicitationes, & provisiones beneficiorum, quæ votum captandæ vel optandæ alienæ mortis involvunt. *c. nulla 2. c. relatum. 3. de Concess. præb. c. detestanda 2. Eod. in 6.* nisi fiant Sedis Apostolicæ autoritate per *c. petisti 17. causa 7. q. 1. quæ exceptio subintelligenda est in cit. c. nulla.* & aliis in speciem contrariis. Neque obstat Tridentinum, quod in *cit. sess. 25. c. 7.* statuit, ut coadjutoria cum futura successionemini in quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur: siquidem in his, quæ de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina S. Concilium decrevit, salva semper est auctoritas Sedis Apostolicæ, ut ipsomet in *ead. sess. 25. de Reformat. c. ult. declaravit.* Unde videmus, hodie dum Principum ac Magnatum filios in ipsa adhuc adolescentia Episcopis, etiam non indigentibus, auctoritate

Pontificiâ cum jure succedendi adjungi; cu-
jusmodi coadjutoria excusari solent spe auxi-
lii, & commodi, quod Ecclesia à talibus co-
adjutoribus perceptura puratur. Henr. Wa-
gnereck *ad c. un. not. 3. h. t. in 6.*

§. IV.

Subjctum coadjutoria est vel activum, vel
passivum.

Activum, vel, ut Philosophus loquitur,
fundamentum coadjutoria est coadjutor; in
quo desiderantur honestas natalium, morum
probitas, literarum scientia, legitima ætas, ac
aliæ qualitates, quæ necessariae sunt ad adju-
vandam coadjutum in exercitio illius admi-
nistrationis, ad quam datur. Trident. in *sess.*
25. de Reform. c. 7. Panormit. in *c. fin. n. 1.*
h. t. Honorius *n. 12.* Quamobrem si Pa-
rocho coadjutor datus sit ad gerendam cu-
ram animarum, annum 25. ætatis attigerit,
oportet. Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 2.*
q. 6. Si detur Episcopo, refert, an detur ad
spiritualium administrationem, & tunc tri-
gesimum annum excedere debet, ex quo hanc
ætatem jus in Episcopo requirit. *c. cum in cun-*
ctis 7. de Elect. an verò ad gubernationem
temporalium, & tunc satis est, si viginti quin-
que annos nactus sit, utpote quæ ætas ad ad-
ministrationem temporalium in jure perfecta
censetur in Tutore, Curatore, aut Procu-
ratore per *c. qui generaliter 5. §. licet de*
Procuratorib. in 6. §. 2. Inst. Qui testam. tut.
dari poss. Cæterum non tantum unus, sed
si magis expedire videatur, etiam duo coad-
jutores dari possunt, non verò plures, ne Ec-
clesia nimium gravetur. Text. & DD. In *c.*
un. h. t. in 6.

Subjctum passivum, sive terminus coadju-
toria est coadjutus, sive is, cui datur coadjutor.
Illi autem proprie loquendo coadjutor dari
solet, quibus administratio, jurisdictio, vel
saltem cura animarum incumbit; ut sunt Epi-
scopi, vel alii Prælati Ecclesiastici; item Re-

ctores Ecclesiarum Parochialium juxta *c. 3.*
5. & 6. h. t. c. un. & ibi Passerin. n. 6. Eod.
in 6. Alii Clerici simplex beneficium ob-
tinentes, cum per se administrationem, vel
curam nullam habeant, etiam non indigent
coadjutore, non enim apparet, in quo adju-
vari possint.

Trita quaestio est: an coadjutor etiam dan-
dus sit iis, qui propter lepram, aut aliam in-
firmitatem annexum beneficio munus, offi-
ciumque perpetuò obire nequeunt?

Sunt, qui putant, tales à beneficiis omnino
removendos esse, tum propter *c. ut Abba-*
tes 1. de Ætate, qualit. & ord. præsic. ubi
Abbares, Decani, Præpositi, Archidiaconi, &
Archi-Presbyteri, qui propter superveniens
impedimentum ordinem dignitatibus suis an-
nexum suscipere, & officium exercere neque-
unt, illis privari jubentur: tum propter *c. tua*
4. h. t. ubi dicitur, quòd Sacerdos leprosus
pro scandalo, & abominatione populi ab ad-
ministrationis officio debeat removeri, su-
stentatione ex Ecclesiæ fructibus assignatâ.

Verum Episcopis, Prælati, aut Parochis
perpetuò impeditis dignitates, aut officia au-
ferenda non esse, sed dandos coadjutores,
evincentur textus ineluctabiles in *c. ex parte 5.*
h. t. & c. un. Eod. in 6. idque cum communi
docent Panormit. in *d. c. tua. n. 4.* & Wagne-
reck *ibid.* Fagnan. in *c. de Rectoribus 3. n. 7.*
h. t. moti primo quia beneficia oportet esse
perpetua. *c. præcepta. 12. dist. 55. c. Sancto-*
rum 2. dist. 70. Secundo quia Prælaturæ, &
præsertim Episcopatus assimilantur matrimo-
nio indissolubili, adeoque Sponsi Ecclesiarum
ab his ob infirmitatem, aut impedimentum
superveniens separari non debent arg. *c. 2. de*
Translat. Episc. Tercio quia afflictis non est
addenda afflictio. *c. ex parte 5. h. t. c. cum per-*
cussio 2. causa 7. q. 1.

Nec hisce sic dictis refragatur *c. ut Abba-*
tes 1. de Ætat. qual. & ord. præsic. quoniam

id solum loquitur, & accipiendum est de Abbatibus, Præpositis, aliisque, qui dignitates suas nondum coeperunt administrare, nec plenè & omnino absolutè, sed sub tacita conditione ordinem annexum intra annum suscipiendi adepti sunt: his enim, si impedimentum ordinis suscipiendi perpetuum, seu diu duraturum sit, dignitates meritò adimuntur, cum deficiat conditio, sub qua ipsis collatae sunt. Aliud dicendum de illis, qui beneficia, & dignitates plenè assecuti sunt, jamque administrare coeperunt: quippe hi superveniente impedimento perpetuo non removendi, sed assignato coadjutore adjuvandi sunt. Layman in *cit. c. ut Abbates*. Minus angit *c. tua. 4. h. t.* quandoquidem in eo non dicitur, quòd Sacerdoti leproso beneficii titulus, & cura habitualis auferatur, sed duntaxat exercitium administrationis. Pirrhing. *h. t. num. 7.* Garc. de *Benefic. p. 4. c. 5. num. 6.* Suarez de *Censur. disp. 51. sect. 2. ad fin.*

§. V.

9 *Objectum* Coadjutoriae est administratio officii, quod Beneficiarius principalis, cui coadjutor adjungitur, exequi non potest, cum tamen deberet. Unde cum P. Engel *h. t. n. 6.* infero, principalem, sive coadjutum non teneri deservire in Divinis per coadjutorem illis casibus, quibus aliàs propter infirmitatem aut legitimum impedimentum posset in absentia fructus lucrari, ne sit deterioris conditiones cum coadjutore, quam sine ipso: & ne coadjutoria, quæ datur in gratiam coadjuti, in ejus odium retorqueatur, si fortassis ob negligentiam coadjutoris fructus amittere, vel saltem coadjutorem cum difficultate convenire deberet contra *c. quod ob gratiam 61. de R. F. in 6.*

§. VI.

10 Ad *formam* coadjutoriae pertinet legitima coadjutoris constitutio, ad quam justa causa requiritur; qualis est I. senium, vel ætas pro-

fecta Pastoris. *c. petisti. 17. causâ 7. q. 1. c. un. h. t. in 6.* Jacob Pignat. *tom. 4. consult. 137. n. 2.* ubi ait, sufficere ætatem 60. annorum. II. Infirmitas virium corporis, cum videlicet Pastor est morbo fontico, ac incurabili affectus. *d. c. un.* veluti lepra, aut morbo paralytico. *c. 3. & fin. X. Eod.* Si morbus curabilis sit, potius vicarius, quam coadjutor dabitur. Passerin. in *d. c. un. n. 23.* III. Amentia, vel alia ægritudo animi, quæ Rector est mente captus. *d. c. un.* IV. Defectus literaturæ requisitæ, ob quam Rectori ab Ordinario coadjutor adjungitur non obitante appellatione. Trident. *sess. 21. de Reform. c. 6.* V. Negligentia, cum Pastor præstat quidem suum munus, & officium, sed negligenter. *c. quia frater 18. causâ 7. q. 1.* VI. Suspicio dilapidationis, ut si Prælatum multum æris alieni contrahat, aut sit vorago, & gurgis opum. Panormit. in *c. venerabili 37. nor. 4. de Offic. delegat.* Felin. in *c. licet Heli. n. 8. de Simon.* quos refert, & sequitur Passerin. in *c. un. h. t. in 6.*

§. VII.

Finis coadjutoriae est Ecclesiae utilitas: de qua putatio enim coadjutoris fit, ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum invadat lupus rapax, vel in facultatibus suis Ecclesia, quasi viduata, detrimentum pariat. arg. *c. ne pro defectu. 41. de Elect. & c. quamvis 14. causâ 7. q. 1.*

§. VIII.

Effectus coadjutoriae sunt: I. coadjutoris idem officium, & eandem potestatem tribuit, quam habet ipse Principalis, nisi specialiter ex modo, & forma collatae coadjutoriae potestas fuerit limitata. Passerin. in *c. un. n. 53. h. t. in 6.* P. Engel. *n. 4.* Sic coadjutor Episcopi aut Prælati habet liberam rerum Ecclesiasticarum administrationem, eò solò exceptò, quòd ab omni alienatione bonorum, sive ad Prælatum ipsum, sive ad Ecclesiam spectantium, pro-

gratiæ in concessione coadjutoria perpetua continentur: una de ipsa coadjutoria in favorem Coadjuti; altera de succedendo in favorem ipsius Coadjutoris data, adeoque unâ sublata remanebit altera. Gonzal. *ad Reg. 8. Cancellar. Gloss. 5. §. 9. n. 53. & 56. Garz. de Benef. p. 4. c. 5. n. 132. P. Engel h. t. n. 8.*

15 Lubet hic attingere *controversiam*: an Coadjutori Episcopi, vel Abbatis maximè perpetuo, si cum aliis Episcopis, vel Abbatibus concurrat, præcedentia, & locus sui Principalis debeatur?

Expeditum est, Coadjutorem representare personam sui Principalis, proinde præcedere omnes, qui respectu ejus sunt inferioris Ordinis: v. g. Coadjutor Episcopi præcedet omnes Abbates, Coadjutor Abbatis omnes inferiores Clericos. Quod verò Coadjutor absolute locum sui principalis tenere, & omnes illos præcedere debeat, quos ipse Principalis, si personaliter adesset, antecederet, videtur tenere Navarr. *h. t. consil. 2. n. 5.* Ratio est: quòd in actibus illis, qui ad officium Coadjutoris pertinent, coadjutor Principalis radiis coruscet arg. *l. 1. C. de Offic. Vicarii.* Neque id insolitum: ita enim Legatos Dömüs Austriacæ, Celsissimi Principis Salisburgensis, & Ducis Burgundiæ, ipsis Principibus in Persona præsentibus, præferri testatur Gabriel Schweder in *Introd. in Jus Publ. part. spec. sect. 1. c. 10. n. 14.* Quod ipsum de Legatis Electorum tradit. *n. 12.*

Nihilominus negativa verior est, quòd videlicet Coadjutor Episcopi nullum ex Episcopis, & Coadjutor Abbatis nullum ex Abbatibus præcedat, licet Principalis, si personaliter compareret, primus locus competeret. Ita Menoch. *lib. 1. consil. 51. n. 14.* Jason in *l. more majorum n. 4. ff. de Jurisd. Barb. de Benef. p. 4. c. 5. n. 65. P. Engel h. t. n. 5.* quia cæteris paribus & in eodem ordine, sive gratiæ dignitatis semper clarior est, qui propriis

radiis fulget, quàm qui alienis, & semper potentius est jus, quod quis habet jure proprio, quàm alieno, ut inquit Jason *loc. cit.* Quin ipsemet Navar. *de Majorit. & obed. consil. 8.* docet, Procuratorem Abbatis in Synodo ultimum post omnes Abbates locum occupare debere: licet enim, ait, vices alterius gerens debeat honorari tanquam representans eundem, non tamen præcisè tantum, quantum ille. Videatur etiam Decius in *res. sanè. 11. n. 2. de Offic. deleg.* ubi hanc questionem fusè prosequitur, & defendit, Regem Galliæ rectè quondam Ducem Sabaudia personaliter præsentem Legato Venetiârum proposuisse, quamquam ipsi Duci Venetiârum, si in propria Persona adfuisset, præcedentia competisset.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

SUMMARIA.

1. *Institutio quid nominis?* 2. *Quid rei?* 3. *Quæ origo?* 4. 5. 6. *Quis possit instituere?* 7. *usque 14.* *Quis instituit?* 14. *In quibus beneficiis locum habeat institutio?* 15. 16. *Quæ sint ejus requisitæ?* 17. *Quis finis?* 18. *Qui effectus?* 19. *Quia intelligatur nomine institutionis auctorizabilis?* 20. *Quid nomine institutionis corporalis?*

Modi acquirendi Præbendas, ac Beneficia Ecclesiastica consistunt in *Electione, Institutione, & Collatione.* De *Electione* in *Libro I. tit. 6.* actum est.

§. I.

Institutio latè accepta quamcunque Beneficii concessionem, adeoque etiam electionem, & collationem continet; in quo sensu in *c. 1. de R. F. in 6.* dicitur: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.* Strictè autem dicta, prout hic sumitur, collationi, & electioni opponitur, & concessionem Beneficii ad præsentationem

Patroni factam denotat. *Wagnereck ad rubr. h. t. no. 1. § 2.*

§. II.

Definitur institutio, quod sit non libera beneficii ad præcedentem Patroni præsentationem legitimam auctoritate facta translatio. *Zoël. h. t. n. 1.*

§. III.

Causa efficiens institutionis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus Canonicum, quo collatio beneficii auctoritate Episcopi, vel alterius Ordinarium non liberè cuivis Clerico, sed necessario illi, quem Patronus præsentavit, si idoneus fuerit, facienda est. *c. decernimus 32. causâ 16. q. 7. c. si is, ad quem. 2. & ibi Interpp. h. t. in 6.*

Proxima est instituens. Pertinet autem institutio præsentatorum jure communi ad Episcopum loci, in quo beneficium situm est. *c. ex frequentibus 3. h. t. ex consuetudine vetero, vel speciali privilegio etiam ad Abbatem, Archidiaconum, vel alium Prælaturam inferiorem. c. cum venissent. 6. Eod. Si tamen de jure instituendi lis oriatur inter Episcopum, & alium inferiorem Prælaturam, onus probandi incumbit inferiori, & si is in probatione deficiat, jus instituendi Episcopo adjudicabitur, licet nihil probet, cum habeat intentionem fundatam in jure communi. *P. Engl. h. t. n. 3. Barb. in cit. c. ex frequentibus. num. 4. In d. etiam si constat, jus instituendi in aliquo beneficio alicui Prælato inferiori competere, nihilominus Clericus ab illo institutus tenetur Episcopo se præsentare, & illius examen subire: alioquin institutio ab inferiore facta irrita erit & inanis juxta Trident. sess. 25. de Reform. c. 9. §. ad hæc. Nisi & hoc ipsum fuerit per inferiores Prælatos speciali jure obtentum per tradita à Panormit. in c. cum non liceat. 12. n. 17. de Prescrip.**

Dubitat I. Quis Clericum præsentatum instituere possit Sede Episcopali vacante? *R.*

Capitulum. *c. etsi 1. h. t. in 6. ubi Gloss. & DD. ideo: quia institutio est actus jurisdictionis necessariæ, quæ Sede vacante est penes Capitulum. c. 11. & 14. de Major. & obed. Nec officit, quod Capitulum Sede vacante nequeat conferre beneficia, quæ ad collationem Episcopi spectant. c. 2. ne sede vacante. quoniam alia ratio est liberæ collationis, & alia institutionis: ista in persona, quæ instituitur, supponit jus, ideoque actus justitiæ, sive necessariæ jurisdictionis est: collatio autem in persona collatarii nullum jus supponit, ideoque est quasi donatio, & actus liberalitatis, seu gratiæ, & voluntariæ jurisdictionis, per quem futuro Episcopo libera facultas conferendi beneficium, cui velit, adimeretur. *Passerin. in cit. c. etsi 1. n. 5. h. t. in 6.**

Dubitat II. Possitne etiam officialis, sive Vicarius generalis sine speciali commissione Clericum in beneficio instituere?

Negat *Rebuffus in Prax. Benefic. lib. 1. tit. Forma vicariatus. n. 126. & seq. Primo* quia non invenitur jure cautum, quod Vicarius sine mandato speciali instituere possit; ergo hoc illi non est concedendum arg. *l. dissentientis. C. de Repudiis. Secundo* quia Vicarius non potest quem destituere, seu privare beneficio, nisi sibi expressè concessum fuerit. *c. 2. de Offic. Vicar. in 6. ergo nec instituere, cum tam institutio, quam destitutio Sacerdotum ad officium Episcopi pertineat. c. cum ex injuncto 12. in fin. de Hæret. Tertio* quia Officialis aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non potest, nisi beneficiorum collatio ipsi specialiter sit commissæ. *c. fin. de Offic. Vic. in 6. Verum conferre autem institutionem quoque comprehendit per *Rubr. ut Eccles. benef. sine diminut. confer. Et quamvis institutio non sit libera collatio, sapit tamen quandam donationem. c. fin. h. t. quæ in generali mandato non venit.**

Affirmant *Gonzal. in c. 3. n. 2. h. t. Barbos. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 70.*

Ho-

Honor. *de Offic. vicar. n. 20.* ubi allegat decisionem Rotæ. Zerol. in *Prax. I. p. V. Vicarius n. 15.* Boër. *dec. 30. n. 4.* idque deducunt tum ex *e. frequentibus. 3. b. t.* ex illis nimirum verbis: *Officialium suorum, qui hoc de jure possunt;* tum ex *e. I. b. t. in 6.* statuentem, Capitulum sede vacante non posse quidem beneficia conferre, præsentatos tamen posse admittere, & instituere. Ratio peremptoria est: quia Officialis, seu Vicarius vi generalis mandati omnia potest, quæ non specialiter reperiuntur excepta, ut cum communi docet P. Engl. *de Offic. Vicarii sub n. 10.* ergo etiam instituere, cum in *d. c. fin. de Offic. Vicarii. in 6.* tantum collatio beneficiorum excipiat.

Unde facile erit prima occurrere rationi dissentientis Rebuffi: non enim potestas Vicarii generalis ad ea restricta est, quæ in jure aut mandato expressa sunt, sed ad omnia extenditur, quæ non sunt à jure specialiter excepta, ac prohibita. Altera sub cane friget: siquidem non valet consequentia: non potest destituere, ergo nec instituere, nam instituere & destituere diversa jura sunt, quæ frequenter non ad eundem, sed ad diversos spectant. Flamin. Paris. *de Resignat. benefic. lib. 7. c. 10. n. 8.* Gregor. Tholosan. *de Re benef. c. 3 I. n. 11.* Laurent. Nicolarts in *Praxi Benef. tit. 1. de Reserv. Conc. Germ. dub. 9. §. 10.* Certè Prælati inferioribus nonnunquam ex privilegio, aut consuetudine competit institutio, quibus minimè competit destitutio. Panorm. in *e. accepta 3. prope fin. de Restitut. spoliat.* Flam. Paris. *d. c. 10. n. 22.* Accedit, quòd spiritualia facilius construuntur, quàm destruantur, prout exemplis illustrat Innocentius III. in *c. 2. de Translat. Episc.* Ratio tertia ideo non urget, quia non est par ratio collationis, & institutionis, ex quo, ut paulo ante dictum, illa est species liberalitatis, ista autem actus necessitatis, cum præsupponat jus petendi in

præsentato, cui ex præsentatione jus acquisitum fuit. Proinde improprie omnino donatio nuncupatur in *c. fin. b. t.*

§. IV.

Subiectum institutionis est Candidatus, qui in beneficio instituitur. Ut autem ritè instituat, ex parte ejus.

Requiritur I. Ut sit Clericus: quippe Laicus incapax est ad obtinenda beneficia. *c. in Ecclesia 2. b. t. c. cum adeo. 17. & ibi Panormit. n. 3. de Rescript. c. ex literis. 6. de Transact. Paris. de Resignat. benefic. lib. 4. q. 2. n. 2. & 3.* ubi assignat rationem: quia Laicus est incapax spiritualium, prout est beneficium. Nec sufficit, etsi quis post institutionem illico tonsuram, ac ordines recipiat: quandoquidem hujusmodiabilitas non percutit tempus vacationis beneficii, quæ sola attenditur, nullà habità consideratione habilitatis supervenientis. Rota *dec. 95. num. 29. & 30. dec. 2. 8. num. 18. p. 11. Recens. Barb. de Offic. Episc. alleg. 72. n. 104.* Casar de Panimoll. *dec. 101. num. 10.* Sanè si Patronus ad Parochialem Ecclesiam vacantem præsentet aliquem, qui Minoribus solum initiatus est, is repelli non debet, sed admitti, ac institui, dummodo alioquin sit idoneus, & intra tempus à jure statutum, videlicet intra annum ad sacerdotium promoveri possit. Text. & DD. in *c. si is. 2. b. t.* Et generatim loquendo, si beneficium certum ordinem sacrum exigat, spectato jure communi, non est necessarium, instituendum actu habere illum Ordinem, sed satis est, si intra annum illum suscipiat. Clem. *2. de Etat. & qualit. & ord. profic. Pirrhing. b. t. num. 12.*

Requiritur II. Ut à Patrono intra tempus legitimum fuerit præsentatus: ut enim institutioni locus sit, de hac præsentatione, ut de aliis requisitis, doceat, necessum est. Celsus *dec. 44. n. 4. dec. 193. n. 1. dec. 297. n. 1.*

Dixi: à Patrono; nec refert, verus Patronus sit,

lit: an solum putativus: nam ad effectum, ut quis veniat instituendus, sufficit docere, se esse presentatum ab existente in quasi possessione Juris patronatus juxta *c. consultationibus. 19. de Jure patronat. Rot. dec. 100. n. 4. coram Duran. in Placentina Canoniciatus. 1. Julii 1674. coram Tarraconen. & in Gerunden beneficii 5. Maii. 1649. coram Melrio. Cellus dec. 320. n. 2. & si Clericus presentatus ab Episcopo fuerit institutus, sed postea ei, qui presentavit, lis moveatur de jure patronatus, & alius in judicio evicerit, institutio ad eam presentationem facta tenet. *d. c. consultationibus. & ibi Fagnan. n. 6.* Modò presentans fuerit bonæ fidei possessor: nam si vel non possedit, sed tantum credebatur esse patronus, vel sciens se nullum jus habere, aliquem presentavit, qui ab Episcopo institutus sit, nihil valet, & sic ordinatus removeri debet. *d. c. consultationibus, & ibi Panorm. n. 6. Rota in Pisciens. beneficii 21. April. 1651. coram Tarraconen. & in Terdonen. juris Patronatus 9. Junii 1653. coram Albergato. Cellus dec. 199. n. 4. qui n. 1. probat, ad acquirendam quasi possessionem presentandi unicum actum ac unicam presentationem sufficere. Verùm Fagnan. loc. cit. num. 8. & seqq. notat, hodie presentationem non esse admittendam, nec presentatum instituendum, quantumcunque presentans sit in quasi possessione presentandi, nisi prius legitime doceat de titulo, & proprietate juris patronatus ex fundatione, vel dotatione, sive etiam ex multiplicatis presentationibus supra hominum memoriam ad præscriptum Trident. in sess. 25. de Reform. c. 9. eo solum casu excepto, quò constat, Ecclesiam esse patronatam, & lis solum inter duos presentatos vertitur, ad quem ex presentantibus jus presentandi pertineat, & cui ex presentatione jus acquisitum sit. *Carc. de Benefic. p. 5. cap. 5. num. 141. Rota in Pisana Capellaniam 20. Maii. 1594. & in***

Pampilonen. Vicaria de Arann 12. Maii. 1595.

Addidi. *intra tempus legitimum: Et verò 9 Patrono Laico ad presentandum quatuor. c. 3. & 27. de Jure patronat. Ecclesiastico sex menses, non à die vacationis, sed cognitionis, & notitiæ computandi, conceduntur. c. 22. X. & c. un. §. verùm. Eod. in 6. Cur ita? quia cum Patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quòd unum tantum presentare possit ad beneficium, & facta semel presentatione variare nequeat, dum Laico plures vel simul, vel successivè re integrâ & institutione nondum secutâ presentare licet. *cap. 24. & 29. de Jure patronat. ideo in eo saltem relevatur, quòd plus temporis habeat, ad inquirendum de Clerico aliquo idoneo. Non sufficit autem, quòd intra illud tempus semestre, aut quadrimestre eligatur, & designetur Clericus presentandus, sed ipsa actualis presentatio à Patrono, aut per ejusdem presentationis literas expediatur, oportet. Franc. in cit. c. un. §. verùm n. 1. & cum aliis Passer. ibid. num. 12. Aliàs pro illa vice beneficii provisio devolvitur ad Episcopum, sive illum, cui jus instituendi competit. cit. c. 3. 22. & 27. de Jure patronat. Gloss. in Clem. un. V. dispositionem de Supplend. neglig. Pralat. ita tamen, ut ab iis, presentatio extra tempus præfixum facta admitti, & presentatus institui possit per *c. literas. 4. & ibi Gloss. V. patientia. de Supplend. neglig. Pralat. Lambertin. de Jur. Patron. p. 2. lib. 2. art. 27. n. 3. & 5. Paris. de Resignat. benefic. lib. 7. q. 29. num. 31. nisi fortè admissio, ac institutio ejusmodi cedat in præjudicium tertii legitime presentati, Cellus dec. 279. n. 6.***

III. *Requiritur, ut instituendus sit dignus* & idoneus, id est, ut qualitates ad beneficium, cui per institutionem præficiendus est, necessarias habeat. Hinc ante institutionem examen circa doctrinam, mores, ac canonica

impedimēta subire, & si indignus repertus fuerit, repelli, si dignus admitti debet. *c. 5. 18. 24. & 29. de Jure patronat. Trident. sess. 24. c. 18. & sess. 25. c. 9. de Reform.* Quod si Ordinarius indignum instituerit, damnationem sibi acquirit, & tenetur Ecclesie læsæ damnum resarcire Instar Magistratūs, qui minus idoneo tutelam pupilli commisit. *l. 1. Cod. de Magistrat. conven. Ancharam. & Cardinal. in Clem. 1. de Et. qual. & ord. practic. Rebuff. in Praxi tit. de Present. & Institut. num. 10.* Sin digno à Patrono intra tempus legitimum præsentato malitiosè institutionem denegaverit, Præsentato, & Patrono contra eum suppetit remedium appellationis, & querelæ. *arg. c. ex parte 10. de Concess. prob. Gloss. & Panormit. in c. pastoralis 29. de Jure patronat. & in c. cum Bertholdus 18. de Sentent. & rejudic.*

Illud hic quari potest: utrum Episcopus in casu, quo plures præsentantur, digniorem eligere, & instituere teneatur?

R. I. Si dignus à majori, dignior à minori parte, ac numero Patronorum præsentatus est, Episcopus dignum instituet, & digniori præferet, ut, qui tali casu non censetur præsentatus. *c. quoniam 3. & ibi Gloss. V. qui majoribus de Jure patron. Clem. plures Eod. Rota Piscien. beneficii 26. Novemb. 1650. coram Celso. & in Tirasonen. beneficii 20. Maii. 1658. coram Priolo.* Quamobrem si duo sint Patroni, Clericus & Laicus, unumque idoneum præsentârint, postea verò variando laicus, sicut potest, alterum æquè, aut magis idoneum præsentando accumulet, Episcopus necesse habet, primum instituere, cum sit potior, utpote ab utroque præsentatus, neque variare Laicus in præjudicium compatro ni possit, ut optimè notat Panorm. in *c. cum autem 24. de Jure patron.* Planè si dignus præsentetur à minori parte Patronorum, & indignus à majori, dignus instituendus erit,

cum præsentatio indigni non veniat attendenda, & perinde habenda sit, ac si facta non fuisset, ex quo hoc in casu totum jus consollidatur in præsentante dignum. *arg. c. dubium 22. & c. congregato 53. de Elect. Vivian. de Jure patron. p. 2. lib. 11. c. 8. n. 12.*

2y. II. Si præsentati sint pares in voce, & tempus ad præsentandum de Jure Patronis concessum effluxerit, aut si plures à Patrono Laico simul, vel successivè præsentati fuerint, Episcopus, quem ex his vult, instituere non potest, nisi eorum merita sint omninò æqualia: aliàs namque tenetur eligere digniorem, sive magis idoneum, adèd ut si magis idoneo neglecto minus idoneum instituat, contra justitiam distributivam peccet. *c. quoniam 3. c. cum autem 24. & ibi Panormitan. Joan. Andr. aliique communiter de Jure patron. S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 3.* Censetur autem dignior, seu magis idoneus, qui majoribus juvatur studiis, & meritis: *c. si forte dist. 63. Rota in Leodicen. prepositura Toronen. 19. Jan. 1650. in fin. princ. coram Card. Uschobono, qui est incorruptæ vitæ, & morum integritate, scientiâ, prudentiâque conspicuus: Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 60. n. 101. Rota in d. Leodicen. prepositura s. cum Canonicis. 3. qui est graduatus in aliqua facultate: Puteus dec. 200. lib. 3. Barb. cit. num. 101. qui est Diæcelanus, incolæ, vel indigena: per *c. ult. de Clericis peregrin. Covarruv. pract. 99. c. 35. n. 5.* qui est pauperior, nullum habens beneficium: *Gloss. de Jure patronat. in l. honorificum n. 42. Seraphin. dec. 768. n. 50.* qui est magis versatus in officiis Divinis celebrandis, & qui aliàs animarum curam exercuit. *Borgnin. dec. 30. num. 1. p. 5. & Casar de Panimoll. dec. 137. n. 7.* qui est ætate senior. *Lambert. de Jure patronat. p. 3. lib. 2. a. 13. q. 5. n. 1. Barbar. lib. 1. constit. 23. n. 14. Rota dec. 291. num. 4. p. 4. Recent. Moneo tamen, quòd**

quod institutio digni omisso digniore facta sustineatur, ne alioquin cum damno Ecclesie sub hoc prætextu plurimas institutiones impugnari contingat, Panormit. in *c. pastoralis* 29. de *Jure patronat.* Azor. *Instit. moral.* p. 2. lib. 6. c. 22. q. 14. S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2.

R. III. Quando Episcopus Clericum idoneum, seu dignum, qui solus à Patrono Laico præsentatus erat, vel bonâ, vel malâ fide, durante adhuc tempore quadrimestri, rejecit, Patronus verò intra illud tempus alium fortè minus idoneum, absolute tamen dignum, præsentavit. eumque Episcopus instituit, hic posterior dignus etiam priori digniori præferendus, & in possessione relinquendus est, non obstante appellatione infra illud tempus à primo præsentato ad Superiorem interpositâ; partim propter jus in re, quod secundo præsentatus per institutionem adeptus est; *c. si ibi absenti* 17. de *Præbend.* in 6. partim quia per appellationem interpositam Patrono laico præjudicare non potuit, quin cumulativè secundum præsentare posset, etsi non factâ secundâ præsentatione appellatio effectum habuisset, ut Episcopo alium instituere non licuisset. Gloss. & Panormit. in *c. pastoralis* 29. n. 2. & 6. de *Jure patronat.* Pirrhing. *ibid.* n. 101. Interim Episcopus, si primò præsentatum malitiosè ab institutione exclusit, eidem in pecuniam de alio competenti beneficio providere jubetur, quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse. Textus in *d. c. pastoralis.* & ibi DD.

IV. Ex parte Candidati *requiritur*, ut præsentatus coram Ordinario, sive eo, à quo instituendus est, personaliter sistatur. *c. cum & plantare* 3. §. in *Ecclesiis* ibi: *Episcopis re præsentent. de Privil.* Verbum enim *re præsentent* propriè idem sonat, ac *præsentem facio* juxta l. *consentaneum* 8. *Cod. Quomodo & quando judex.* & hinc præsentatio commu-

niter dicitur exhibitio personæ per Patronum Episcopo, vel alteri jus institutionis habenti legitime facta. Panormitan. in *c. ea noscitur.* 6. de *his, qua fiunt à Prælat.* Nec reclamat idem *c. ea noscitur.* in illis verbis: *per se, aut per literas personas idoneas Episcopis diocesanis præsentant;* sensus enim haud est quòd Clericus absens pro institutione præsentari possit, sed quòd Patronus præsentans etiam absens per literas præsentationem facere queat. Memini tamen quorundam Confistoriorum, & hujus quoque Salisburgensis Proto-Synedrii stylum esse, ut admittantur nonnunquam præsentationes per transmissionem instrumenti præsentationis factæ, & præsentati absentes instituantur, modò aliis noti existant; quam praxin approbat Innocent. in *c. in Lateranensi* 31. de *Præb.* Barb. de *Offic. & potest. Episc.* p. 3. alleg. 72. n. 11. & Gonzal. ad *Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 4. n. 86. & seqq. Quanquam, si subtiliter loqui velis, talis præsentatio in effectu potiùs nominatio sit, quàm vera, & formalis præsentatio.

Meritò quis dubitet: à quo instituendus sit Clericus præsentatus ad beneficium, in quo instituendi jus ad ipsum pertinet? Enimverò hic non potest institui à se ipso: quia inter dantem, & accipientem ad evitandam ambitionem debet esse distinctio personarum: *c. fin. h. t.* & nemo in proprio facto sibi ipsi auctoritatem præstare potest. l. 1. ff. de *Auctorit. tutor.* Neque à Procuratore, seu aliquo à se delegato: quia delegans institutus à delegato censeretur institutus à se ipso, quandoquidem *quæ facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum* juxta *c. 72. de Reg. Jur.* in 6. Sed nec ab alio: quia, ut in *cir. c. fin.* insinuatur, jus conferendi alius non habet. Vulgò placuit, talem esse instituendum vel ab Episcopo proprio, vel à S. Pontifice,

aut ejus Legato à Latere, vel ab eo, in quem ipse jus instituendi omnino, & absolute transtulit, ita ut eum proprio, & non ipsius presentati nomine instituere valeat. Panorm. in *cit. c. fin. n. 5. & 6. h. t.* Pirthing n. 17. in *fin.*

§. V.

14 *Materiam, seu objectum institutionis constituit beneficium vacans patronatum; Vacans, inquam: quoniam super vacaturo nec presentatio, nec institutio valet per c. nulla 2. c. constitutus 11. §. quia verò de Concess. prabend. Patronatum: siquidem si patronatui non subsit, in eo libera collatio, non institutio obtinet. c. cum in illis 16. §. cum autem de Prabend. in 6.*

§. VI.

15 *Forma institutionis tribus requisitis absolvitur.*

*Primum est, ut institutionem præcedat Patroni presentatio. c. decernimus 32. causâ 16. q. 7. c. illud 8. de Jure patronat. Alioquin institutio erit ipso jure nulla, modò Patronus, cum hoc sciret, institerit, & intra tempus ad presentationem concessum egerit de contemptu. d. c. decernimus. Panorm. in *cit. c. illud & c. ex insinuatione de Jure patronat. Felin. in c. cum Bertholdus 18. de Sent. & re jud. Flamin. Paris. de Resignat. benefic. lib. 8. q. 10. n. 10. Zerola in Prax. Episc. p. 1. V. jus patronatus §. 8. dub. 8. non obstante d. c. illud in fin. nam, ut Panormitanus interpretatur, ibi ejusmodi institutio irritanda dicitur, non de jure, sed de facto, quatenus defacto processit, & hoc, ut evitetur jurium correctio. Quòd si ex postfacto Patroni consensus accesserit, subsistet talis institutio saltem ut ex nunc, etsi non ut ex tunc, sicut loquuntur DD. quia invalida tantum est in favorem Patroni. Felin. d. c. cum Bertholdus n. 9. posse enim consensum tam in ipso actu, quam post actum apponi, tenet Innocentius in c. cum**

consuetudinis 9. de Consuetud. per c. cum nos 3. & ibi Interpp. de his que sunt à Prælati.

*Alterum est, ut ante institutionem nominatim vocentur contradictores, si qui appareant, vel si nullus talis adsit, edictum generale ad valvas Ecclesiæ affigatur, quo preemporie, si qui velint se opponere, citentur, ut statuto die ad locum institutionis faciendæ veniant, causas impugandæ presentationis, aut impediendæ institutionis dicturi juxta c. fin. de Elect. in 6. ita ut his ommissis nulla & irrita sit institutio in beneficiis tam simplicibus quam curatis. Joan. Andr. Dominic. & Ancharan. in *cit. c. fin. Gabriel lib. 1. consil. 199. n. 2. Lælius Zechus de Benef. c. 12. n. 27. Garc. eod. tract. p. 9. c. 4. n. 1. & seqq. ubi id pluribus Rotæ decisionibus confirmat. Rochus de Jure patronat. V. honorificum q. 2. n. 5. & q. 38. n. 69. Nisi alicubi (ut passim est) consuetudo esset in contrarium. Lambertin. de Jure patronat. lib. 2. p. 2. q. 6. art. 14. quem secuta est Rota in una Lamaſcen. benefic. 21. Junii 1596.**

Tertium requisitum est, ut Ordinarii, sive 6 ejus, qui jus instituendi habet, auctoritas interveniat. l. ex frequentibus 3. h. t. Trident. sess. 14. de Reformat. c. 13. & sess. 25. c. 9. Hæc auctoritate neglectâ si Patronus laicus Clericum in Ecclesia patronata instituere præsumat, excommunicabitur: & Clericus peperam institutus communionem privabitur, atque si in delicto persistit, à ministerio Ecclesiastico, & ordine deponetur. c. præterea 4. & c. relatam 21. de Jure patronat. Insuper talis Clericus, si postea in illo, vel alio beneficio Canonicam institutionem impetrare velit, vitium intrusionis exprimere necessum habet, tanquam inhabilis ad beneficia redditus. arg. c. quisquis 43. de Elect. Panormit. in d. c. præterea. n. 2.

Ceterum quo tempore facienda sit præsentati institutio, jure definitum non est, ut docet Gloss. in c. *quàm sit* 6. V. *quàm citius de Elect.* in 6. Garc. de Benef. p. 10. c. 4. n. 1. Rebuff. in Prax. tit. de Devolut. n. 6. Rota dec. 4. v. *præterea nullum de Jure patronat. in noyes.* Cell. decif. 144. n. 10. Quod si tamen postquam debite petita est institutio, diutius, v. g. ultra duos menses differatur, ejus, ad quem pertinet jus instituendi, Superior, puta Metropolitanus, Legatus, aut Nuntius, vel ipse S. Pontifex à præsentato implorandus est, quatenus præfigat certum terminum; intra quem si non instituerit, ipse supplebit defectum, ac negligentiam vel compellendo illum, vel per se ipsum instituendo. Garc. cit. c. 4. n. 5. Pirrhing h. t. n. 19.

§. VII.

17 Finis institutionis est, ut per eam beneficio patronato vacanti collationis locò provideatur, & quidem de Clerico, quem Patronus præsentavit.

§. VIII.

18 Effectus institutionis est, quòd sola titulum, sive jus plenum in beneficio tribuat Clerico, qui per præsentationem ad illud jus tantum ad rem acquisivit. c. *si tibi absenti* 17. & ibi DD. de Præbend. in 6. Quapropter ad eòd necessaria est, ut si præsentatus sine hac beneficium patronatum occuparet, seque administrationi ingereret, nihil juris consequeretur, imò jure ex præsentatione quæsito ipsò factò privaretur arg. c. *avaritia* 5. de Elect. in 6. Quod non solum obtinet in electione, de qua expressè loquitur, & in postulatione juxta c. *bona memoria* 23. X. Eod. sed etiam in præsentatione, ac persona præsentati, ut in d. c. *avaritia* post alios notat Franc. Gabriel consil. 199. n. 3. lib. 1. P. Engel h. t. n. 2. Garc. de Benef. p. 11. c. 12. n. 216. Id tamen hinc rectè desumi, negat Lessius de F. & F. lib. 2. c. 34. n. 15. eò quòd d. c. *avaritia* constitutio


pœnalis, consequenter ab electis ad Prælaturas, & dignitates pastorales, de quibus differit, non sit porrigenda ad præsentatos ad inferiora beneficia.

§. IX.

Affinis huic institutioni est I. concessio curæ animarum, id est, approbatio Episcopi diocesanæ in ordine ad curam animarum, quæ dicitur *institutio authorizabilis*, & communiter inter jura Episcopalia numeratur: licet enim ex consuetudine, vel privilegio alicui præter Episcopum competat institutio, vel collatio beneficii, non tamen eò ipsò etiam exercitium curæ animarum dare potest Beneficiatò, sed ab Episcopo obtinendum est, etiam prævio speciali examine, si ita visum fuerit Episcopo, *contrariis privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemoriali* (intellige de antecedentibus) *non obstantibus.* Trident. sess. 23. de Reformat. c. 15. cum quo concordat Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili de Anno 1622.* & Bulla Urbani VIII. *Cum sicut accipimus de Anno 1628.* Nihilominus hæc institutionem authorizabilem, instar aliorum jurium Episcopaliùm, à Prælatibus inferioribus præscribi posse, probat Panorm. in c. *cum non liceat* 12. n. 17. de Præsc. Barb. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 185. alleg. 127. num. 14. Neque verò lex, quæ tollit consuetudinem contrariam generalem tollit particularem præscriptionem arg. c. 1. de Constit. in 6. item & privilegium facilius tollitur, quàm præscriptio: quia illud ex mera liberalitate descendit, hæc jure communi, & ex publica causa ad tollendas lites introducta est.

II. Investitura, seu actualis traditio, & introductio in possessionem beneficii, quæ installatio, aut *institutio corporalis* appellatur, & fieri solet per occupationem actualem cujusdam rei ad illud beneficium pertinentis; ut puta per traditionem clavium, & introductionem in domum parochiale.

Hanc aliqui distribuunt in investituram *realem*, & *verbalem*, prout scilicet contingit vel per corporalem introductionem, vel tantum per verba cum traditione alicujus signi; quam posteriorem existimant, non tribuere actualem possessionem, sed solum jus ad illam. P. Engel *h. t. n. 5.* Illud certum est, quod, si cui beneficium collatum sit, ejusdem actualem possessionem propria autoritate apprehendere nequeat sine Superioris autoritate, qui de jure communi est Archidiaconus. *c. ad hoc 7. c. ut nostrum 9. de Offic. Archidiacon.* excepto casu, quo beneficium est litigiosum, & occupatum ab alio, quem proinde expelli oporteat: tunc quippe etiam actualis introductio ad Episcopum spectat, sicut & ferme univrsim hodie de consuetudine ei tribuitur. *c. licet Episcopus 29. de Præbend. in 6.*



TITULUS VIII. De concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARI A.

1. *Definitur collatio.* 2. *Potestas conferendi beneficia è quo jure descendat?* 3. 4. *Quatenus competat S. Pontifici?* 5. 6. *Legatis?* 7. 8. *Episcopis, & Capitulis?* 9. 10. *Aliis Prælati?* 11. *Laicis?* 12. *Beneficium cui conferendum?* 13. *usque 17. Ut conferri possit, debet esse vacans.* 17. *usque 26. non reservatum, aut affectum.* 26. *Nec patronatum.* 27. *usque 30. Assignantur collationis requisita.* 30. *finis 31. 32. effectus.*

AB institutione non multum quoque discrepat concessio præbendæ, seu, ut propria phrasî vocatur, *collatio*; imò in lata significatione institutionem comprehendit, ut advertit Rebuff. in *Prax. benef. tit. Formæ vicariatus. n. 127.*

§. I.

- I** *Definitur collatio, quod sit vacantis beneficii concessio gratuita, & omnino libera, seu*

absque alterius præsentatione, ac nominatione facta. P. Engel *de Instir. n. 1.*

§. II.

Causa efficiens collationis, seu concessionis præbendæ alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Canonicum, quod Episcopis, aliisque Collatoribus facultatem tribuit, liberè, & sine alterius nominatione, aut præsentatione concedendi beneficium Clerico idoneo, cui libuerit, præscriptâ certâ formâ, ac solemnitatibus.

Proxima sunt Collatores: S. Pontifex, Legati à latere, Episcopi, & Capitula, Abbates, alique, quibus jus conferendi ex speciali fundatione, privilegio, aut præscriptione competit.

S. Pontifex, tanquam Ordinarius omnium Ordinariorum, supremam, eamque absolutam potestatem habet in omnibus beneficiis totius Orbis Christiani juxta *c. 2. de Præbend. in 6. & Clem. 1. Ut lite pendente.* Et quidem in primordio nascentis Ecclesiæ, ac circa primam beneficiorum divisionem solus Papa omnia conferebat, & nemo alius hanc potestatem habebat teste Tamburino *de Jure Abbat. tom. 3. diss. 9. q. 1. n. 1.* Flam. Parif. *de Resignat. benef. lib. 1. q. 10. n. 47.* Crescente postea, & dilatata Ecclesia in partem sollicitudinis vocati sunt Episcopi, & facultatem plenissimam disponendi circa beneficia, quam Papa in toto mundo habebat, eandem in omnibus Ecclesiis suæ Diocesis acceperunt juxta *c. 3. & 4. causâ 10. q. 1. c. omnes basilica causâ 16. q. 7.* atque in hoc rerum statu nulla beneficia specialiter Sedi Apostolicæ reservabantur, sed confusè nunc Papa, nunc Episcopus providebat, erâtque locus præventioni, ita scilicet, ut si unus à Papa, alter ab Ordinario collationem accepisset, tempus datæ & collationis inspiceretur, & qui prior tempore, potior jure haberetur. *Gonzal. ad Reg.*

Res. de Mensib. §. 1. n. 53. Quia verò hæc confusa collatio, & conferendi potestas causa multarum litium fuit, Summi Pontifices hanc potestatem nonnihil limitârunt, & quædam beneficia specialiter sibi reservârunt, vel verbaliter, nimirum in Corpore Juris, in Bullis Extravagantibus, in Regulis Cancellariæ, vel in specialibus Nationum Concordatis; vel per actum realem, nempe apponendo manus, & specialem gratiam singulari personæ concedendo, per quale factum beneficium tacite censetur reservatum, & in jure affectum nuncupatur. Sed de his paulò post amplius.

4 Porro in curia Romana beneficiorum collationes fiunt per signaturas, & vel in forma gratiosa, vel in forma commissoria, seu, ut vulgò dicitur, in forma dignum: à clausula: *Dignum arbitramur, & congruum.* Literæ sub forma gratiosa diriguntur ad eum, cui facta est gratia, & transeunt sub serico rubeo & croceo: literæ in forma *Dignum* diriguntur ad Executores, & bullantur cum chordulis cinabris. Clariss. P. Christoph. Döring. de *Jure Resc. ipt. c. 1. n. 10.* cum Vital. in *Clem. jun. n. 10. & 11. de Rescript.* Illas qui obtinet, non est obnoxius ulteriori examini per proprium Ordinarium faciendò: quia signaturam forma gratiosa præcessit ipsius Ordinarii ad Pontificem scripta attestatio de Supplicantis idoneitate, prout consueta hujus signaturæ clausula indicat: *Orator testimonio Ordinarii sui de vita, & moribus, ac idoneitate commendatur.* Per istas Ordinarius jubetur imperrantem examinare, eique, si invenerit secundum qualitates in rescripto expressas idoneum, conferre tale, vel tale beneficium: cum dignum sit, & congruum, ut illis Sedes Apostolica se reddat gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Quò facit *Clem. un. b. t. Clem. 1. de Offic. deleg. Rebuff. in Prax. benef. tit.*

de Rescripto: dignum arbitramur. n. 2. & 3. Felin. in c. postulasti. colum. 3. de Rescript. P. Christoph. Döring. cit. n. 10. Cæterùm provisiones Papales, & rescripta ad beneficia strictè interpretanda, finésque, & terminos eorum exactissimè observandos esse, dubitare non sinunt textus & exempla in *c. fin. X. c. quamvis plenissima 4. c. cum in illis 16. c. cui de non Sacerdotali 17. de Præbend. in 6. Clem. 1. Eod.*

Legati Cardinales, seu à latere, ut qui in Provincia sibi destinata S. Pontificem repræsentant, possunt conferre omnia beneficia vacantia illius Provinciæ. *c. dilectus 6. X. c. officii 1. de Offic. legati in 6. c. cum dilectus 28. de Jure patronat. c. si à Sede 31. de Præbend. in 6. & vacatura suæ collationi reservare. c. presenti 3. de Offic. legati in 6.* modò S. Pontifex ea conferre, aut reservare soleat: quoniam potestas Legati à latere, abstrahendo à speciali mandato non amplius se extendit, quàm potestas ordinaria Papæ. Quare excipiuntur dignitates, & beneficia electiva *c. deliberatione 4. Eod. in 6.* item illa, in quibus Laicis ex fundatione, dotatione, vel constructione (secus si ex privilegio tantùm, aut præscriptione) jus patronatûs competit: cum juri patronatûs Laicorum S. Pontifex derogare non soleat, ne Laici à foundationibus avertantur, sicut nec impedire liberas electiones. Ex eadem ratione Legatus à latere non potest apud eundem Ordinarium binâ reservatione pendente in eadem Diocesi facere alteram. *cit. cap. presenti & ibi Passerin. n. 16. & seq.* Planè Legati nati, & missi, seu Nuntii Apostolici in conferendis beneficiis nullam potestatem habent, nisi eam specialiter à S. Pontifice acceperint, vel, quod aliquando fieri solet, *cum potestate Legati de latere mittantur. d. c. 1. & ibi Passerin. n. 5. & 6. c. 3. & 4. de Offic. legat. in 6.*

Illud

6 Illud indagandum: num adhuc hodie in Germania Legati à latere talem potestatem circa collationem, & reservationem beneficiorum habeant? & verius videtur, quòd in Germania vix amplius beneficia conferre, aut reservare possint præter illa, quæ ex negligentia aliorum Prælatorum inferiorum ad Sedem Apostolicam devoluta sunt. *c. venerabilis 37. de Præbend. & Clem. si de beneficio. 5. Eod.* quandoquidem quoad reliqua beneficia Legatorum potestas magnoperè diminuta est, dum Nicolaus V. in *Concordatis Germaniæ* suo, & suorum Successorum nomine Friderico Imperatori, aliisque Principibus, & Prælatibus Germaniæ expressè promisit, quòd in eorundem mensibus, & in beneficiis non reservatis nolit Ordinariorum collationem impedire. *Concord. German. §. de cæteris vero.* igitur neque Legati hoc poterunt præveniendi, vel reservando? Legati namque etiam à latere nihil possunt contra S. Pontificis prædicta, quæ vim juris habent, cui utique subiecti sunt Legati Apostolici. Accedit communis regula, quòd legatus illa non possit, quæ S. Pontifex ordinariè facere non solet. Dissentit *Garc. de Benef. p. 5. c. 2. n. 42.* ubi per extensum refert decisionem Rotæ in *una Verdunen. Canonicius 6. Martii & 19. Julii 1595. coram Pamphilio.*

7 *Episcopi, Archi-Episcopi, & cæteri Ordinis Episcopalis* Prælati intra suam Diocesim conferre possunt omnia beneficia, in quibus jus contrarium aliis quæsitum non est: habent enim aliàs pro se intentionem in jure fundatam. *c. regenda 4. causâ 10. q. 1. c. omnes basilica 10. cum seq. causâ 16. q. 7. c. 1. de Capell. Monach. c. cum ex injuncto. 12. in fin. de Heret.* ubi ad Episcopi officium tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum pertinere dicitur. Interdum tamen collatio beneficiorum non solum ad Episcopum, sed simul ad Capitulum spectat, & vel æquè principaliter,

quo casu alter sine altero beneficium conferre nequit, nisi alterutro mortuo, suspenso, aut excommunicato, vel saltem dependente à consensu, aut consilio ejusdem Capituli, quo casu Episcopali Sede vacante, aut Episcopo suspenso jus conferendi in Capitulum non transit. *c. un. Ne Sede vacante.* ubi latè Passerin. & alii Interpp.

Singulare dubium, & ingens DD. *diffensio* est, ad quem collatio præbendarum, & Canoniatuum Ecclesiarum Cathedralium pertineat?

Complures collationem hanc soli Episcopo attribuunt, eò quòd solus dispositionem eundem beneficiorum suæ Diocesis habeat, eique de jure antiquo, ac dispositione Ecclesiæ potestas conferendi inferiores Ecclesias, & omnia beneficia suæ Diocesis competierit per *jura citata*; à qua regula non esse recedendum, nisi in casibus, qui postmodum à jure fuerunt expressi, asserit *Gloss. in c. quanquam V. devolvetur. de Elect. in 6.* Discrepant autem, an Episcopus ejusmodi præbendas, ac Canonias cum consensu, vel consilio tantum Capituli conferre debeat? Consilium tantum postulat *Hoftiensis in c. cum Ecclesia. 31. de Elect. cum aliis*, quibus favet textus in *c. novit. 4. & seq. de his, qua sunt à Præl. Consensum Capituli, vel saltem majoris partis illius exigit Duare. de Benef. lib. 3. cap. 4. Selva eod. tr. 2. p. q. 22. casu 4. n. 12.* quibus suffragatur *c. ea noscitur. 6. de his, qua sunt à Prælat.*

Receptior sententia vult, Canoniatum, & præbendas Ecclesiarum Cathedralium pertinere ad provisionem Episcopi, & Capituli simul, ac æquè principaliter. *Gloss. in cit. cap. cum Ecclesia 31. V. postulavit de Elect. Abbas ibid. n. 9. Fagnan. n. 11. & seq. Garc. de Benef. p. 5. c. 3. n. 13. & seqq.* ubi plures decisiones Rotæ allegat. *Lotter de Benef. lib. 2. quest. 21. n. 8.* Propterea quia in *6. & cum* Es-

Ecclesia 31. *de Elect.* reprobatnr petitio Episcopi Vulterani electionem Canoniorum sibi solirelinquendam petentis, & postea primùm subditur: maximè si sit notorium, quòd ex generali consuetudine solum Capitulum, irrequisitò Episcopò, eligendi Canonicos habeat facultatem; facili argumento, quòd ergo abstrahendo à consuetudine, nec ad Episcopum solum, nec ad solum Capitulum, sed ad utrumque simul electio, seu creatio Canoniorum spectet. Nec sinè ratione: siquidem non minùs principaliter Canoniorum interest, quàm Episcopi, habere bonos Collegas.

Verùm quidquid circa hanc partem theoricè possit disputari, vel ex jure communi, vel ex ratione: hodie attendenda sunt statuta, privilegia, foundationes, pacta conventa, usus, & observantia cujusque Ecclesiæ, quarum in pluribus Canonicis conferuntur à solo Episcopo, cum consensu duntaxat, aut consilio Capituli; in multis ab Episcopo, & Capitulo simul, ita ut in concursu Episcopus unam, & major Capituli pars unam similiter vocem faciant, adeoque si discordent, nullius collatio subsistat: Panormit. *in cit. c. cum Ecclesia.* n. 11. *Novar. consil. I. de his, que fiunt à Prælat.* in aliquibus à solo Capitulo, & vel ab omnibus, vel à singulis Canonicis: nam ut facilius provideatur Ecclesiis, fieri sæpiùs solent alternativæ præsentationes, & collationes, quæ dicuntur per *Turnum* fieri, eæque in Metropolitana hac Salisburgensi, & in multis Ecclesiis Gallicanis obtinent, teste Gloss. *in c. fin. de Præbend. in 6.*

Eadem, quæ Episcopi, beneficia conferendi potestate potiuntur *Abbat*, & *Prælati*, qui proprium habent territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, sicque non tantùm quoad se, & sua Monasteria, sed etiam quòd ad subditos sæculares à jurisdictione Episcopi exempti sunt: quippe tales de jure quoque communi omnia beneficia sui territorii con-

ferre queunt. Panormit. *in c. 31. num. 4. de Præbend.* Tambur. *de Jure Abb tom. 3. disp. 9. q. 1. n. 2.* Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 17. n. 102.* ubi n. 94. generaliter advertit, ejusmodi Abbates in jurisdictionibus posse regulariter omnia, quæ Episcopi possunt in sua diocesi. Aliis *Prælati* jurisdictionem ordinariam in aliquòd territorium non exercentibus, & quibusvis personis Ecclesiasticis jus conferendi beneficia nonnunquam competit ex speciali privilegio, vel consuetudine, aut præscriptione 40. annorum cum titulo, aut temporis immemoralis sinè titulo. *Clem. un. de Supplend. neglig. Prælat. c. extenore 13. h. t.* juncto *c. 1. de Præscript. in 6.* Pirrhing. *de Præbend. n. 86.* Flam. *Parisi. de Resignat. benef. lib. 8. q. 9. n. 23.* Quin imò si sint in quasi possessione juris conferendi beneficia, licitè & validè ea conferre possunt, ita ut Clerici ab iis provisè collatione acceptatà à beneficiis removeri nequeant, quantumvis postea constet, aut legitimè probetur, jus conferendi non ad Possessorem, sed ad alium pertinuisse. *Garc. de Benef. p. 5. c. 5. n. 57.* sinè dubio ideo: quia ex una parte collatio est quidam fructus juris conferendi, fructus autem percipit bonæ fidei Possessor, nec eos consumptos restituere tenetur; *l. bona fidei. 48. ff. de Acquir. rer. dom. ex altera hoc ipso, quòd provisè per acceptationem collationis jus in re, & proprietatem beneficii acquirant, collatio jam effectum sortita, & juris conferendi fructus consumptus censetur. c. si tali. 17. de Præb. in 6.* Nec obstat, quòd proprietate abforbeat causam possessionis, quando de proprietate clarè constat. *c. cum dilect. 6. de Causa possess. & propriet.* nam id procedit respectu futurorum eventuum, non respectu præteritorum. *Garc. l. c. n. 58.* contra Panormitanum.

Expedienda hic est *quæstio*: num etiam *Laiici* per viam consuetudinis, aut præscriptionis jus conferendi beneficia acquirere possint?

Ratio dubitandi est, quod jus hoc Principes seculares privilegio Apostolico obtinere possint. arg. *c. dilectus. 34. de prabend. & ibi Barb. num. 4.* & multi defacto obtinuerunt: enimverò Imperatores Romanorum habent jus primarum precum, vi cuius in singulis Germaniæ Ecclesiis petere possunt, ut persona, quam nominant, recipiatur: Reges Galliæ sibi jus usurpant, vi cuius vacante Sede fructus beneficiorum Ecclesiasticorum percipiunt, eaque conferunt: Reges Neapolitani habere jus nominandi Episcopos in quadraginta Ecclesiis Cathedralibus, ut post alios testatur Herman Hermes in *Fascio. Juris publ. c. 11. n. 6. & 10.* Privilegio autem parem vim habent consuetudo, & præscriptio saltem immemorialis juxta textum, & Gloss. in *c. super quibusdam. 26. de V. S. & in l. hoc jure. 3. §. ductus aqua. 4. ff. de Aqua quotid. & astiv.* ita ut nec ullus titulus unquam requiratur. *c. 1. de Præscript. in 6.*

Nihilominus per consuetudinem, aut præscriptionem, quamvis immemoriam, Laicos simile jus acquirere non posse, jam pridem in rem judicatam transit; optimâ ratione quia laicus sine privilegio capax non est possessionis juris conferendi beneficia arg. *c. sacrosancta. 51. de Elect. c. causam. 7. de Præscript. sine possessione autem præscriptio non procedit c. 3. de R. F. in 6.*

Unde sua sponte ruit ratio dubitandi, quandoquidem in iis, quæ sine privilegio possideri non possunt, præscriptio temporis immemorialis, cum nulla sit, vim privilegii non habet. Panormit. in *c. novit. num. 22. de Judic.* etsi quando cum immemoriali tempore concurrat fama privilegii Apostolici nonnunquam obtenti, ob ejus exhibendi difficultatem Laicus in exercitio juris conferendi sit relinquendus, donec eam famam falsam esse constet. Felin. in *d. c. causam. 7. num. 7. de Præscript. Layman ad c. 1. de Elect. n. 15.*

§. III.

Subjectum collationis sunt, quibus præbenda, ac beneficia vacantia conferuntur. Debent autem beneficia non nisi merentibus, ac virtuosus conferri. *c. grave nimis. 29. de Præbend. & ex dignis dignioribus, præsertim si beneficia sint curata.* Sic enim decernit Concilium Tridentinum. *sess. 24. c. 1. de Reform. In primis meminerint, nihil se ad DEI gloriam, & populorum salutem utilius facere posse, quam si bonos Pastores, & Ecclesia gubernanda idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligentius curaverint.* Sed audi, quid Satyricus Poëta occinat:

*Quartuor Ecclesias portis intratur in omnes,
Caesaris & Cræsi, Sanguinis, atque DEI
Prima patet Magnis, & Nummis altera,
Charis*

Tertia, sed paucis quarta patere solet.

§. IV.

Materia, sive *objectum* collationis est beneficium, quod conferitur. Ut autem conferri possit.

Requiritur I. Ut vacet, hoc est, ut possessore, vel beneficiato destituatur: id quod tripliciter fieri posse, notat Henr. Zoëf. *b. r. n. 1.* cum P. Engel *n. 2.* Aliquando enim beneficium vacat, & beneficiato destituatur *de facto tantum*, videlicet quando de facto nemo est in possessione actuali beneficii, sed solum ad est aliquis beneficiatus, qui titulum & jus ad beneficium habet, ut quando beneficiatus est vi dejectus, aut injusto metu adactus beneficium resignavit. Sed hæc vacatio ad collationem non sufficit, neque propterea beneficium alteri concedi potest, cum qui per vim, aut metum possessionem de facto amisit,

regressum, & beneficium restitutionis in integrum habeat juxta *c. 2. & seqq. de his, quæ vi, metusve causa.* Interdum vacat de jure tantum; ut si quis detinet beneficium ex collatione illius, qui jus conferendi non habuit, vel si quis de facto in possessione maneat, illius beneficii, quo propter defectum, aut susceptionem secundi beneficii incompatibilis ipso jure privatus est. Est hoc casu licet absolute loquendo beneficium tale tanquam à parte rei vacans, conferri, & impetrari queat debet tamen in impetratione fieri mentio, beneficium ab alio de facto, et sine jure, occupari; alias rescriptum impetratum, & collatio subsecuta nihil valet. Textus & DD. in *c. cum nostris. 6. h. r.* Item hoc casu non potest Episcopus novum beneficiatum in corporalem possessionem beneficii introducere, nisi prius vocato, & examinato possessore, an forte jus aliquod retinendi beneficii possessionem habeat. *c. licet. 28. de Præbend. in 6.* Sæpius autem beneficium vacat de jure, & de facto simul: ut cum nec titulus, nec possessio beneficii apud aliquem est, qualiter vacare censentur beneficia per mortem, aut liberam resignationem Beneficiati. Item huc referenda sunt beneficia, quæ quidem de facto ab aliquo detinentur sed prorsus sine specie juris, & sine omni titulo etiam colorato: quoniam ejusmodi beneficia, instar beneficiorum tam de jure, quam de facto vacantium, liberè conferri, & impetrari possunt, nec in impetratione, vel rescripto de tali possessione mentio fieri debet juxta reatum, & Panormitanum in *c. literas 9. h. r.* quod hæc ratione cum *d. e. cum nostris. 6. Eod. in speciem* contrario conciliatur.

Itaque beneficium Clerici viventis & possidentis, antequam vacet, conferri nequit, & qui vivo, & non legitime privato Sacerdoti successorum substitui patitur, ab Ecclesiæ communionem repellendus est. *c. qui in vivo vivo 1. h. r.* Imò tale beneficium nec pro-

mitti potest in tempus, quo vacare incipiet, ne mortem proximi quis desiderare videatur. *c. nulla. 2. c. ex tenore. 13. Eod.* quod improbum, & bonis moribus repugnat. *l. fin. C. de Pañis.* Et licet in *c. accedens. 14. h. r.* distinguatur promissio beneficii, cum poterit conferre Prælati: ab ea promissione, cum vacabit beneficium; omnis tamen promissio, per quam datur via ad beneficia vacatura, est damnata à Bonifacio VIII. in *c. detestanda. 2. Eod. in 6.* eò quòd sub hujusmodi pallio verborum generalium in effectu latere videatur promissio beneficii primò vacaturi contra Decretum Concilii Lateranensis in *cit. c. nulla. 2. relati,* & induci votum captandæ mortis non minus, quàm si in specie beneficium primò vacaturum promitteretur. Unde & Trident. *sess. 24. de Reform. c. 19.* statuit, mandata de providendo, & gratias, quæ expectativa vocantur, nemini amplius, ne quidem Collegiis aut Universitatibus ad vacatura beneficia concedenda esse, in tantum ut reprobet etiam expectativas, & reservationes mentales, quibus Papa beneficium vel in genere, vel in specie per Bullam, aut per Breve reservabat personæ certæ, quam non exprimebat, sed in mente retinebat.

Dubitanti cuidam, quid sentiendum de præxi, quæ passim etiam timorati personis sibi probatis & charis, cum pro beneficio supplicent, ore tenus, vel scripto promittere solent, se, cum poterunt, gratificaturos, eosque voti composos facturos, & vacante tali, vel tali beneficio neminem alium promoturos? peroptime respondet Henric. Wagnereck in *d. c. nulla h. r.* vel ejusmodi loquendi modis & gratiis etiam scripto factis solummodo spem, non rem ipsam, aut istius obtinendæ jus tribui, ut proinde promittens ad præsentationem, aut collationem faciendam non obligetur, & beneficium, cum vacaverit, alteri sine injuria, & non obstante appel-

appellatione conferre possit juxta *cit. c. relationum. 3. Eod.* vel Canones contrarios non esse ubique in tanto rigore receptos: cum in quibusdam Univeritatibus studiorum generalium ad Gradus Academicos promoti ad Beneficia primò vacantia nominentur, teste Zoël. *h. t. n. 9.* in Ecclesia Salmantina ex immemoriali tempore, & à Pio IV. confirmata consuetudine duo Canonici supernumerarii eligantur, teste Barb. in Trident. *sess. 24. c. 19. de Reform. n. 3.* Addit Henr. Wagnereck *ut supra* quarundam Ecclesiarum more *Canonicos expectantes* canonicatus vacaturos aperte admitti, & Calendariis inseri, prout in Ecclesia Cathedrali Constantiensi aliquot Nobiles suscipiuntur.

16 Porro ad refrœnandas ambitiones, & fraudes supplicantium, qui advertentes, Beneficiario ægotanti spem reconvalescentiæ præcisam esse, præproperè ante mortem ipsius ad S. Pontificem pro impetrando beneficio recurrunt, duæ *Regula Cancellaria* prodierunt. *Prima*, quæ inscribitur *de non impetrando beneficium per obitum viventis*, est, quâ in ordine 21. cavetur, quod si quis impetraverit rescriptum, ut sibi provideatur de beneficio, tanquam per obitum alicujus, tunc viventis, vacante, etiamsi postea per obitum vacet, provisio, & quævis dispositio, dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. *Alterâ* est 30. in ordine, quæ vocatur *de verosimili noticia*, eâque cavetur, impetrationem cujusunque beneficii sive simplicis, sive curati, sive secularis, sive regularis per obitum vacantis, irritam esse, nisi post obitum, & ante datam literarum Apostolicarum congruum tempus effluxerit, intra quod verosimilis noticia obitus ad S. Pontificem pervenire potuerit. Ad quam regulam Rebuff. *glossâ 6.* dicit præmaturas hujusmodi provisiones ita nullas esse, ut nec post triennium juvent, cum ne-

que titulum coloratum habeant, ut exigit *Regula de Trienniali. 36.*

II. Ad hoc, ut beneficium conferri possit, requiritur, ut non sit S. Pontifici *reservatum* vel *affectum*. quippe si defacto simile beneficium ab inferiore Collatore etiam bonâ fide atque ex ignorantia sive juris, sive facti conferatur, collatio omnino nulla est, consequenter omnia in pristinum statum reponenda sunt, adeo ut Beneficiatus, si in dimittendo beneficio reservato difficilem se non præbeat, liberè reverti possit ad priora beneficia intuitu ejusmodi collationis fortè resignata, quam hæc aliis jam fuissent collata, *c. si postquam. 13. c. si beneficia. 20. de Præbend. in 6.*

Ex beneficiis speciali Pontificis collationi *reservatis* aliqua reservata sunt *jure communi*, aliqua *jure extraordinario*.

Jure communi reservata dicuntur, quorum reservatio continetur in Corpore juris communis; qualia sunt beneficia eorum, qui propter quodcunque negotium, vel causam petra tractandam in Curia Romana, seu apud Sedem Apostolicam versantur, & ibidem, vel à Curia recedentes in loco vicino, id est, non distante ultra duas diastas legales (pro diasta computatis 20. milliaribus Italicis, sive 4. aut ad summum 5. Germanicis, arg. *l. itinere. 3. ff. de V. S. l. 1. ff. Si quis cautionib. Clariss. P. Christoph. Döring de Jure Rescript. c. 4. n. 6.*) moriuntur. *c. licet. 2. c. statutum. 3. c. presenti. 34. de Præbend. in 6. Clem. si duobus. 1. Ut lite pend.* Et hoc procedit de ipsis quoque Curialibus, id est, Curia officialibus, licet forsitan Ecclesia Romana vacet, & ad locum Curia vicinum recreationis, vel ex alia quacunque causa ad tempus recedant modo non habeant ibidem domicilium. *d. c. presenti. 34. §. idem est.* Quod si quis non ratione Curia commoretur in loco, ubi S. Pontifex, ac consequenter Romana Curia est, vel in loco vi-

cino, sed ibi domum, & domicilium habeat, tunc quamvis ibidem moriatur, beneficium propterea non cadit sub hanc reservationem. *d. c. presentii. §. sanè.* Certè si contingit, S. Pontificem aliò Sedem, ac Curiam suam transferre, & Curiales, qui eandem sequi tenentur, in itinere, aut in priori loco Curia, forsitan ob infirmitatem remanentes, mori, eorum beneficia reservata sunt, & apud Sedem Apostolicam vacat, ut locus ultra duas diœtas à Curia distet. *sæpe d. c. presentii. in fin. & ibi DD.*

19 *Jure extraordinario illa beneficia reservata censentur, quæ reservata sunt per Extravagantes, Regulas Cancellaria, Nationum Congregata, aut speciales Bullas Pontificias.*

Per Extravagantes reservata sunt I. beneficia, quæ vacant per assecutionem alterius cum primo, seu priùs obtento incompatibilis, modo adepti possessionis secundi sit pacifica. *extravag. execrabilis. de Præbend. apud Joann. XXII.* II. Ea, quæ vacant per mortem Cardinalium, Officialium, & Familiarium Papæ, ubicunque tales decedunt; ut etiam beneficia Legatorum, & Collectorum Ecclesiæ Romanæ, causarum Auditorum, aliorumque Officialium. *extravag. ad regimen. 13. de Præbend. inter communs.* III. Omnia beneficia secularia, & regularia etiam electiva eorum, qui auctoritate Pontificiâ sublimiores Ecclesiæ beneficia, ac officia tempore promotionis suæ obtinebant. *d. extravag. ad regimen.* IV. Illa, quorum vacatio in Curia, sive Romæ iaducitur per translationem, depositionem, privationem, electionis aut postulationis cassationem, aut alium modum amittendi beneficia. *d. extravag. ad regimen.* Idque etiam si aliquis per contumaciam Romæ non sit, modo sententia Romæ feratur in contumacem. *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 13. n. 45.* V. Quæcunque beneficia, quæ in manus Papæ resignantur, *d. extravag.*

ad regimen. quamvis resignatio per Procuratorem fiat, & Beneficiatus longissimè distet. *Covar. pp. 99. c. 36. n. 4. Gloss. in Clem. 1. Ut lite pend.* Quin etiam illa, quæ in Curia, sive civitate illa, ubi Papa degit, in manus proprii Episcopi casu ibidem commorantis renuntiantur. *Covar. Var. Resol. c. 20. n. 9. Gonzal. d. gloss. 13. n. 43.*

In *Regulis Cancellaria* complures reservationes reperire est. Ecquidem in prima renovatur reservatio beneficiorum *extravag. execrabilis. & extravag. ad regimen. cit.*, atque novissimè in eadem quoque reservata sunt beneficia contra formam Concilii Tridentini collata; ut si Episcopus contulit beneficium curatum ei, qui non est 25. annorum contra *Trid. sess. 7. c. 3.* vel beneficium simplex minori annis 14. contra *Trident. sess. 23. c. 6. Barb. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 57. n. 80.* In *secunda* reservantur generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primitiales, Archi-Episcopales, & Episcopales, nec non & Monasteria Virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri excedentia. Quam regulam Pius V. & Successores novè reservatione auxerunt, omnium nempe beneficiorum, quæ vacare incipiunt in interregno post mortem Episcopi, vel Abbates, ad quem aliàs collatio spectaret, antequam Successor eligatur. Quod verò etiam Monasteriorum mentio fiat, id non de omnibus sed solum de Monasteriis in commendam dari, & consistorialiter conferri solitis accipiendum, docet Chokier ad *d. Reg. 2. in fin.* Quo jure Germania utatur, dicemus *num. 22.* In *tertia* Regula reservantur dignitates majores post Pontificales in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non principalis in Collegiatis Ecclesiis valorem decem florenorum auri excedentes, non quidem omnes, sed una in singulis, quæ prima est, sive Præpositura, sive Decanatus, sive

five quocunque alio nomine appelletur. Gonzal. gloss. 9. §. 4. n. 11. P. Engl. de Prab. n. 23. item omnes Prioratus, Praposituræ, & Dignitates Conventuales Ordinum quorumcunque. Quod tamen rursus de Prioratibus in commendam dari solitis intelligit, & sic declaratum esse, testatur. Barb. cit. loc. n. 105. Per regulam quartam, quintam, & sextam reservantur omnia beneficia Collectorum, Curialium, Cubiculariorum, vel Cursorum Pontificiorum. In septima reservantur omnia beneficia, & Canonicatus Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, SS. Petri, & Pauli, ac B. Mariæ Majoris in Urbe Romana, sicut & quæcunque beneficia ad collationem Cardinalium spectantia casu, quo illos à suis Titulis, vel Episcopatibus tempore vacantia abesse contingit. Demum in Regula octava distinctio Mensium introducta est, ut nimirum etiam beneficia præcedentibus Regulis non Comprehensa Ordinarii Collatores conferre tantum possint, si vacare incipiant Mense Martio, Junio, Septembri, & Decembri; reliquis octo Mensibus quocunque modo vacantia, dummodo non per resignationem in manus Ordinarii vacare incipiant, universaliter collationi Sedis Apostolicæ reservatis. Hodie ad hanc Regulam SS. Pontifices addere solent unam exceptionem, & gratiam specialem pro Episcopis residentibus, ut videlicet, quam diu verè personaliter in sua Ecclesia, vel Diocesi resederint, non tantum prædictis Mensibus, sed alternativè cum S. Pontifice beneficia Mensibus Februario, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris vacantia conferre queant. Quæ alternativa in Germania indistinctè omnibus Episcopis per Consordata concessa est.

21. Frequens disceptatio est: quid juris sit circa beneficia per Regulas Cancellariæ reservata Sede Apostolicâ vacante.

Videbitur fortassis, vacante Sede Papali,

omnem cessare beneficiorum reservationem in illis Regulis contentam, & per consequens beneficia ejusmodi per Episcopos, aliosve Collatores ordinarios liberè conferri posse: ea namque Regularum Cancellariæ natura est, quòd tantum ad vitam Summi Pontificis durent, & cum ipsius morte expirent, nullamque vim obligandi habeant, donec à Successore reassumantur, & renoventur, per text. in proem. Regular. ibi: *quas etiam tunc suo tempore, id est, tempore Pontificatus tui, observari voluit.* Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. §. 5. Proem. n. 2. & seqq.

Ego hanc difficultatem dissolvendam existimo cum distinctione, ut si reservatio inducatur ratione temporis, quomodo beneficia vacantia Mense Januarii, Martii &c. reservata esse diximus, talia beneficia Sede vacante ab Ordinariis conferri possunt, modò vacatio non contigerit vivo adhuc Pontifice, & ita jam antecedenter reservatione affecta fuerit, sicut ex Regula 10. Cancellaria tradit Gonzal. d. §. 5. n. 84. & modò Ordinarii illa beneficia tempore Sedis vacantis contulerint, quia in Regula 68. sibi S. Pontifex reservat omnia beneficia aliàs per regulas reservata, quæ vacarunt Sede papali vacante, nec interim per Ordinarios de iis dispositum, seu minus validè dispositum fuit, ut refert P. Engl. de Prabend. num. 45. Sin verò reservatio inducatur ratione Personarum beneficium aliquod obtinentium, vel ratione ipsorum beneficiorum, quomodo reservantur beneficia officialium & familiarium Papæ; item primæ Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, ac Collegiatarum, tunc etsi vacatio contingat Sede Apostolicâ vacante, hujusmodi tamen beneficia collationi futuri Pontificis, reservata maneat, & ab Ordinariis conferri nequeant: eò quòd ipsorum reservatio non primùm Sede vacante, & postquam Regula Cancellariæ expirarunt, inducta sit, ut in-

ducitur reservatio Mensium, sed antea, vi-
vente adhuc Papâ, affecta, & reservata fue-
rint, tunc scilicet, quando Beneficiatus fa-
ctus est Officialis Pontificius, vel quando in
Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata fundata,
& auctoritate Papali erecta fuit prima dignitas
Confer Gonzal. *loc. cit. num. 45. Barb. de*
Offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 57. n. 62.

11 Quæ beneficia in *Concordatis Gallia*, aut
illarum *Nationum* reservata sunt, alii disqui-
tant. Vi *Concordatorum Germania*, quæ
Anno 1447. inter Nicolaum V. & Frideri-
cum III. celebrata sunt. I. Reservantur bene-
ficia Cardinalium, & Officialium Sedis Apo-
stolicæ vacantia per illorum obitum, si tamen
illa beneficia actualiter, cum morerentur, te-
nebant, & inter illos Officiales fuerint, quo-
rum in *Concordatis* fit mentio: item omnia
beneficia, etiam Dignitates quæcunque si per
obitum in Curia, vel in vicinia duarum dia-
tarum vacare incipiant, aut si vacatio in Cu-
ria inducatur per privationem, vel depositio-
nem, electionis sive postulationis cassatio-
nem, renuntiationis acceptationem, promo-
tionem auctoritate Pontificis ad Patriarcha-
tum, Archi-Episcopatum, & Episcopatum
Ecclesiarum, ac Monasteriorum Regimina,
aut assentionem pacificam beneficii incom-
patibilis per Pontificem immediatè collati.
II. In Ecclesiis Metropolitanis & Cathedra-
libus quibuscunque etiam non immediatè Se-
dè Apostolicæ subjectis non quidem collatio,
sed confirmatio indistinctè reservatur, ita ut
si intra tempus in *c. cupientes 16. de Elect.*
in 6. præfixum petita non sit, vel si electio
præcedens minus canonica fuerit, ad Sedem
Apostolicam provisio devolvatur. Similiter
in Monasteriis immediatè Sedi Apostolicæ
subjectis, ut in Ecclesiis Cathedralibus, libera
electio Religiosis conceditur, confirmatio ve-
rò Papæ reservatur; at in aliis Monasteriis nec
pro confirmatione Abbatis S. Pontificem ade-

undum esse decernitur, ipsaque beneficia re-
gularia sub expectativis gratiis non cadere
declaratur. III. Quò ad alias dignitates &
beneficia quæcunque hactenus dictis reserva-
tionibus non comprehensa promittit S. Pon-
tifex, quòd nullatenus impedire velit, nec
per gratias expectativas; nec per quamcun-
que aliam reservationem, vel dispositionem,
sub quacunque verborum forma auctoritate
Apostolicâ factam, vel faciendam, quò minus
Ordinarii, ad quos alias collatio, præsentatio,
vel electio spectat, liberè de iisdem dis-
ponere possint, si quidem vacare incipiant
Mensibus *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti,*
Octobris, aut Decembris. IV. Econtra be-
neficia reliquis 6. Mensibus *Januarii, Mar-*
tii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris
vacantia specialiter suæ collationi reservat,
cum eo moderamine, ut si Beneficiatus in
Mense Papali decesserit, & intra tres Menses
à die notæ vacationis in loco beneficii non ap-
pareat, quòd alicui auctoritate Apostolicâ de
tali beneficio provisum sit, ex tunc Ordina-
rius, ad quem aliàs spectat provisio, pro ar-
bitrio conferre queat. Excipiuntur ab hac
alternatione specialiter majores dignitates post
Pontificialem in Ecclesiis Cathedralibus, &
principales in Ecclesiis Collegiatis, quæ quo-
cunque mense vacent, ad solius Pontificis
provisionem pertinent, ac pròinde in his quo-
que in Germania, nisi specialia privilegia ali-
cubi habeantur, observanda erit supradicta
Regula 3. Cancellariæ teste Brandano in *Conc.*
Germ. notab. 1. n. 9. & Laurentio Nicolarts
eod. tr. lit. 1. §. 12.

Haud immeritò *ambigitur*: utrum Sede
Apostolicâ vacante prædictæ reservationes
cessent, ita ut Ordinarii beneficia tunc vacan-
tia liberè conferre possint? Id quod in Eccle-
siis Parochialibus permillum esse, perspicuè
constat ex *c. si Apostolicâ 35. de Præbend. 6.*
eò quòd vacatio & mora conferendi Paro-
chias

chias admodum periculosa, & animabus damnosa sit. Neque hoc cap. correctum est per Concordata Germania, ut quæ, licet non expirarent morte Pontificis, sicut Regulæ Cancellariæ, sed perpetuam, & continuam habeant obligationem, adeoque etiam Sede vacante; non tamen aliter habent, quàm à parte rei expressè fuit in pactum deductum, reservatio autem Sede vacante in pactum minimè deducta fuit, cum ante Concordata nulla lis, aut discordia fuerit de Parochiis Sede Apostolicà vacante conferendis. Unde & perpetuitas obligationis Concordatorum tantum procedit ex supposito, quod Sedes Apostolica non vacet. Accedit, quòd in Concordatis prædictis non sint novæ reservationes introductæ, sed potius antiquæ multum limitatæ: & incongruè dixisset Nicolaus V. in Bulla Concordatorum. in princ. quòd eadem Concordata non tantum Sedi Apostolicæ, sed ipsi Nationi Germanica sint utilia, & salubria. Quantum ad beneficia non curata, an eorum reservatio per Concordata ita perpetuetur, ut si incipiant vacare Sede Papali vacante, conferri nequeant, sed futuro Pontifici reservari debeant? Affirmant Barbof. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 75. sub n. 62. negat P. Engl de Prabend. n. 49.

24 Per bullas novas, seu speciales reservantur I. quæcunque beneficia propter crimen hæresis vacantia per Bullam Pii V. Cum ex Apostolico officio. II. Beneficia vacantia propter crimen simoniæ, & simoniacas resignationes, sive, ut loquuntur, beneficia in confidentiam recepta per Bullam Pii V. Romanum Pontificem, III. Parochiæ non collatæ secundum formam Tridentini sess. 24. de Reform. c. 18. per Bullam ejusdem Pii V. In conferendis. IV. Beneficia resignata, quorum publicatio, ut fieri deberet, non est facta in Ecclesia beneficii, & Cathedrali præsentem populo juxta formam præscriptam in Bulla Gre-

gorii XIII. quæ incipit, Humano vix judicio. V. Beneficia offendentis litigantes in Curia Romana, eorumque advocatos. Judices, & Testes, sive litigetur circa causam Profanam, sive circa beneficiale; sive offensio fiat minis sive verberibus, aut invasione, juxta constitutiones Alexandri VI. quæ incipit: In eminentia. Plures alias ejusmodi reservationes consultò omitto, utpotè infrequentes, & in Germania inusitatas propter specialia Concordata, quibus per Regulæ Cancellariæ, vel alias Bullas posteriores SS. Pontificum non derogatur, tum propter adjectam clausulam derogatoriam, quòd in perpetuum valere debeant, nisi in futuro Concilio de Consensu Nationis Germanica aliter fuerit ordinatum: tum quia tametsi non habeant rationem contractus, aut pacti propriè dicti, adeoque concedendum sit, posse S. Pontificem his Concordatis derogare, habent tamen rationem privilegii & statuti specialis, quæ non tollit lex posterior, nisi quatenus exprimit per c. cum ordinem. 6. de Rescript. & c. 1. de Constit. in 6. Dissentit Brandenb. in Concord. German. q. 10. num. 8.

Cæterum generaliter advertendum est, reservationes, de quibus diximus, non extendi ad beneficia, quæ sunt de jure patronatus Laicorum, quod habent ex foundatione, dotatione, aut constructione Ecclesiæ, ne aliqui laici à foundationibus absterreantur. Gloss. in c. 2. V. collatio de Prabend. in 6. imò neque ad beneficia juris patronatus mixti, quod scilicet uni, vel pluribus ratione patrimonii, alteri autem ratione Ecclesiæ simul competit; eò quod æquum haud sit, ut Laicus propter mixturam Clerici privilegium suum perdat, cum in re individua quis præjudicium pati, & privilegium suum amittere non debeat propter societatem alterius non privilegiati. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloss. 18. n. 12. Chokier ad eand. Reg. 8. gloss. 1. n. 3. Di-

Diversum obtinet in jure patronatûs mixto, & multo magis simplici, si id Laico solum competat ex privilegio, vel præscriptione, ut etiam jure patronatûs Ecclesiasticis competente. Laurent. Nicolartus in *Concord. German. tit. 1. dub. 5. n. 7. & 16.* Garc. de *Benefic. p. 5. c. 1. §. 11. n. 552.* P. Engel de *Præbend. sub n. 8.* ubi à reservationibus quoque excipit beneficia manualia, quia ob revocationem conferentis non sunt perpetua. Barb. de *Offic. potest. Episc. p. 3. alleg. 57. n. 28. cum seqq.* ubi similiter excipit beneficia Mensæ Prælatorum, vel Monasteriorum pleno jure in perpetuum incorporata, eò ipso quod nunquam vacare censeantur, & tantum per Vicarios administrantur.

Reservatis similia sunt beneficia affecta; qualia dicuntur, quibus Papa manum ad effectum conferendi aliquando apposuit. Hæc, etsi aliàs reservata non sint, ab Ordinariis tamen Collatoribus conferri nequeunt, donec Papæ provisio, seu collatio effectum consecuta fuerit. *arg. cap. ut nostrum 56. de Appellat. idque licet provisio facta per Papam sit nulla, vel nequeat sortiri effectum ob incapacitatem, ac defectum impetrantis.* Pyrr. Corrad. in *Prax. Benefic. lib. 5. c. 1. n. 67. per d. c. ut nostrum.* Gonzal. ad *Reg. 8. Cancell. Gloss. 48. n. 15.* ideo: quia affectio ex appositione manûs Papæ implicat specialem reservationem juxta text. in *Extravag. ad Romani Pontificis 14. §. Romani quoque de Præb.* Lotter de *Re Benef. lib. 2. q. 26. n. 28. & seqq.* Gonzal. ad *Regul. 8. Cancell. Gloss. 45. per 101.*

Quamvis autem omnia rescripta, & mandata Pontificia ordinarius Collator sedulo observare debeat, nec impunè negligere, aut contemnere possit, non omnia tamen beneficium affectum, ac reservatum reddunt. Et verò refert, *purè, an conditionatè*: num *cum, vel sine clausula irritante* mandatum, seu rescriptum datum sit. Quando *purè* alicui be-

neficium conferri jubetur, nec est adjuncta *clausula irritans*, quòd videlicet *quidquid contra fuerit attentatum, irritum sit, & inane*; per solam præsentationem literarum Ordinario non auferitur potestas conferendi, & collatio alteri facta tenet; in pœnam tamen inobedientiæ impetranti aliunde providere cogitur. *c. dilectus 27. de Præb. c. si soli 6. h. t. in 6.* Quòd si vero mandatum contineat *clausulam irritantem*, vel Ordinario, & executori simul aut soli Executori directum sit, isque per Decretum Ordinario interdicit, ne alteri beneficium conferat, vel is, pro quo rescribitur, vi mandati jam receptus præbendam expectet, beneficium ita redditur affectum, ut nec validè alteri conferri possit, neque etiam vi cujuscunque gratiæ Papalis ex postfacto obtentæ, quamquam priùs Executori, vel Ordinario præsentatæ, obtineri valeat. *c. tibi 12. §. quin imò. de Rescript. in 6. d. c. si soli 6. h. t. in 6. & ibi Barb. aliique Interpp.* Quando *sub conditione* de certo beneficio rescribitur, v. g. *si impetrans per Executori: em à nobis destinatum repertus fuerit, vita laudabilis, etiam adjectâ clausula irritante*, nihilominus ordinarius Collator ante conditionem impletam validè alteri beneficium conferre potest: idèmq; est, quamvis conditio potestativa, adeoque minùs propriè dicta, ut si mandetur de beneficio certi valoris, *nisi impetrans aliud minoris valoris acceptare velit*: quippe & hoc casu, antequam impetrans voluntatem suam declaret, Ordinarius conferre poterit tam beneficium majoris, quàm minoris valoris, non obstante decreto irritante: quandoquidem illud primum in eventum conditionis suam sortitur effectum per elegantem textum in *Clem. un. h. t.* Secus est, si *in diem* quasi gratia detur, ut si mandetur de beneficio conferendo, quod quis intra mensem duxerit acceptandum, & unà apponatur decretum irritans, tunc enim beneficium redditur affectum non minùs quam

L

quam

quam si purè mandatum esset: siquidem adjectio certi temporis non suspendit effectum clausulæ irritantis, sed in favorem impetrantis facta censetur, quatenus non statim voluntatem suam declarare, sed per totum mensem deliberare possit, juxta textum expressum in *d. Clem. un. §. secus autem.*

26 III. Ut beneficium liberè conferri possit, requiritur, ut non sit patronatui subjectum, sed liberum: in eo namque solum collatio sibi locum vendicat. *c. cum in illis. de Præbend. in 6.* viget autem præsumptio juris pro libertate beneficii, ac pro statu ejus collativo, *c. omnes basilica. & c. nullus causâ 16. q. 7. Cell. dec. 45. n. 2.*

§. V.

Forma collationis, seu concessionis præbendæ consistit in gratuita, & libera translatione juris in beneficio vacante; cujus itidem plura requisita.

27 Primum est, ut collatio sit gratuita, neque ipsam aliqua pactio, aut promissio præcedat ob labem simoniæ. *c. accepimus. 5. e. fin. de Pact. c. de hoc. II. & ibi Barb. de Simon.* Ita enim simoniam mentalem committit, si Collatori beneficii munera offeras, aut obsequia exhibens eò animò, ac intentione, ut per ea inducatur ad conferendum tibi beneficium, licet non interveniat pactum, aut conditio expressa. *c. etsi quæstiones. 18. §. quid autem juncto c. fin. de Simon.* Imò in foro externo præsumetur subinde etiam simonia conventionalis, aut realis, cum plerumque tacitum saltem pactum intercedat per *c. sicut tuis 33. Eod.* Quod maximè obrinet, si Collator acceptâ pecuniâ statim promittat beneficium, nisi constet, eum aliò motivò fuisse permotû; aut si in oblatione pecuniæ mentio fiat de beneficio, vel Collator ipse petierit, ac postea pecuniâ soluta, pretiumque datum fuerit. *c. ex tua. 10. de Simon.* Gloss. in *d. c. etsi quæstiones. V. non petenti.* Parormit. *ibid. n. 5.* Quòd si

munus sit modicum respectu dantis, & accipiens alioquin sit persona honestæ vitæ, nec de vitio avaritiæ suspecta, aut si ob indigentiam oblatio muneris facta fuerit, ex contrariis præsumptionibus præsumptio simoniæ eliditur, ut notatur in *d. c. etsi quæstiones.* consequenter circa munera in foro externo spectandæ sunt circumstantiæ, ex quibus colligetur, an simonia commissa sit, vel non? juxta Gloss. notabilem in *l. cum quid 2. ff. de Rebus credit.* Sanè periculosum semper est circa distributiones beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum munera dare, & accipere, ut proinde in *d. c. quæstiones. 18. de Simon.* merito allegetur illud Isaïæ 33. *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere.*

In facto disceptatum memini: an sine labere simoniæ ab eo, qui ad Canonicatum, aut aliud beneficium recipitur, ex statuto, vel inveterata consuetudine aliquid exigi possit?

Opinio multorum est, non esse simoniacum, si quid obtentu hujusmodi statuti, aut consuetudinis exigatur, modò non exigatur tanquam pretium pro ipsa collatione, aut tradenda possessione, sive eum in finem, ut possessio Canonicatus, aut beneficii concedatur. Joan. Andr. in *c. nemo de R. J. in 6.* Joan. de Anan. in *c. Jacobus de Simon.* Ernic. Pirhing. *ad tit. de Simon. n. 91.* ubi ait: *præsertim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis in Germania nunc receptum esse, ut novi Canonici convivium dare, imò & in quibusdam locis certam pecuniâ summam Capitulo persolvere debeant: quam consuetudinem simonia juris Ecclesiastici damnare non ausim, cum ea toleretur ab Episcopis, imò etiam a Papa. quem tam generalem consuetudinem integrâ Nationis ignorare, non est verisimile.* Hæc ille

Verùm hanc sententiam suspectam reddere videntur primò textus in *c. cum Ecclesia. 9. c. in tantum 36. in fin. c. Jacobus. 44. de Simonia, & Extravag. sanè Eod.* qui non obicere indi-

indicant, simoniacum esse, in susceptione alicujus ad Canonicatum, aut beneficium exigere aut solvere alicuius etiam modicum, non obstante statuto, vel consuetudine, quamvis immemoriali. *Secundo* decretum Concilii Tridentini *sess. 24. de Reformat. c. 14.* differtè prohibens, ne in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Canonicatus, vel beneficii aliquid detur, aut recipiatur, quod non convertatur in usus pios, id est, ut *ibidem* declarat S. Cardinalium Congregatio, vel in *Sarvinaris subsidium*, vel in *pauperem elemosinam*, vel in *Ecclesiæ fabricam*. *Tertio* Constitutio Pii V. quæ incipit: *Durum nimis*, & per quam innovata est, Bulla novissima Innoc. XII. de die 22. Sept. Anno 1695. in quibus reprobantur omnes, & quæcunque exactiones in institutionibus, & admissionibus Beneficiatorum, ac Canonicorum quocunque modo hæcenus usitatæ, non obstantibus quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorialibus.

Putarem, in hærendum esse distinctionem, quam ipsum Concilium Tridentinum. *cit. sess. 24. de Reformat. c. 14.* insinuat, ut nimirum munera illa, quæ jure consuetudinis, vel statuti in provisione beneficiorum, aut admissione Beneficiatorum exiguntur, recipi possint, si conferantur ad pias causas, scilicet ipsius Ecclesiæ, vel pauperum; rejicienda verò sint, si convertantur in commodum, & cedant licetis Collatorum, aut Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiarum. Panormit. & Felin. in *c. Jacobus. 44. de Simon.* Joan. Gutierrez *can. 99. lib. 1. c. 29. à n. 26.* & cum aliis relatis Garc. de *Benef. p. 8. c. 1. n. 83.* nisi ista pro labore gratis, ac sine taxatione, & exactione post obtentam posses-

sionem Canonicatus, aut beneficii exhibeantur, in quibus nulla est species simoniæ. *c. quam pio. 2. in fin. causâ 1. q. 2. c. dilectus. 30. in fin. & c. tua nos 35. §. si verò. de Simon.* quemadmodum exemplis comprobari possit, & in specie de emolumentis sigilli. *Clem. statutum. ubi Gloss. V. expensa. de Elect.* item pro labore in executione dispensationis matrimonialis. Sanchez de *Matrim. lib. 8. disp. 35. n. 10 & seq.*

Ac etiam requisitum collationis est, ut fiat tempore legitimo. Est autem tempus legitimum spatium sex Mensium, intra quod, si ab Ordinario, vel inferiore Collatore beneficium non conferatur, pro ea vice potestas conferendi, velut caduca, gradatim ad Superiores usque ad Papam devolvitur, ita ut ille valeat Ecclesiæ de persona idonea providere. *c. nulla. 2. c. quia diversitatem. 5. c. post ulastis. 15. & ibi DD. h. t. c. licet Adagister. 3. de Supplend. neglig. Pralat. Clem. un. Eod.* Itaque si collatio ad Collatorem Episcopo inferiorem spectaverit, eo negligente jure devoluti pertinet ad Episcopum, tanquam ad proximum Superiorem. *d. c. nulla. 2. b. t. Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 6. c. 27. q. 4.* Idque procedit etiam in Collatoribus regularibus, ita ut Episcopus beneficia ob eorum negligentiam devoluta conferre possit tanquam Ordinarius, si exempti non fuerint; alioquin tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, si exempti sint, & R. Pontifici immediate subjecti. *d. Clem. un. de Supplend. neglig. Pralat. Zerol. in prax. Episcop. p. 1. V. beneficia. §. ad 3.* Rebuff. in *prax. benef. tit. de Devolut. n. 37.* Excipiuntur beneficia Monasteriis unita, ac incorporata, in quibus, quia Abbas Monasterii est principalis Rector, & nunquam propriè vacant, propriè in providendo negligentia intervenire nequit, & consequenter neque devolutio fieri. Curabit tamen Superior, ut Vicarius idoneus constituatur, sicut & toto

tempore alterius cujuscunque beneficii vacantis, præcipue curati, ob necessariam Sacramentorum administrationem. Trident. *sess. 24. de Reformat. c. 18.* Per quem suppleatur negligentia à Capitulo, aut Episcopo in conferendis beneficiis admittitur? diximus in *tit. de Supplend. neglig. Pralat. n. 7.* Illud adhuc hinc addo, quòd terminum à Jure communi collationibus beneficiorum præfixum Episcopus suis inferioribus Collatoribus restringere non possit, neque cogere, ut citius conferant per *c. indulgent. 17. de R. J. in 6.* neque enim Episcopus contra legem Superiorum venire potest, & illud immutare, quod per SS. Pontifices de jure concessum est.

Tertium requisitum collationis est ejusdem acceptatio, ut quæ ad consecutionem beneficii collati ita necessaria est, ut sine ea in illa jus in re acquiri non possit. *c. si tibi absent. 17. de Præbend. in 6.* Poterit autem acceptatio fieri non tantum per ipsum, cui collatum est beneficium, sed & per Procuratorem, etiam laicum, speciale mandatum habentem: enimverò etsi laicus non sit idoneus, qui beneficium sibi acquirat, non tamen inhabilis esse videtur, ejus ministerio Clericus in acceptando beneficio utatur, ex quo acceptatio est nuda voluntatis declaratio, quæ per quemcunque fieri potest. Rota in *antiquis dec. 104. & 418.* Panormit. cum Joan. Andr. *inc. accedens. 24. num. 6. de Præbend.* ubi *num. 4.* generalem regulam ponit, in beneficialibus, & in aliis spiritualibus non sufficere mandatum generale, sed requiri speciale, tum propter qualitatem rerum; tum propter judicium. Porro absque mandato cum quis collationem accepit, secuta postmodum ratihabitione, beneficium à die acceptationis, non ratihabitionis acquisitum censetur per *c. ratihabitionem 10. de Reg. Jur. in 6.* Angel. in *l. 26. ff. & in l. 7. C. de Reb. cred. Bald. ad l. 5. C. Mandati. Alexand. lib. 5. consil. 78.* Quæ

opinio usu receptior est, quanquam alii cum Panormit. in *cit. c. accedens. n. 5.* statuunt, jus acquiri à die ratihabitionis, non acceptationis, motivatione Gloss. *ad c. quam sit Ecclesiis. 6. de Elect. in 6.* ubi dicitur, consensum ab Electo infra mensem à die præsentationis electionis præstandum esse. An autem hoc inde clarè inferatur? haud immeritò dubitaveris.

Quartum & speciale requisitum est, ut Patrochiae non arbitrio Episcopi, sed per concursum conferantur, hoc est, ut vacante Ecclesiâ Parochiali per edictum publicum ad valvas illius, vel Cathedralis Ecclesiæ affixum omnes vocentur, qui volunt examinari, comparentes præstituto die se sistant coram Ordinario, & Examinatoribus, in Synodo constitutis, & qui Examinatorum judicio magis idoneus reperietur, Ecclesiæ vacanti præficiatur. Trident. *sess. 24. de Reformat. c. 18.* Caveant autem concurrentes, ne quidquam occasione hujus sive ante, sive postea Examinatoribus dent, aut isti accipiant; alioquin Simonie vitium utrique incurrunt, à quo non absolventur, nisi dimissis beneficiis, quæ antè habebant, & ad alia impostum inhabiles redduntur. Idem Trid. *loc. cit. §. caveant.*

Verum excipiuntur ab hoc concursu Patrochiae, quæ ad jus Patronatus Laicorum pertinent, ita ut ille, vel illi tantum, quem, vel quos Patronus Laicus præsentarit, per Examinatores ad concursus destinatos examinari debeant. Trident. *d. c. 18. §. quod si juris patronatus Laicor.* Idem est, si jus patronatus partim laicale, partim Ecclesiasticum fuerit, cum in casu mixti patronatus qualitas favorabilior attendenda sit, nec libertas Patroni laici propter mixturam Clerici restringi debeat. Fagnan. in *c. cum propter. 38. de Jure patronat.* ubi hanc S. Congregationis sententiam à S. Pontifice approbatam notat, & cavendum monet à declarationibus, quas adfert

Garc. de Benef. p. 9. c. 2. n. 278. Quod si jus patronatus fuerit Ecclesiasticum, concursus quidem locum habebit, sed si institutio ad Episcopum spectet, examine peracto Patronus Ecclesiasticus habebit electionem, & illum praesentabit, quem ex probatis ab Examinatoribus digniorem judicaverit. Secus, si institutio spectet ad Praelatum Episcopo inferiorem: quippe tunc Episcopus solus ex iis, qui idonei reperti sunt, digniorem eligit, quem Patronus illi inferiori Praelato praesentat. *Trident. loc. cit. si vero juris patronatus Eccles. Garc. d. c. 2. n. 262.* ubi in hanc rem plures Cardinalium declarationes adducit. Praeterea in Bulla Pii V. *Ad exequendum*, excipiuntur Parochiae, quae Monasteriis, vel aliis Ecclesiis incorporatae sunt, in quibus sola Praelati nominatio sufficit, & taliter nominatus sine concursu (praevio tamen examine, & approbatione Ordinarii) non tanquam Parochus, sed tanquam Vicarius ponendus est. *Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 3. n. 53. Barb. ad Trident. d. c. 18. n. 16.*

§. VI.

30 *Finis* collationis, seu concessionis praebendae, ac beneficii est, ut per eam Ecclesiae vacanti provideatur de Pastore, ac Beneficiario idoneo.

§. VII.

31 *Effectus* alius est collationis oblatae, alius collationis acceptatae.

Effectus collationis oblatae est, quod ea à Collatore revocari nequeat, nec beneficium, sive praesenti, sive absenti, sive ignoranti collatum, alii conferri possit, nisi id primus recuset, aut terminus ad consentiendum assignatus praeterlapsus sit. *c. si tibi absenti. 17. de Praebend. in 6.* aliter ac in donatione, quae absenti facta ante acceptationem semper retractari potest per *l. absenti. 10. ff. de Donationib. l. qui absenti. 38. ff. de Acquir. vel amit. possess.* Cujus diversitatis hanc rationem Nostri as-

signant: quod aliae donationes ex mera liberalitate, & libera donatoris voluntate depeant, hincque ante acceptationem voluntas mutari possit, quod secus in collatione beneficii Ecclesiastici, ubi conferens ratione officii sui conferre obstrictus est. Semel itaque facta collatione officio suo functus amplius poenitere nequit. *arg. l. 55. ff. de Re judic. Panormit. in c. accedens. n. 3. de Praebend. & c. publicato. col. 3. de Elect. Bartol. ad l. absenti. 10. ff. de Donat.*

Effectus collationis acceptatae est, quod eam solam, absque traditione possessionis beneficii, ejusque apprehensione in illo jus in re acquiratur. *d. c. si tibi absenti. 17. de Praebend. in 6.* Ex quo confectarium est, quod si Romanus Pontifex beneficium suae collationi reservatum alicui contulerit, iisque ante acceptationem moriatur, beneficium non fiat vacans, sed reservatio adhuc integra, & salva maneat, cum aliquin collatio beneficii reservato, & subsecuta ejus acceptatione reservatio etiam ante apprehensionem possessionis expiret. *Ludovic. Gomez in Regal. de triennali possess. q. 20. n. 2.*

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

SUMMARIA.

1. *Quid sit sedes vacans? Ex quibus causis inducatur sedis vacatio? 3. Qua dignitas dicatur sedes vacans? 4. Quot modis sedes vacet? 5. 6. 7. Quid Capitulum sede vacante possit circa provisionem beneficiorum? 7. usque 12. Circa jurisdictionis Episcopalis administrationem? 12. & seqq. circa rerum temporalium dispositionem.*

HActenus de concessionibus praebendae, & Ecclesiae non vacantis. Sed quia dubitari posset, num vacante Sede in hac concessionem

sione Capitulum succedat? rubrica subicitur:
ne Sede vacante aliquid innovetur.

§. I.

1 *Sedes vacans* dicitur, cum Ecclesia Cathedralis, aut Collegiata, vel Conventus Regularium, qui habent rationem Capituli, suo Antistite destituuntur. Colligitur ex *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Causa efficiens* Sedis vacantis sunt causae, quae vacationem inducunt; quarum praecipuae sunt obitus, seu mors naturalis Praelati: *c. susceptum. 6. de Rescript. in 6.* Mors civilis, aut diuturna absentia, ut si Episcopus a paganis, schismaticis, vel haereticis captus sit: *c. si Episcopus 3. de Supplend. neglig. Pralat. in 6. & ibi Gloss. v. nota primo. Barb. n. 12. & 13.* Libera, & spontanea resignatio a Superiore admissa: *c. nisi 10. de Renuntiat. Plena, & omnimoda translatio. c. 2. & 3. de Translat. Episc.* Quando autem vacare incipiat prior Ecclesia translati Episcopi, aut alterius Praelati: *ibid. n. 11. & 12.* dictum est: Crimen haereticis: *c. si Episcopus. 1. de Paroch. Privatio, seu amotio: c. si quis Abbas. 15. causa. 18. q. 2. c. ex literis 10. in fin. de Excessib. Pralat.* Censura suspensionis, vel excommunicationis, aut alius defectus Canonicus.

§. III.

3 *Subjectum* Sedis vacantis est ipsa Praelatura, quae vacat, nempe Episcopatus, vel alia dignitas jurisdictionem annexam habens, quae Antistite suo caret. Vacat verò Sedes, quousque novus Episcopus, aut Praelatus adeptus fuerit possessionem. *Felin. consil. 40. Hostient. in c. olim. 12. de restit. spoliat. & cum his Rebuff. in Prax. benef. p. 1. tit. de Devolut. n. 62.*

§. IV.

4 *Forma* Sedis vacantis stat in modo vacandi. Potest autem Sedes, seu Ecclesia duobus modis vacare: verè nimirum, seu proprie, quando Sedes Praelatum non habet; & interpretative, quando Sedes Praelatum quidem habet,

sed illum haereticum, excommunicatum, suspensum, aut ab hostibus captum. Bartholomaeus Cartagena *adh. 1. observ. 2.*

§. V.

Effectus Sedis vacantis est, quòd tempore Sedis vacantis nihil sit innovandum, sive faciendum in praedictum ipsius Sedis, aut Successoris; pro quo dilucidando servare possunt sequentes regulae.

Prima est: *Sede vacante Capitulum nequit conferre beneficia, quorum libera collatio jure proprio ad solum Episcopum spectat. c. illa 2. & ibi DD. h. t.* Ratio est: quia collatio ejusmodi beneficiorum numeratur inter fructus, *Gloss. in c. cum olim. 14. V. Capitulo. de Majorit. & obed.* qui Sede vacante debent fideliter custodiri, & Successori reservari. *c. cum vos 4. in fin. de Offic. Ordinar. c. hac hujus, 33. causa. 12. q. 2.*

h. Dicitur autem I. *Quorum libera collatio:* 6 quippe in collatione beneficiorum necessaria Episcopo Capitulum Sede vacante succedere, in confesso est. Hinc Capitulum Sede vacante potest instituere praesentatos, ut *supra de Instit. n. 5.* demonstravimus, sicut & Abbates, aut alios Praelatos electos confirmare, ut *ad tit. de Elect. n. 88.* probavimus, & textus est in *c. cum olim. 14. de Majorit. & obed.*

Dicitur II. *Jure proprio;* etenim an Capitulum Sede vacante ea beneficia conferre possit, quae propter negligentiam inferioris collatoris jure devoluto ad Episcopi collationem pertinent? *dissent DD.*

Negant Panorm. in *d. c. cum olim. 14. de M. & O. Zoel. h. t. n. 3.* Garc. de *Benef. p. 1. c. 7. n. 53.* & alii complures freti textu *c. illa 2. h. t.* qui universaliter asserit, quòd nusquam *inveniat* *causum in jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur Episcopi vice in collationibus praebendarum.* Accedit *Regul. 2. Cancellar. & constitutio Pii V. quae incipit Sanctissimus 9. Marui 1568.* edita, quibus beneficia

scilicet omnia ad collationem Episcoporum, & Prælatorum spectantia, quæ Sede vacante conferri debent, sibi reservârunt Pontifices.

Verùm quòd Capitulum Sede vacante beneficia ad Episcopum devoluta conferre queat, docent Joan. And. in *c. quanquam. de Elect.* in 6. Lælius Zecchus de *Benef. & pension. c. 5. circa fin.* P. Engel *b. r. n. 5.* quibus accedo: tum quia beneficiorum devolutorum collatio non est fructus proprii Episcopatus, sed huic advenit per accidens, non tam in favorem Episcopi, quàm bonum Ecclesiarum, & animarum; tum quia eorum collatio, etsi nemini debita sit, exigit tamen necessitas, tam Ecclesie, cui damnosa, quàm animarum, quibus periculosa esse solet diuturna beneficiorum vacatio, ideò que licet non personam Collatarii, Ecclesie tamen, & animarum salute spectatâ, actus jurisdictionis necessariæ esse videtur, quem Capitulo permittum esse, nemo inficiatur.

Nec huic sententiæ quidquam derogat. *c. illa. 2. b. r.* quoniam econtra in *c. si Episcopus. 3. de Supplend. neglig. Pralat. in 6.* generaliter statuitur, Capitulum Episcopo mortuo, vel ab hostibus capto in temporalibus & spiritualibus ministrare, ac jurisdictionem Episcopalem exercere debere, ita ut ex dispositione hujus *cap.* Capitulum sede vacante non tantum illa locò Episcopi exercere possit, quæ specialiter in jure expressa sunt, sed vice versâ omnia posse censetur, quæ non specialiter prohibita, & excepta reperiuntur. Quod attinet *Reg. 2. Cancell. & constitut. Pii V.* ea non procedunt in Germania, quatenus derogant huic concessis privilegiis per *Concordata*, quibus Papa se Ordinariorum collationes extra casus in iis expressos nullâ reservatione, aut dispositione gravaturum pollicetur, & concordata illa tantum vim habitura asserit, quamdiu in futuro Concilio aliud non statuetur. Quamobrem in Germania beneficii devoluti collatio non ad Pontificem, sed juxta priorem sententiam ad

Episcopum, vel potius juxta nostram ad Capitulum pertinebit.

Dicitur III. *ad solum Episcopum spectat; nam 18* illa beneficia, quorum collatio communiter, & æquè principaliter ad Episcopum & Capitulum pertinet, rectè confert Capitulum Sede vacante per *c. un. b. r. in 6.* nec enim propter casum Episcopi in suo jure conferendi impediri debet. Non tamen ideo Capitulum conferre valet ea beneficia, quæ spectant ad solum Episcopum cum consensu, aut consilio Capituli. *de c. un. 8. cum verò.* Rebuff. in *Prax. Benef. p. 1. tit. de Devolut. n. 71.* Regula secunda est: *Capitulum sede vacante potest exercere ea omnia, quæ sunt Episcopalis jurisdictionis, & quæ ex justitia, vel necessitate ab ipsomet Episcopo expedienda forent juxta c. cum olim. 14. de Majorit. & obed. c. un. Eod. in 6. c. si Episcopus. 3. de Supplend. neglig. Pralat. in 6.* Rebuff. *ubi supra n. 58.* Gonzal. *ad c. 3. b. r.* Vi igitur istius jurisdictionis Capitulum Sede vacante approbat Confessarios, sicut Episcopus, qui habet territorium: Felia. in *d. c. cum olim. 14. de M. & O. Diana p. 8. tr. 4. resol. 46.* confirmat & infirmat electiones: *d. c. cum olim.* interponit auctoritatem in permutatione beneficiorum. Gloss. in *Clem. un. de Rer. permut.* Rebuff. *l. c. n. 95.* Clericis beneficiariis impertitur facultatem transeundi ad aliam diocesim. Azor. *Instit. moral. tom. 2. lib. 3. c. 37. q. 12.* & Ego *ad Tit. de Translat. Episc. sub n. 5. l. c.* nec non possit bona immobilia Ecclesie Cathedralis alienare, potest tamen alienationes, quæ fiunt ab Ecclesiis inferioribus, admittere: Panormit. in *cit. c. cum olim. q. 3.* concedit literas dimissorias, *c. cum nullus. 3. de Tempor. ord. in 6.* sed hodie ex restrictione *Trid. sess. 7. c. 10. de Ref.* intra annum non nisi arctatis ratione beneficii sive recepti sive jam recipiendi: potest Episcopo extraneo dare licentiâ exercendi Pontificalia in Ecclesia vacante. Henric. in *Sum. l. b. 10. c. 22.* Quaranta *V. Capitulum §. 14. unò &*

ea committere, quæ sunt Ordinis: Azor. d. c. 37. q. 8. facit statuta pertinentia ad totam diocesim: c. 11. c. cum olim. 14. & ibi Panormit. n. 24. de M. & O. appellationes, de quibus Episcopus jure ordinario cognosceret, recipit: Joan. Cabassut. in Theor. & Prax. jur. Can. lib. 2. c. 24. n. 28. potest excommunicare, suspendere & interdicere, sicut & absolvere, quos posset Episcopus: d. c. un. de M. & O. in 6. DD. per text. c. ad abolendam. de Hæret. & ibi Gloss. Præterea potest, imò infra octo dies debet Ecclesie viduatæ de Vicario generali, seu Officiali providere, aut prius existentem, cujus jurisdictione simul cum Episcopo interit, confirmare. Trid. sess. 24. de Reform. c. 16.

Controvertitur I. an Capitulum, vel ejusdem Vicarius sede vacante habeat potestatem, visitandi diocesim, vel certam aliquam Ecclesiam, aut Monasterium?

Joan. Monachus in c. Ecclesia de Supplend. neglig. Pralat. in 6. hanc potestatem absolute Capitulo denegat imprimis propter textum in c. obitum 16. dist. 61. ubi S. Pontifex Gregorius Barbaro vicino Episcopo visitationem iolenititer delegavit, eò quòd Sedes Episcopalis Episcopo destituta fuerit. Deinde quia Capitulum tantum est administrator necessarius, & in iis solum succedere videtur, quæ dilationem non patiuntur, quòd visitatio non pertinet.

Panormit. in c. cum olim. sub n. 2. §. sed indistinctè. de M. & O. Rebuff. in Prax. benefic. tit. de Devolut. n. 65. Rota dec. 346. n. 2. p. 1. Recent. & in Pampilonen. juris visitandi. 15. Decemb. 1623. coram Merlino. Lotter. de Re benefic. lib. 2. c. 2. n. 44. generaliter Capitulo Sede vacante visitationem, seu actum jurisdictionis Episcopalis, attribuunt, quibus suffragatur. d. c. Ecclesia. 4. de Supplend. neglig. Pralat. ubi constituitur Ecclesie Cathedrali vacanti visitatorem qui-

dem à S. Pontifice deputari posse, non verò ab alio, etiam Archi-Episcopo, nisi Capitulum in temporalibus & spiritualibus negligenter, aut perperam administret. Ex quo infert Panormit. loc. cit. posse Capitulum per se, vel per Vicarium à se constitutum visitare diocesim, ne ab Archi-Episcopo negligenter argui, & alius visitator constitui possit. Neque obstat ratio in contrarium allata, quòd Capitulum sit solum administrator necessarius; cum & ipsa visitatio non ex mero, & libero arbitrio Episcopi, sed ex necessitate juris fieri debeat per c. relata. 9. causa 16. q. 1. Trident. sess. 24. de Reform. c. 3.

Ego pro componendis his opinionibus cum Joan. Andr. in cit. c. cum olim de M. & O. concludo, non posse Sede vacante institui visitationem generalem totius diocesis, ex quo non censetur necessitas, aut periculum in mora: idque admittit etiam Azor. tom. 2. lib. 3. c. 7. q. 14. quando modica est vacatio, videlicet cum nondum annus effluxit à die & termino ultimæ visitationis, aut quando probabiliter creditur successor brevi futurus: contra posse ex probabili causa, vel suspitione institui visitationem specialem certæ Ecclesie, vel inquisitionem in certas personas diffamatas, siquidem hoc officium administratoris in spiritualibus exigere videtur. Et hanc distinctionem suo quoque calculo dignatur Gloss. in c. 1. de Hæret. ac in nostris partibus recepta consuetudo comprobatur.

Controvertitur II. Utrum Capitulum, vel Vicarius à Capitulo constitutus Sede vacante possit dispensare, vel absolvere in calibus, quibus ipse Episcopus posset?

Posse Sede vacante dispensare Capitulum, & locò illius Vicarium in omnibus casibus, in quibus ratione Episcopalis jurisdictionis Episcopus dispensare poterat, ut in votis, in petitione debiti, in Natalibus, ut illegitimus ad Minores Ordines, aut ad beneficium simplex pro-

promoveri queat, cum communi docet Barbol. de Canon. c. 42. num. 81. item succedere Capitulum Sede vacante in facultate dispensandi super omnibus irregularitatibus, & suspensionibus in quibus potest Episcopus juxta Trident. sess. 24. c. 6. de Reform. tradit Garc. de Benefic. p. 5. c. 7. n. 40. cum pluribus citationibus Theologis, quam Canonistis: partim quia Capitulum succedit in iis, quæ Episcopo competunt jure communi, quæque spectant, ad jurisdictionem ordinariam, uti hæc potestas dispensandi & absolvendi: partim quia certi juris est, Capitulum sede vacante posse absolvere ab omni excommunicatione, sive à jure, sive ab homine lata, nisi specialiter à Sede Apostolica prohibeatur. c. un. de M. & O. in 6. ergo idem dicendum de aliis absolutionibus, & dispensationibus quibuscumque ex paritate rationis.

Ego cum hac sententia transeo, si legitima causa subfit, propter quam dispensatio, vel absolutio sit quasi de jure debita, vel sine periculo notabilis damni, aut scandali differri nequeat, sicut absolutio ab excommunicatione arg. c. un. constituitur. 25. c. Domino sancto. 28. junctâ Gloss. in V. necesse dist. 50. Aliud verò existimem, si differri commodè possit, & nulla urgens causa interveniat: cum enim tunc sit mera gratia, in illa Capitulum Sede vacante non succedit. Nicol. Rodriguez de Potest. Capituli Sede vac. tr. 1. q. 15. num. 17. & communiter alii.

11. *Conroversitur III.* Anne Capitulum Sede vacante etiam ea facere, vel prætere posse, quæ defuncto Episcopo ex consuetudine, aut jure speciali competebant? Prius affirmo: quandoquidem cæteris paribus Capitulum non minus succedit in iis, quæ ex consuetudine, quam quæ ex jure scripto Episcopus poterat: quia etiam quæ ex consuetudine ad Episcopum spectant, ex jurisdictione & potestate ordinaria fiunt, cum consuetudo æque juris

communis species sit, atque jus scriptum per §. constat. 3. Instir. h. r. Unde si ex consuetudine Episcopus debuit interesse alicui electioni in certa Ecclesia, mortuo Episcopo non poterit eligi irrequisito Capitulo, quidquid contradicat Hostiensis in c. scriptum 40. de Elect. Posterius & quantum ad ea, quæ Episcopus jure speciali, scilicet ex privilegio speciali, aut ex speciali delegatione poterat, nego, quòd in iis Capitulum succedat: quia privilegium & specialis commissio non excedunt personam, cui dantur arg. c. potissimi 17. §. si eundem causa 7. quest. 1. c. sanc. 9. de Privilegiis. l. 57. ff. Mandati. Unde Capitulum, vel ejus Vicarius non potest visitare Monasteria Monialium exempta, cum Episcopus hæc potestate polleat, non quæ Episcopus, ac Ordinarius, sed quæ Delegatus Sedis Apostolicæ juxta Clem. 2. de Statu Monach. Trident. sess. 25. de Regularib. c. 5.

Tertia regula esto: Quamvis sede vacante rerum temporalium administratio ad Capitulum transeat, ea tamen facere prohibetur, quæ Ecclesia, aut Episcopi defuncti Successori præjudicare possunt; ut satis colligitur ex rubr. h. r. & c. 1. Eod. ubi dicitur: Episcopali Sede vacante non debet aliquid innovari, cum non sit, qui Episcopale jus tueatur: sive quia tunc Ecclesia defensore caret. Panormit. ad rubr. h. r. ubi ait: valere argumentum à rubro ad nigrum.

Et ideo I. Capitulum Sede vacante nihil alienare potest, & si contrafaciat à Successore contractus rescindi, & alienata revocari possunt. c. si qua 42. causa 12. q. 2. Per quod tamen Capitulo non interduntur alienationes necessariae: ita namque sine alterius licentia, vel Superioris autoritate liberè distrahere potest res, & fructus, qui servando perirent, aut sine magnis impensis reservari nequeunt: Panorm. in c. 1. n. 7. h. r. Item potest ex fructibus & redditibus Ecclesie fo. vere mercedes

ministorum, & Officialium Episcopi, uti etiam debita à defuncto Episcopo pro utilitate Ecclesiæ contracta: Nec redditus Ecclesiæ vacantis præcisè Successori in Episcopatu reservare jubetur, sed disjunctivè, vel inutilitatem Ecclesiæ expendere, vel futuro Episcopo reservare. *c. quia sæpe contingit 40. & ibi DD. de Elect. in 6.* Imò si justa necessitas exigat, potest Capitulum mutuum accipere, & per hoc Ecclesiam, ac futurum Episcopum obligare. *Gloss. in c. cupientes. 16 §. ad hoc Eod. in 6.* Quod saltem eo in casu approbat *Gutierrez Canon. 99. lib. I. c. I. n. 132.* quo periculum in mora est, & Superioris autoritas commodè requiri non potest. Bona verò immobilia non tantum Capitulum, seu administrator necessarius, alienare nequit, sed nec ille, cui à Sede Apostolica plena & libera administratio vacantis Ecclesiæ Cathedralis commissa est, *c. is, cui 42. de Elect. in 6.*

14 Et ideo II. Capitulum iudicium de bonis, ac juribus vacantis Ecclesiæ Cathedralis nec inchoare, nec à defuncto Episcopo ceptum prosequi potest, sive agendo, sive defendendo *per c. constituti. 3. c. fin. & ibi. Panormit. b. t.* nisi magna necessitas urgeat: sicut enim in casu magnæ, & notoriæ necessitatis Capitulum vacante Sede res Ecclesiæ potest alienare juxta *Gloss. in c. si quæ. 42. causâ. 12. q. 2.* ita potest etiam in iudicio litigare; cum qui alienare, rem quoque in iudicio deducere valeat. *arg. l. 7. §. 2. ff. de Jure delib. Glossa. in c. edoceri. V. debeant. de Rescript.*

15 Et ideo III. Capitulum, aut Oeconomi ab eo constituti tenentur conficere inventarium rerum ab Episcopo relictarum, & de redditibus Ecclesiæ obtinentibus futuro Episcopo reddere rationem instar Tutorum, vel Curatorum, vel aliorum, qui negotia aliena gerunt, aut res non suas administrant. *Trident. sess. 24. de Reform. c. 16. Covar. de Testam. c. 12. n. 5.* optimâ ratione: quia naturali æquitati

convenièns est, ut omnis administrator, qui vel sponte, vel invitus aliena negotia in se suscepit, actus sui rationem reddere necessitate morali adstringatur, & eo nomine condemnatur, quidquid vel non, ut oportuit, gessit, vel ex his negotiis retinet. *l. 2. ff. de Negotiis gestis.* idque jure etiam Divino cautum esse probant *Menoch. de Arbitr. lib. 2. casu 209. n. 1. Roland. consil. 49. n. 1. cum citatis.* Neque à reddendis rationibus liberare potest non usus: quoniam redditionis rationum favor tantopere jura juvatur, ut etiamsi non sit in usu, quilibet tamen administrator rationem reddere compelli possit. *Guido Papæ dec. 631. in pr. §. quarto, au prætenu. & in responsi. ad quartum dub. n. 9.* quem refert, & sequitur *Munoz de Escorbar. de Ratiocin. c. 3. n. 29.*

Dubitari hoc loco possit: an Sede vacante 16 Capitulum succedat in his, quæ sunt de emolumentis, aut honorariis dignitatis Episcopalis?

Capitulo, ex quo Sede vacante Episcopi vires supplet, & onera Episcopatus vacantis sustinet, favere videtur vulgata regula: *qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra c. 55. de R. F. in 6.* Cujus regulæ sensus est, quod pari de jure aliquem sequi debeant commoda, sive utilitatis temporalis, sive honoris, & onera honoris, officio, vel rei, ex qua commodum sentitur, conjuncta. Et verò, ut *Paulus Jctus. in l. secundum naturam. 10. ff. Eod.* asserit: *secundum naturam est, commoda cujusque reicum sequi, quem sequuntur incommoda.*

Verum quod Capitulum in emolumentis, & honorariis Episcopi, eò defuncto, nequaquam succedat, & neque prætextu administrationis, privilegii, aut consuetudinis ea sibi appropriare possit, apertè decilum est in *d. c. quia sæpe contingit. 40. de Elect. in 6. ibi: quia sæpe contingit, quod Cathedralibus, Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, Capitula, Conventus, Collegia, & singulares earundem persona bona à Prelatis ipsarum*

dimissa, vel vacationis tempore obvencientia, quæ in utilitatem distarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus reservari, occupant, inter se dividunt, surripunt, dilapidant, dissipant, & consumunt, in earum grave dispendium, & jacturam. Nos ipsorum ausus reprimere, ac ipsarum indemnitate præcavere volentes, decernimus, ut ii, qui præmissa de cætero præsumpserint, eò ipso sint, & tam diu maneat ab officio, & beneficio quibuscunque suspensi, donec plenè restituerint, quicquid de bonis perceperint supradictis: non obstantibus quibuscunque privilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus, vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolica, aut alia quacunque firmitate vallatis. Et ne ulla dubitatio, vel inter bona, maximè vacante Sede obvencientia, distinguendi licentia superesset, ulterius in *Clem. statutum 7. Eod.* declaratur, dictam prohibitionem Bonifacii VIII. locum habere in omni emolumento, quod provenit ex jurisdictione, & sigillo Curie Ecclesiastica, vel secularis, aut aliàs undecunque, quod ad Prælatos (Ecclesiis non vacantibus) pertinet, consuetudine qualibet contraria non obstante: ita tamen, quod in istis & similibus rationabiles deducantur expensæ, juxta quam *Clement.* respondit S. Congregatio Cardinalium in Agrigentina 17. April. 1627. Emolumenta tempore vacationis Sedis Episcopalis provenientia ex jurisdictione, & sigillo, aut aliàs undecunque nec ad Vicarium, nec ad Capitulum spectant, sed debent futuro Successori reservari, si ad Episcopum, Ecclesia non vacante, pervenissent; ut post Aldan. refert Barb. ad Trident. sess. 25. de Reform. c. 11. n. 9.

Neque Capitulum juvat adducta *Regula 55. Jur. in 6.* utpote quæ exceptionem patitur, quando quis gerit onus, non proprio, sed alieno nomine; ut Vicarius generalis nomine Episcopi, Coadjutor nomine principa-

lis, & Capitulum nomine Ecclesiæ vacantis: præsertim quando onus ex propria institutione, aut naturâ rei alicui officio annexum est, quemadmodum Capitulo ratione obligationis, ac connexionis, quam habet ad Ecclesiam, & cum Capite Ecclesiæ, ejus bona tueri incumbit, non percepto inde emolumento. Vid. *Gloss. in d. Clem. statutum 7. de Elect.*

Coeterùm quæ hic exempli causâ de *Ca. 17* pitulo Cathedrali diximus, de jure loquendo merito extenduntur ad Capitula Ecclesiarum Regularium mortuò Prælatò, vel aliàs Sede Abbatiali vacante per textum in *c. fin. de Regularib. in 6. & in Clem. ne in agro. 1. §. si quis autem. in fin. de Statu Monach.* quandoquidem Capitulum Regulare non minùs in jurisdictionem Abbatis succedit, quàm Capitulum Cathedrale in jurisdictionem Episcopi, imò potiori jure, cum redditus & jura Abbatis nulla ratione sint distincta à redditibus & jurebus Conventus, sicut tamen plures redditus & jura Episcopi à Capituli jurebus sunt diversa. Hanc sententiam ex Innocentio refert & sequitur Panorm. in *c. fin. n. 8. & 9. de Statu Monach.* P. Engl. h. t. num. 16. Tambur. de jure Abbat. tom. 2. disp. 1. q. 4. num. 5.

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.

SUMMARIA.

1. Quid sit consensus Capituli? 2. In quo differat à consilio? 3. Quo jure sit necessarius? 4. Sufficit consensus majoris partis. 5. In quibus negotiis opus sit consensu? 6. In quibus consilio? 7. Quo modo consensus capitularis interponatur? 8. Ob quem finem? 9. Quomodo probetur?

Quemadmodum Sede vacante nihil innovandum est, ita è diverso Sede non vacante regulariter nihil à Prælati faciendum sine Consensu Capituli.

§. I.

1 *Consensus Capituli*, quasi *simultaneus sensus* dicitur, estque collatio, sive comprobatio eorum, quæ fiunt à Prælatiis. Colligitur ex *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Dividitur consensus Capituli* in consensum in specie, & in consilium: quæ duo, quamvis aliqui apud Hostiensem in *Summa h. t. n. 2.* promiscuè accipiant, in eo differunt, quòd ubi ad actum aliquem consensus Capituli desideratur, non sufficiat solum conferre, aut consultare cum Capitulo, sed sententiam, & vota Capituli sequi oporteat, ita ut si major pars contradicat, actus talis, v. g. alienatio, fieri non possit, & aliter corrumpat. Gonzal. ad *Reg. 8. Cancell. gloss. 46. n. 8. & gloss. 47. n. 8. Ricc. decis. Cur. Neap. dec. 192. n. 3. p. 1.* ubi autem tantum consilium Capituli requiritur, omninò quidem collatio, & consultatio cum eodem habenda sit, adeò ut actus sine prævia consultatione factus regulariter nullus, & invalidus censeatur, *c. 4. in fin. & ibi Barb. h. t. Felin. in c. ex parte 12. n. 1. de Constit. Prælati tamen pluralitatem votorum sequi non teneatur, sed contra omnium mentem, ac sententiam liberè, quod videbitur, disponere possit. c. ex veteri 53. de Elect. & ibi Panorm. n. 11. c. cum olim. de Arbitr. Sylvester V. consilium n. 4. Sanchez de Matrim. lib. 1. c. 34. n. 24. & hoc sive in jure dicatur, aliquid fieri debere de consilio, sive dicatur cum consilio. Panormit. d. c. ex veteri. num. 2. Sylvester d. n. 4. Nec propterea frustratoria est hujusmodi consultatio: auditis namque rationibus Capitularium occurritur præcipitantiæ, & Episcopo ansa suppeditatur ulterius deliberandi. P. Engel h. t. n. 1.*

§. III.

3 *Causa efficiens consensûs Capituli* alia est *remota*, alia *proxima*.

Remota est jus Canonicum, quod Prælatiis

necessitatem imponit requirendi consensum, aut consilium Capituli, sed talem, quæ per consuetudinem contrariam limitari, aut abrogari possit. *c. ea noscitur 6. & ibi Panorm. n. 6. h. t. c. non est. 3. & ibi Passerin. n. 8. de Consuetud. in 6. prout defacto passim invaluit, ut extra causam alienationis Prælati in plerisque casibus, præsertim circa res non adeò graves, aut frequentius occurrentes, sine consensu, vel consilio Capituli procedant, teste Barb. ad c. 1. h. t. n. 5. P. Engl. n. 5. Stephan. Gratian. discept. forens. c. 100. n. ult. & quotidianâ praxi.*

Proxima est Capitulum, quod consentit. Quotiescunque autem in jure consensus Capituli requiritur, non est necessarium, ut omnes de Capitulo consentiant, sed sufficit consensus majoris partis: siquidem generaliter, quod facit major pars Capituli, totum facere censetur, ut *tit. seq. dicemus*. Assensus mediæ partis Capituli haud sufficeret, nisi Episcopus etiam esset Canonicus, & quæ Canonicus, seu membrum Capitulo interesset: quippe tunc adjuncto voto Episcopi major pars assentiret. *Gloss. in c. un. V. assensu. Ne sede vacante aliquid innovet. in 6. Passerin. ibid. num. 20.*

§. IV.

Materiam, seu *Objectum* constituunt negotia, in quibus aut consensus, aut consilium Capituli requiritur.

Consensus regulariter requiritur in iis, quæ sunt majoris momenti. Innocentius in *c. edicere. n. 4. de Rescript. & c. causam. de Judiciis. Panormit. in c. et si Clerici. §. de adultariis. num. 16. Eod. ut I. in alienatione rerum immobilium, & mobilium preciosarum. c. sine exceptione 52. causa 12. q. 2. c. irrita 1. h. t.* Excipitur alienatio temporalis, in quâ citurnitas, vel ratihabitio Capituli etiam ex postfacto superveniens locò consensûs habetur: *c. contingebatur 2. c. eodem nos. 3. Eod. & do-*

donatio, quam facit Laicus Eccleſiæ de decimis, quas ab alia Eccleſia poſſidet, & ab antiquo, id eſt, ante Lateranenſe Concilium, in feudum habet: hæc namque ſolius Epilcopi conſenſu firmatur *c. cum Apoſtolica. 7. h. t.* eo quod melius, & honeſtius ſit, ſi alia Eccleſia decimas iſtas poſſideat, quam ſi illæ à Laicis detineantur, *c. prohibemus. 19. de Decim.* Panormit. in *d. c. cum Apoſtolica. n. 3.* II. In præſentationibus, & collationibus eorum beneficiorum, quorum jus præſentandi, vel conferendi quoque ad Capitulum, Collegium, aut Conventum ſpectat, niſi aliud habeat conſuetudo, *c. ea noſcitur. 6. h. t.* adeo ut ſine conſenſu Capituli factæ præſentationes, & collationes irritandæ, vel potiùs ipſo jure irritæ ſint propter verba *c. ea noſcitur cit. institutiones convenit & vacuari*, hoc eſt, ut Barboſa *ibid. n. 5.* explicat, vacuas & nullas pronuntiar. III. Si Epilcopus Eccleſias Collegio, aut Monafterio unire, aut ſi iſtæ parochiales ſint, earum proventus, etiam accedente conſenſu Patroni Viriſ Religioſiſ, ſuſtentatione congruâ Vicarii reſervata, conferre velit. *c. tuanuper. 8. c. paſtoraliſ. 9. h. t.* ſine dubio ideo: quia ejuſmodi unio ac collatio eſt quædam ſpecies alienationis perpetuæ, quâ Suſceſſoribus Prælatiſ in jure conferendi, quod inter fructus Epilcopales numeratur, præjudicium fieret, & Eccleſia, cum non ampliùs gauderet proprio Rectore, quaſi capite minueretur, ut ait Panormit. in *d. c. tuanuper. n. 4.* Imò ut Epilcopus Parochiæ proventus Monafterio concedere poſſit, præter conſenſum Capituli exigatur ſpecialiſ licentia S. Pontificiſ *a. c. paſtoraliſ & ibi Fagnanus n. 1. & 4.* IV. Ubi vertitur partiulare intereſſe Capituli: ſiquidem quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *c. quod omnes tangit. 29. de R. J. in 6.* & quotieſcunque Eccleſiæ, vel Suſceſſoribus præjudicium poteſt generari, ut tradit noſter Panorm. in *c. novit. 4. n. 7. h. t.*

Conſilium Capituli ſpectato jure communi 6
in rebus levioriſ momenti neceſſarium eſt; veluti in inſtitutionibus, & deſtitutionibus Abbatum, & aliarum perſonarum Eccleſiaſti-carum in beneficiis præſertim majoribus: *c. novit. 4. c. quanta. 5. h. t.* in exercitio juris-dictionaliſ, & adminiſtratione temporaliſ extra caſum alienationiſ; nempe in cognitione cauſarum: *c. penult. cauſa. 15. q. 7.* in puniendis Clericis: *c. ſi quid verò diſt. 86.* in ferendis cenſuris ſuſpenſionis, excommuni-cationiſ, ac interdicti. *c. perv. 1. de Exceſſ. Prælat.* Addidi: *ſpectato jure communi*: quippe aliud uſus oſtendit. Porro quorum operâ, & conſilio Epilcopus in proceſſu contra Canonicoſ uti debeat? præſcribit Trident. in *ſeſſ. 25. de Reform. c. 6.*

§. V.

Forma, ſeu modus præſtandi conſenſum 7
capitularem talis eſt, ut convocatiſ omnibus Canoniciſ præſentibus, qui jus ſuffragii in Capitulo habent, iſſque in locum conſuetum convenientibus in communi de negotio propoſito tractetur, & ſingulorum rationes, ac vota percipiantur. arg. *1. nec venditio. 2. & 1. ſin. C. de Prædiis Decurionum.* Jacob. Pignatell. *tom. 1. conſult. 43. num. 1.*

§. VI.

Finis, ob quem S. S. Canoneſ ad ea, quæ fiunt 8
à Prælatiſ, conſenſum Capituli expoſcunt, eſt, ne facile aliquid in præjudicium Eccleſiæ fiat.

§. VII.


Effectus conſenſuſ Capituli eſt, quod nego- 9
tium, ſeu actus, ad quem requiritur, eo omiſſo à Prælato geſtus ſit nullus, ac robore firmi-tatiſ careat. *c. irrita. 1. c. novit. 4. in ſin. c. ea noſcitur. 6. h. t. & ibi Interpp.*

Haud immeritò hic *quæſitur*: quomodo Capitulum probare poſſit conſenſum ſuum non interveniſſe, v. g. in alienationem, ſi propterea eandem alienationem impugnare, ac irritare velit?

Ratio dubitandi est *primò* : quia negatio consensus, cum nullas habeat qualitates, per naturam probari non potest. *c. fin. causa 6. q. 5. c. bona 23. de Elect. l. 23. C. de Probat.* Et pro *secundo* probari non potest per testes : cum extranei non admittantur ad Capitulum, ipsi verò Capitulares sine testes in causa propria, adeoque inidonei per *l. 10. ff. l. 10. C. de Probat.* *Tertio* quia in casu, quo nullus tractatus, & positivus dissensus præcessit, sed ignorantibus Capitularibus alienatio facta est, non possent plures ex ipsis etiam Capitularibus de eodem dissensu deponere, sed quilibet solum de suo non consensu, sicque in suis dictis singulares forent, & nunquam duo in eadem assertionem convenirent, quâ ratione in electionibus duobus compromissariis, vel Senatoribus personam electam nominantibus creditur, efficiuntur sint electores, & omnes respondeant, se huic votum non dedisse. *c. cum dilectus 32. de Elect.*

Verum modus specialis probandi traditur in *c. tertio loco. 5. de Probat.* juxta quod in tali casu etiam Capitulares, vel Conventuales pro testibus sunt admittendi, & prædictam negationem, seu defectum consensus satis probant, si jurato deponant, se unanimiter contradixisse, dum facta est mentio alienationis: ex quo ea, quæ in Capitulo aguntur, per extraneos probari non possunt, qui ad Capitula admitti non consueverunt : *c. veniens 38. in fin. de Testib.* neque tunc directè in causa propria testantur, sed ipsius Ecclesiæ. per *c. 6. §. 12. Eod.* Illo verò casu, quo nullus tractatus, vel positivus Capituli dissensus præcessit, verum quidem est, quod plenè, & juridicè defectus consensus probari nequeat, licèt singuli Capitulares deponant, se non consensisse, nihilominus quia non est credibile, omnes dicturos falsum, unanimis ejusmodi Capitularium depositio præsertim jurata, aliquam saltem præsumptionem, si non semipleam

probationem inducit de omisso consensu, ut propterea elidat illam præsumptionem contrariam, quâ aliàs actus præsumitur legitimo modo celebratus. Hostiens. *b. t. n. 1.*



TITULUS XI.

De his, quæ fiunt à majori parte Capituli.

SUMMARI A.

1. Capitulum quid nominis? 2. Quid rei? 3. Qui possit convocare Capitulum? 4. Quam sint Capitulares? 5. An etiam absentes vocari debeant? 6. Quæ dicantur negotia capitularia? 7. Neque
11. Quæ conditiones requirantur, ut gesta per Capitulum valeant? 11. Cur congregetur Capitulum? 12. Quid juris circa ea, quæ fiunt à majori parte Capituli?

IN præcedenti titulo dictum est de his, quæ fiunt à Prælato, & Capitulo simul : in præsentem agitur de illis, quæ fiunt à Capitulo seu majori ejus parte.

§. I.

Capitulum derivatur à Capite, sub quo regi, & gubernari debet ad præbendam consilia. *c. novit. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. & c. cum Clerici 19. de V. S.* Olim dicebatur Consilium, seu Senatus Episcopi, vel Prælati, ut patet ex *c. si Episcopus 73. causa 12. q. 2. junctâ Gloss.*

§. II.

Definitur Capitulum, quod sit collegium Capitularium cum suo Capite congregatorum pro tractandis negotiis spectantibus ad statum Ecclesiæ ipsorum.

Addidi : *cum suo Capite* ; quo nomine intellige Præpositum, aut Decanum, qui pars præcipua Capituli est, ejusque appellatione continetur : *Gloss. in c. post electionem. 7. V. mentio. de Consecr. præbend. & ibid. Panormit. num. 9.* non Episcopum, aut Prælatum, utpote qui Capituli à membris distincti locum ha-

habent, & non contentur de ipso Capitulo, vel Canonico Collegio. Panorm. *loc. cit.* Felin. in *c. dilecti de M. & O.* Gloss. in *Clem. ut ii. 2. de Etat. qual. & ordin. presic.* Decius *consl. 642.*

§. III.

3 *Causa efficiens* Capituli est Superior, qui convocat Capitulum. Pertinet autem potestas convocandi Capitulum in Ecclesiis Cathedralibus regulariter ad Episcopum, qui si rem majoris momenti Canonice proponendam habeat, eam non aliis committere, sed ipse tractatui personaliter interesse, vota singulorum exquirere, & secundum ea concludere debet. Quodsi tamen Episcopus absit, vel de commodo ipsius, aut suorum agatur, tunc convocatio ista non Vicario, seu Officiali Episcopi, sed uni de Capitulo, ad quem de jure, vel consuetudine spectat, v. g. Præposito, Decano, aut Seniori competit. Trident. *sess. 25. de Reform. c. 6. & ibi Barb. n. 42.* ubi insimul addit, quod Episcopus possit Capitulum pro lubitu convocare, dummodo non proponat causam ad commodum suum suorumque spectantem: Capitulum autem ipsum se, quandoque vult, valeat congregare, dummodo fiat solitis, & destinatis diebus, nec eo tempore, quo Divina officia celebrantur, nisi causa urgens dilationem non pateretur, ut idem Barb. fusiùs declarat in *tr. de Can. c. 35. per tot.*

§. IV.

4 *Subiectum* Capituli sunt Capitulares, qui congregantur. Veniunt autem nomine Capitularium in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Præpositus, Decanus, & cæteri Canonici: in Monasteriis Professi. Nec tamen ex illis, nec ex his omnes, saltem jure communi, sed ii solum, qui in sacris, sive majoribus Ordinibus ad minus Subdiaconatus constituti sunt juxta *Clem. ut ii. 2. de Etat. qual. & ord. presic.* & Trid. *sess. 22. de Ref. c. 4.*

quæ statuuunt, ne quicumque Clerici sive laicales, sive regulares jure suffragii, ac voce in Capitulo gaudeant, nisi Ordine quodam majori, saltem Subdiaconatus insigniti sint. Optima ratione, ut ita, qui Divinis officiis mancipati sunt, propensius inducantur ad suscipiendos Sacros Ordines, & ne redditibus Ecclesiasticis suffarcinati retrocedant, & statui Clericali valedicant. Gloss. in *d. Clem. ut ii.* Jacob Pignat. *tom. 8. consule. 115. n. 1.* Hinc votum datum ab eo, qui non est in sacris, invalidum esse, etiamsi hoc sibi ab aliis fuerit concessum, post Lecan. Cuch. Tambur. & alios docet idem Jac. Pignat. *tom. 1. consule. 226. n. 4.* Sanè in quibusdam Religionibus quoties magni momenti negotia tractanda sunt, ex specialibus, & ab ipsis Ordinum fundatoribus conditis, atque à Sede Apostolica confirmatis statutis vocem in Capitulo Professi quoque juniores habent, teste P. Engl. *h. r. n. 7.*

Juvat hoc loco attingere illam *controversiam*: an, & quando ad actum capitularem vocandi sint capitulares etiam absentes?

Glossa in *c. 2. de Testib. in 6.* in tribus solummodo casibus absentes vocandos esse adstruit. *Primus* est, cum eligendus est vacantis Ecclesiæ Prælati. *c. quia propter 42. de Elect. Secundus*, cum aliquis recipiendus est in Canonicum, aut facienda collatio præbendarum, & beneficiorum. *c. cum in Eccles. 33. de Prab. & dignit. in 6.* *Tertius*, cum indicenda est cessatio in Divinis. *c. quamvis de Offic. Ordin. in 6.* Glossam sequuntur communiter alii propter *c. ea enim 2. causâ 10. q. 2.* ubi ad alienationem rei Ecclesiasticæ, quæ utique res ardua est, non vocantur absentes, sed consensus majoris partis *ibidem servientium* sufficere dicitur.

Verùm Felin. in *c. cum omnes n. 22. de Constit. Innocent. in c. 2. de Novi op. nunt. post medium.* Panorm. in *eod. c. 2. n. 10. & in c. 1. n. 15. h. t.* Layman in *c. ult. n. 3. de Major. & obed.* tribus casibus Glossæ alios duos addunt.

& quidem in primis, si memoratis similes, aut magis ardua causa sint pertractanda: quando quidem ratio unica Glossæ, cur in præfatis casibus debeant vocari absentes, stat in arduitate causarum. Deinde si, quod decernendum est, tendat in præjudicium solorum absentium, ut ipsamet Glossa notat in c. 1. *¶. constitutum h. t.* per text. in l. *per fundum. ff. de Servit. prad. rustic.* Ego propterea in hanc sententiam magis propendo, quod extensio hæc, & absentium Capitularium vocatio spectet utilitatem Ecclesiarum, ac proinde favorabilis sit arg. c. *cum dilecta. 4. de Confirmat. uti. vel inur. Ad c. ea enim 2. causa 10. q. 2.* Respondeo, illam, de qua agit, alienationem, ut pote factam in casu licito necessitatis, non fuisse magni præjudicii, & ibi Ecclesiam cum in ora periculo absentes expectare nec potuisse, nec debuisse.

§. V.

6 *Materia, seu Objectum* Capituli sunt actus ac negotia, ad quæ tractanda Capitulares vocantur, & in loco capitulari congregantur.

§. VI.

7 *Formam* Capituli respicit legitima Capitularium ordinatio, & modus capitulariter procedendi. Plura igitur concurrant, oportet.

8 I. Requiritur, ut omnes, qui jus suffragii habent, solenniter, id est, per edictum publicè affixum, campanæ sonitum, per Nuntium, literas, vel alio usitato modo vocati fuerint. arg. l. 2. c. *de Decurionib.* Quod si vel unus præteritus sit, potest agere de contemptu, & actum irritare: quia plus operatur contemptus unius, quam contradictio multorum. c. *quod sicut. 28. de Elect.* Atque hoc non tantum in materia electionis, sed universim in omnibus actibus, ubi consensus Capituli exigitur, observari debet. Panor. in c. 1. n. 16. h. t.

II. Requiritur, ut Capitulares vocati in loco capitulari, vel alias idoneo uno, eodemque tempore congregentur: neque enim flagu-

lorum dispersita, sed communis demum, & simultanea eorum præsentia collegii formam præbet, noménque meretur arg. c. *in genesi. 55. de Elect. l. penult. & ult. C. de Legation.* Unde tamen si singuli Capitulares seorsim aliquid promittant, & suam voluntatem, ac consensum declarent, non potest dici capitulum consensisse, aut actum talem expedivisse, nisi communiter tractatus sit habitus. c. *fin. h. t.*

Sed quid dicendum de non comparentibus, & si forte non omnes Capitulares consultationi interfuerint? R. necessum non esse, ut omnes compareant, & absentium, si legitime convocati fuerint, rationem non haberi, modo duæ minimum partes ex toto Capitulo præsentibus fuerint. arg. l. 3. & 4. ff. *Quod cuiuscunque Universit. & ibi Bartol. n. ult. Boer. dec. 1. n. 4. Panormit. in c. 1. n. 16. h. t. Jacob Pignatell. tom. 1. consult. 43. n. 1.* quippe Ordo aliter non habetur, quam duabus partibus adhibitis. l. 3. ff. *de Decret. ab ordina. fac.* Quamvis verò nonnulli contendant, duas partes semper adesse debere, & nolentes venire in numerum illarum duarum partium, quæ regulariter præsentibus esse debent, non computari, sed rationem eorum haberi, nec absque illis posse quid peragi, per ea, quæ tradunt Everh. *conf. 100. n. 1. Burlat. conf. 107. n. 3. Mod. Pistor. conf. 45. n. 67.* verius tamen putem, si per contumaciam, & volentes absint, rotam facultatem statuendi, ac decidendi residere penes præsentibus, ut docet Panorm. in c. *cum omnes. 6. de Constit. & in c. in causis. 30. colum. 3. de Elect.* adeo ut tunc unus solus præsens coram vocatis testibus votum suum dicere possit. Innocent. in c. 42. num. 5. *Encl.* & Ego cum Zoepolla *ibid. sub. num. 23.* sibi enim imputent contumaces, quod in contumaciæ suæ poenam votis suis careant, juri que suo ipsimet præjudicent.

III. Requiritur, ut congregato sic Capitulo totæ, sive negotium del. n. d. an, ab eo, qui præ-

præfides, exponatur, quò quilibet sententiam suam in medium proferre possit. Et siquidem major, & sanior pars Capitularium conveniat, pro eo habetur, ac si omnes convenissent per c. 1. h. t. & l. 19. ff. ad Municipalem. ut enim tritissimum sonat brocardicum: *in rebus ad universitatem, ut universitatem, spectantibus majora concludunt.* Martin. Rumeilin. dissert. 3. ad aur. Bull. §. in addit. lit. a. Censetur autem pars major, quæ numerò excedit, habito respectu non ad alias partes in diversa euntes, sed ad totum Capitulum præsens, ut si ex duodecim Canonicis presentibus octo, vel septem consentiant. c. si cui 23. de Elect. in 6. Sanior verò pars dicitur, quæ majoritate, prudentiâ, & pietate nititur. c. sana. 11. dist. 9. In dubio tamen, & nisi contrarium probetur, pars major, etiam sanior præsumitur per c. illud §. dist. 23. c. in nostra. de Testib. & c. 21. de offic. deleg. Fagn. in c. 1. h. t. n. 4. Porro pars minor quando sanior est, majori quidem parti potest contradicere, ejusque decreta mediante appellatione ad Superiorem impedire, decernere autem nomine Capituli sine illius consensu nihil valet, nisi pars major fortè ob delictum jure suffragii privata esset. Panorm. in c. cum in consilio. 1. h. t. n. 11. Ern. Pirrhing. n. 3.

§. VII.


11. *Finis*, ob quem Capitulum congregatur, est communis Ecclesiæ utilitas. Ne ergo Capitulares privatam utilitatem spectent: quippe verissimè alicubi Livius, quòd respectu rerum privatarum offeceris, officiatque publicis consiliis.

§. VIII.

12. *Effectus* Capituli est, quòd vota majora concludant, & pars major obliget minorem, etiam invitam. c. fin. h. t. Quod procedit in casu, quo agitur de jure communitatis, vel Ecclesiæ: secus si agitur de re, ac jure singulorum: tunc enim locum habet regulà: quod

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

omnes tangit, debet ab omnibus approbari. c. 29. de R. F. in 6. & illa: *in re communi potior est conditio prohibentis.* c. 56. Eod. in 6. nimirum ubi res communis ad plures non jure Collegii, sed jure singulorum spectat. Quamobrem si major pars Capitularium consentiat, aliquid de suis redditibus remittere, & ad certum usum pium applicare, reliquis non præjudicat, nisi statuat, ut quilibet Capitularium certam portionem reddituum contribuat ad reparandam Ecclesiam Cathedralè, quo casu pars major ad se trahit, & obligat minorem, eò quòd Canonici recipiant quidam redditus jure singulorum, non tamen omninò absoluto, sed potiùs respectivo, & cum tacito onere ex autoritate juris annexo, ut in casum necessariæ reparationis conferant ex superfluis d. c. fin. h. t. & ibi Barb. n. 2. & 4. Panorm. n. 7. Pirrhing. sub. n. 8. & alii uno ore.



TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Denique post tradita de beneficiis, & beneficiorum collationibus, hic regula statuitur, ut sine diminutione conferantur. Quæ diminutio fieri censetur beneficiorum unione: divisione: dismembratione: suppressione: pensionis, aut oneris impositione.

Pars I.

De Beneficiorum Unione.

SUMMARIA.

1. *Unio quid nominis?* 2. *Quid res?* 3. *Quotuplex?*
4. *Quinam possint unire beneficia?* 5. 6. 7. *Qua beneficia uniri possint?* 8. *Quæ causæ?* 9. *Quæ solennitates requirantur ad unionem?* 10. *Quis sit finis unionis?* 11. & seqq. *Qui effectus?*

N

§. I.

§. I.

1 *Unio ab uniendo appellatur, eò quòd per hanc duæ, vel plures Ecclesiæ ob evidens quoddam commodum in unum conjungantur. Finckelth. de Jure patronat. c. 5. n. 57. Vulgò incorporatio indigitatur.*

§. II.

2 *Definitur beneficiorum unio, quòd sit duorum vel plurium beneficiorum, aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio Superiore facta connexio. Rebuff. in Prax. benef. tit. de Union. benefico. num. 2.*

§. III.

3 *Dividitur beneficiorum unio in temporalem, & perpetuam Temporalis dicitur, quæ ad certum tempus restricta est, ut si fiat contemplatione personæ ad ejus vitam. Et hæc non est propriè dicta unio, sed potiùs dispensatio, aut reservatio, per quam beneficium ad vitam reservatur illi, in cujus favorem fit unio Rebuff. loc. cit. n. 9. Perpetua vocatur, quæ fit absque determinatione temporis, ac in favorem Ecclesiæ, ejusque utilitatem permittitur. Et hæc fit, quando exprimitur, ut perpetuò duret juxta c. 33. ibi: de Capellis in perpetuum annectendis. de Prabend. vel quando additur: ad perpetuam rei memoriam: vel, ad beneplacitum Sedis Apostolica. c. 5. de Rescript. in 6. vel si fiat contemplatione Ecclesiæ. c. novit. 1. Ne Sede vacante. Pirrling. de Prabend. num. 200.*

§. IV.

4 *Causa efficiens hujus unionis est uniens. Potest autem unire beneficia non modo S. Pontifex, aut Legatus de Latere, sed etiam Episcopus: sicut enim unire Episcopatus, atque potestati subicere aliena ad S. Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est, Ecclesiarum sua Diocesis unio, & subjectio earundem. Textus in c. sicut unire. de Excessib. Pralat. Idemque statuit Concilium Vienneñse in Clem. 1. §. ad hæc. de Statu Monach. & Trident. in*

sess. 21. c. 1. de Reform. Imò Mohed. dec. 3. de Offic. Vicar. docet, quòd & Vicarius generalis beneficia uniendo facultatem habeat, ex quo unire beneficia est jurisdictionis ordinariæ, & quidem contentiosæ, cum actus unionis subsistente causâ exercentur in invitum, l. 2. ff. de Offic. Procons. omnia autem, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ regulariter ad Vicarium generalem transeunt. Felin. in c. eamto. num. 17. in pr. de Rescript. & Ego supra ad tit. de Offic. Vicar. n. 21. dissentit Rota apud Puteum lib. 3. dec. 53. & Rebuff. in Prax. Benef. tit. de Forma Vicariatus. n. 102. ubi asserit, quòd hæc potestas Vicario non censetur concessa, etsi post facultatem conferendi sit adjuncta clausula potestatis faciendi majora expressis juxta c. qui ad agendum. de Procurator. in 6. Cæterum unio est de reservatis Episcopo, & denegatur inferioribus Prælati licet ad eos Ecclesiæ pleno jure spectent. Par-norm. & Joan. Andr. in d. c. sicut unire. n. 2. de Excessib. Pralat. nisi in hisce Ecclesiis jurisdictionem quasi Episcopalem exercent. Petr. Gregor. Tholosan. de Benef. c. 20. n. 7. P. Engl. h. t. num. 10.

§. V.

Materia, seu Objectum unionis sunt Ecclesiæ, ac beneficia, quæ ununtur. Permittitur autem Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, ut possint facere uniones quarumcunque Ecclesiarum parochialium, aut aliorum quorumcumque beneficiorum, sive curatorum, sive non curatorum suæ Diocesis, ob paupertatem aliãve justam causam, sicut illa forent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta. Trident. sess. 21. de Reform. c. 5. ita scilicet, ut reservatio, quamvis generalis, si est tantum circa collationem, quam solam sibi Papa reservat, non impediat unionem, sive fiat ante, sive post, solùmque suspendat effectum, donec reservatio antecedens consumatur: quan-

quandoquidem unio nomine collationis non venit. Pirrhing *ad tit. de Præbend. n. 106.* Secus est, quando reservatio habet verba generalia, non solum collationem comprehendentia, sed quamcumque aliam dispositionem, tunc enim sub eisdem verbis generalibus unio prohibita censetur, Panormit. in *c. sicut unire* *lib. num. 7. de Excessib. Prælat.*

6 Reperias tamen beneficia, quæ uniri prohibentur. Ita I. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 9.* interdicat, ne beneficia diversarum diocesium, sive curata, sive simplicia, quacumque de causa, etiam ad cultum Divinum augendum, perpetuò uniantur, ne per talem unionem limites diocesium confundantur. II. Idem Tridentinum *sess. 24. de Reform. c. 13.* vetat, ne impostero Ecclesiæ parochiales uniantur Monasteriis quibuscumque, aut Abbatibus, sive Dignitatibus, vel præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiata, aliisve beneficiis, vel piis locis. Quo tamen decreto non obstanti potest Episcopus facere unionis Parochiarum pro fundatione, dotatione, augmento, vel conferuatione Collegiorum, Monasteriorum, & aliorum priorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, bonarumque artium cultum. Barb. in *Collectan. ad Trident. loc. cit. n. 10. & seq. & J. E. U. lib. 3. c. 16. n. 34.* & multò magis unire potest secularia quoque beneficia simplicia, vel curam duntaxat habitualement habentia: siquidem exceptio Tridentini tantum de Parochialibus Ecclesiis firmat regulam in aliis Ecclesiis non exceptis: neque plus censetur de jure veteri mutatum, quam expressum. *l. precipimus 32. §. 6. C. de Appell. P. Engel de Capell. Monach. num. 17.* III. Id ipsum Concilium in *sess. 24. de Reform. c. 15.* decernit, ut in Cathedralibus & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeòque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonorum gradui pro loco, & personarum

qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, aliquot beneficia simplicia, non tamen regularia, iis unire. *lib. 2. tit. 6. c. 1.*

An verò beneficia nondum vacantia Monasteriis, Collegiis, vel certæ alicui dignitati, aut beneficio uniri possunt? *Scrupulum* movet, quòd S. Concilium Tridentinum in *cit. sess. 24. c. 19.* generaliter quas-cumque gratias ad beneficia vacatura deinceps concedi prohibeat, incorporatio autem, sive unio beneficii procul dubio involvat gratiam ad beneficium vacaturum, & quidem majorem, quàm simplex collatio, utpote perpetuam, & talem, quæ non expiret, etiamsi is, cui gratia facta est, v. g. Abbas præmoriatur, antequam beneficium unitum actu vacare incipiat.

Attamen expediti juris est, quoad uniones, & incorporaciones beneficiorum nihil immutatum esse, consequenter ut olim, ac jure veteri, ita hodie beneficia non vacantia uniri posse: inprimis quia Concilium Trident. *cit. c. 19.* tantum loquitur de concessione beneficii in titulum, non de concessione in proprietatem, ut optimè observat *Garc. de Benefic. p. 10. c. 1. num. 24.* Quin imò idem Concilium *sess. 21. de Reform. cap. 5.* Episcopis impertitur licentiam uniendo quas-cumque Ecclesias & beneficia, sine tamen præjudicio obtinentium, ut textus sonat, adeòque supponit unionem fieri posse de beneficiis non vacantibus. Deinde ratio, ob quam Tridentinum gratias expectativas proscribit, est votum captandæ, aut optandæ mortis alienæ: quæ hoc ipsò circa gratiam unionis cessat, quòd non expiret, quantumvis Prælati, qui eam obtinuit, moriatur ante beneficiatum, cujus beneficium unitum est. Accedit, quòd jure quoque communi Episcopis prohibitum fuerit, beneficia nondum vacantia alteri concedere in titulum propter votum captandæ mortis, nec tamen ob istam ratio-

nem illis interdictum sit, talia beneficia vivente, & omnino inconsulto priori Beneficiato alteri Ecclesie, vel dignitati unire. *c. cum venissent 9. de Restit. spoliat. Clem. 2. de Reb. Eccles. non alien.*

§. VI.

8 *Formam unionis præcipue duo absolvunt: nempe causa, & solennitas canonica.*

Causa est vel necessitas, vel evidens Ecclesie utilitas. c. exposuisti 33. de Preb. Necessitas, veluti cum duæ Ecclesie ad eod sunt pauperes, ut impossibile sit, earum proventus ad victum duorum Sacerdotum sufficere, aut si altera hostium immanitate sit desolata. c. postquam 49. causa 16. q. 1. Clem. ne in agro 1. §. ad hac de Statu Monach. Utilitas, ut cum locorum opportunitas, seu vicinitas id exposcit, vel temporis qualitas; ut puta, quia in loco nunc Christianorum dicitur imminutus numerus, aut quia ob fructuum tenuitatem non perinde idonei Sacerdotes ad procurandum beneficium inveniuntur. c. eam se 4. de Acat. qualit. & word. pratic. Neque verò sufficit utilitas, vel necessitas simplex, sed evidens desideratur, ac præcisa, quæ excludatur quæcunque dubitatio. Rota dec. 65. n. 17. p. 2. divers. Unde est, ut si propter indigentiam, aut tenuitatem reddituum fiat, opus sit occurrere difficultati, quæ oritur ex eo, quod usque tunc Ecclesia, cui fit unio, se sustentaverit: id quippe satis est ad hanc causam evitendam. Oldrad. consil. 262. num. 1. qui n. 2. etiam monet, præcavendum, ne excedat causam suam, & eo prætextu unio fiat in immensum. Imò ut de egestate Ecclesiarum constet, verus annuus valor tam Ecclesie unientis quam illius, cui uniri petitur, exprimendus est secundum Regul. 21. aliàs 22. Cancel. lar. de Unionib.

9 *Solennitas duo concernit, videlicet tractatum, ac vocationem eorum, qui per unionem beneficiorum lædi possunt.*

Tractatus, in quo causa necessitatis, vel utilitatis disquiritur, debet fieri cum Capitulo. Clem. si una 2. de Reb. Eccles. non alien. sine dubio propter arctissimam conjunctionem, & consortium, quod est inter Episcopum & Capitulum, cum quo ad eod omnia negotia ardua expedire debet. c. novit. 4. de his, qua sunt à Pralat. sine consensu Cap. Rota dec. 222. n. 4. p. 9. Recent. Et ideo in Ecclesiis de jure patronatus, licet Patronus in unionem consentiat, Episcopum adhuc sui Capituli consensum debere adhibere, respondit Rota dec. 688. n. 2. p. 1. Recent. Pro validitate tamen unionis sufficit, si postmodum Capitulo consensus accedat. Rota dec. 133. n. 9. & seq. p. 2. divers. P. Engel h. e. n. 11. imò ex probabili sententia sufficit consensus præsumptus, etiam ex simplici temporis decursu. Gabriel consil. 200. n. 5. & 6. lib. 1. Verum in unione Mensæ Capitulari, vel Episcopali facienda ne quidem consensus Capituli sufficit, sed Papæ auctoritas requiritur. d. Clem. si una 2. ne idem de Capitulo videantur auctorizare in sua, quod fieri non debet. Rota dec. 1. n. 2. in fin. de Eccles. adific. in antiq.

Quoad vocationem eorum, qui possunt interesse prætere, notandum, ex necessitate vocandum esse tam Patronum, seu eum, cui Ecclesia quoquo modo subest, quam Collatorem. c. suggestum. 20. de jure patronat. Clem. 1. §. ad hac de Statu Monach. Zabarell. in d. Clem. si una n. 3. de Reb. Eccles. non alien. ita ut neglecto eorum consensu irrita sit unio. Zypæus lib. 5. consult. can. consult. 7. n. 15. Rota dec. 688. n. 2. p. 1. Recent. De Rectore verò omnes conveniunt, ejus vocationem non esse necessariam, ut cui nullum sit præjudicium, cum sit de ratione unionis, ut ejus executio suspendatur, donec, qui beneficium unitum obtinet, cedat, vel decedat. c. consultationibus. de Donation. Trident. sess. 21. de Reformat. c. 5. Rota dec. 133. n. 13.

num. 13. p. 2. *divers. & dec. 565. num. 2. p. 5.*
tom. 2. Recent.

§. VII.

10 *Finis unionis beneficiorum est utilitas, & dignitas Ecclesiarum, ut innuit Trident. sess. 24. de Reform. c. 15. in illis verbis; ut Divino cultui celebrando, & dignitati Ecclesie commode valeant respondere.*

§. VIII.

11 *Effectus Unionis beneficiorum variat pro triplici uniendi ratione: nam*

I. Si duo beneficia, sive Ecclesie ita uniantur, ut in unum quasi corpus distinctum coalescant, ut si ex duabus Ecclesiis Parochialibus, quarum tenues valde sunt redditus, una fiat Ecclesia parochialis tertia, hujusmodi unio operatur, ut prerogative & privilegia data uni Ecclesie competant & alteri, & si contraria sint, meliora, ac favorabiliora servantur. Rota *dec. 37. n. 2. p. 10. & dec. 156. n. 6. p. 11. Recent.* Rebuff. in *Prax. Benef. tit. de Unionib. Benef. n. 11.* Garc. *de Benef. p. 12. c. 2. n. 7.* qui n. 12. recte advertit, hunc uniendi modum rarum, & parum frequentem esse.

12 II. Si ita uniantur Ecclesie, ut in unum veluti corpus minimè redigantur, sed ut una superior, & principalis existat, altera verò inferior, ac tanquam accessorium subjiciatur, hoc casu inferior Ecclesia amittit nomen beneficii, quod per unionem suppressum, & extinctum est. Gloss. in *Clem. per literas 2. de Prabend.* Rota *dec. 11. num. 1. & 2. de Reb. Eccles. non aliu. in antiq.* & è contrario induit nomen, & naturam ejus beneficii, cui annexa est, atque consequenter illius quoque privilegiis fruitur per *c. recolentes 3. de Statu Monach.* Riccius *tom. 1. resolut. 387. num. 4. & resol. 391. num. 1.* Navar. *consil. 6. de Verb. signif.* Petr. de Perus. in *tr. de Unione Ecclesiar. c. 2. n. 10. & 19.* Hinc omnia jura tam temporalia, quam spiritualia cum omnibus emolumentis beneficii uniti transferuntur ad bene-

ficiam, cui fit unio. Seraph. *dec. 1009. n. 4.* Rota *dec. 710. n. 2. in fin. p. 2. Recent.* Petr. de Murga *tr. de Benef. q. 2. num. 531.* Hinc per unionem Ecclesia secularis, si uniat regulari, proprio statu mutato fit regularis. Rebuff. *de Benef. V. Beneficium regulare.* Rota in *Parochiali Vicaria de Stella 14. Decemb. 1652. coram Ottobono.* Petr. de Murga *d. n. 531. & q. 4. n. 26. & 29.* aut si Ecclesia, cui facta est unio, sit exempta à jurisdictione Episcopi, & Papæ immediatè subjecta, etiam beneficium tali Ecclesie unitum erit exemptum. Duran. *dec. 303. num. 3. & 4.* Rota *dec. 30. num. 4. & 7. p. 11. Recent.* quæ loquitur in terminis exemptionis etiam à jure sententiali. Hinc quoque beneficium unitum nunquam dicitur vacare, cum ejus principalis Rector sit is, cujus Ecclesie unitum est; neque in tali beneficio locum habet terminus Lateranensis Concilii de devolutione ad Episcopum ob vacantiam ultra 6. Menses. Joan. Honor. *tit. de Prabend. p. 4. num. 6.* Barb. *de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 58. n. 16.* P. Engel. *de Capellis Monach. num. 11.* ubi prolixè disserit, quid juris Monasterium habeat in Parochiis pleno jure unitis.

III. Si Ecclesie æquè principaliter, & ita adunentur, ut neutra alteri supponatur, hæc unio id solum operatur, ut Rector unius sit etiam Rector alterius beneficii, de cæterò utrumque manet in suo pristino statu cum omnibus ad sui naturam, titulum, qualitates, privilegium, & nomen pertinentibus. Gloss. in *c. 1. Ne Sede vacante.* P. Engel *h. t. n. 9.* Petr. de Murga *tr. de Benef. q. 4. num. 12.* cum citatis, adeò ut unum sub altero non comprehendatur in impetratione, nisi de utroque sit facta mentio. Garc. *de Benef. p. 12. c. 2. n. 43.* Rota *dec. 353 num. 11. p. 10. Recent.* Quoniam verò duo beneficia æquè principaliter unita intelliguntur unita respectu Rectoris, propterea si duo Episcopatus ita uniti fue-

sint, Episcopus residendo in uno potest explere negotia utriusque: & similiter in uno tantum Vicarium generalem constituere, ad quem subditi utriusque diocesis accedere debeant, siquidem quoad Episcopum una duntaxat diocesis reputatur. Rota *part. 4. tom. 3. Rec. cent. dec. 537. num. 7. Cavaler. dec. 418. num. 2. & 3.*

14 *Quarentii*, unde cognosci possit, an unio principaliter, vel accessorie facta sit, peroptime respondet Ferdin. de Castro Palao *tom. 2. tr. 13. disp. 6. punct. 12. §. 1. num. 10.* ubi tres veluti notas observandas ostendit. Prima est, ut inspiciatur tenor unionis: si enim instrumentum, aut rescriptum dicat: *illud, & illud beneficium unimus*; unio est æque principalis; si autem dicat: *tale beneficium illi beneficio unimus, & incorporamus*; censetur unio accessorie facta. Rota *dec. 30. n. 8 p. 11. Recent. Secunda*, ut si ex verbis unionis id colligi nequeat, spectetur, quod beneficium magis dignum; & illud iudicandum est, esse principale unitum, & minus dignum esse accessorie unitum: quia juxta vulgatum: magis dignum trahit ad se minus dignum *c. quod in dubiis de Consecr. Eccles. vel altar. Tertia*, ut, si beneficia æqualia appareant, attendatur, an ex uno solum beneficio denominatio proveniat, & illud iudicabitur principale unitum, aliud accessorie, cum in hac æqualitate sola unio accessoria causa esse possit hujus denominationis. Rota *dec. 114. n. 6. p. 2. divers.* Maxime autem observandum erit ad usum, & consuetudinem, quæ est optima legum interpretis. Verum si omnibus consideratis res adhuc dubia sit, præsumendum est, unionem æque principaliter, & non accessorie factam esse, ex quo præsumptio sumi debet potius pro conservatione, quam extinctione

beneficii. *c. Abbate de V. S. Cell. dec. 76.*

n. 7. Rota dec. 330. n. 2. coram

Cavaler.

Pars. II.

De Divisione Beneficiorum.

SUMMARIA.

15. *Definitur divisio beneficiorum.* 16. *à quo?* 17. *in quibus beneficiis?* 18. *ex qua causa?* 19. *quæ solemnitate faciendæ sit?* 20. *Quis sit finis?* 21. *Quis effectus hujus divisionis?*

§. I.

Definitur divisio beneficiorum, quod sit selectio unius beneficii in plura; ut si ex uno Episcopatu fiant duo: ex una Ecclesia Parochiali dua: ex uno Canonatu duplex Canonicatus, vel unus Canonicatus, & portio. *Garc. de Benef. p. 12. c. 4. num. 1.*

§. II.

Causa efficiens divisionis beneficiorum est, qui ea dividit. Pectinet autem divisio Ecclesiarum Cathedralium ad solam, & supremam S. Pontificis potestatem juxta illud ab Host. in *c. sicut univo. de Excess. Pralat. relatum*; *Erigit, & subijcit Cathedras, & dividit univ.* Parochias vero, aliæque beneficia inferiora etiam Episcopus, vel alius, qui jurisdictionem Episcopalem exercet, dividere potest: quicumque enim habet univendi potestatem, illi quoque facultas dividendi conceditur *arg. c. avaritia. 10. de Præbend.*

§. III.

Materia, seu objectum est beneficium, quod dividitur; ex parte cujus necessarium est, ut habeat sufficientes redditus pro duabus præbendis, siye ad duos Beneficiatos honeste alendos; alioquin divisio fieri non debet, & si defacto sit facta, tum Episcopus dividens obligatus est, ex beneficiis, quæ vacaverint, integrare præbendas, ita ut portio aliqua ex beneficiis abundantibus adimatur, eaque tenuioribus adjiciatur. Non tamen requiritur, ut præbendæ de novo erectæ sint æquales antiquis, siye ut æquales redditus habeant, sed factus est, si habeant sufficientes redditus pro sustentatione

stentandis singulis Beneficiariis. *c. vacante. 20.*
de ibi Panorm. n. 2. & 4. de Prabend. Petr. d.
Murga. de Benef. q. 6. n. 4. & 20.
 §. IV.

18 *Forma divisionis beneficiorum stat in re-*
quisitis, quæ duo.

Primum est iusta, & rationabilis causa,
videlicet necessitatis, vel utilitatis, d. c. vacan-
ta. 26. de Prabend. Et utraque talis esse debet,
ut eis alio modo congruè provideri non va-
leat. c. quoniam 14. de Offic. ordin. c. ad au-
diendam. 7. & c. fin. de Eccles. edific. Trident.
sess. 21. de Reform. c. 4. Rota dec. 223. n. 10.
p. 6. Recour. ubi dicit, dispositionem d. c. ad
audiendam procedere, quando aliter provi-
dendi non potest. Ideo non est causa suffi-
ciens beneficia dividendi, ut multiplicatione
beneficiorum augeatur cultus Divinus, cum
hoc cultus Divini augmentum à beneficio non
exigatur. Lambertin. de Jure patron. lib. 2.
p. 1. q. 12. art. 7. item non est sufficiens
causa dividendi parochiale beneficium multi-
tudo Parochianorum, si exclusâ divisione
omnibus Parochianis commodè Sacramenta
administrari possint ab ipso Rectore, & ab
aliis Clericis in adiutorium assumptis, ut in-
notat Trident. sess. 21. de Reform. c. 4. P. Engl.
ad tit. de Paroch. n. 3. Petrus de Murga cit.
q. 6. num. 5. & seqq.

19 *Alterum, quod requiritur, est, ut interve-*
niat consensus Capituli arg. c. novit. 4. de his.
quæ sunt à Pralat. Clem. 2. de Reb. Eccles. non
alien. cum per divisionem alteretur status Ec-
clesiæ, eaque sit quædam species alienationis.
Pirrhing. ad tit. de Prabend. n. 233. Consen-
sus autem Rectoris, cujus est beneficium di-
videndum, non desideratur, cum Trident.
tit. sess. 21. c. 4. dicat etiam invitis Recto-
ribus id fieri posse. Neque item exigitur
consensus Parochianorum, cum idem S. Con-
cilium totam hanc causam iudicio Episcopi re-
mittat, citari tamen debent & audiri, sicut

etiam Patronus, si fortè rationabilem contra-
 dicendi causam habeant. P. Engl. *l. t. num. 4.*

§. V.
Finis divisionis beneficiorum est augmen-
tum cultus Divini, & utilitas Ecclesiæ.

§. VI.
Effectus hujus divisionis est, quòd ex uno
faciat duo, vel plura beneficia, ita ut divi-
fructibus duo imposterum beneficiati insti-
tuantur. Notat verò Petr. de Murga d. q. 6.
n. 22. decimas ad Ecclesiam matricem perti-
nentes non transire ipso jure in Ecclesiam Pa-
rochiale noviter erectam, sed in arbitrio
Episcopi esse, an decimas, vel alios fructus
eidem assignare velit.

Pars III.

De Dismembratione Bene- ficiorum.

SUMMARIA.

22. *Quid sit dismembratio? 23. Quis possit dismem-*
brare beneficia? 24. Quæ beneficia admittant dis-
membrationem? 25. Quæ causa? 26. Quæ solen-
nitatis ad dismembrationem desideretur? 27. Affi-
gnatur dismembrationis finis. 28. Effectus.

§. I.

D*efinitur dismembratio, quòd sit separa-*
tio aliquorum fructuum, & reddituum
beneficii ab ipso beneficio, ut alteri beneficio,
vel loco pio applicentur. Garc. de Benef. p. 3.
c. 3. num. 1.

§. II.

Causa efficiens dismembrationis est S. Pon-
tifex, cui plena in beneficiis potestas, ac om-
nimoda dispositio competit: c. 2. de Prabend.
in 6. & Episcopus, seu Ordinarius, qui ex
iusta causa portiones, seu redditus beneficio-
rum etiam in Ecclesiis, seu Parochiis, quæ Mo-
nasteriis, aut Collegiis incorporatæ sunt mi-
nuere, seu dismembrare potest, salvâ tamen
unionem, ut ex c. avaritia 10. de Prabend. à
sensu contrario colligit Pirrhing. eod. tit. n. 223.

§. III.

§ III.

24 *Materiam, seu Objectum* dismembrationis constituit beneficium, quod dismembratur. Ubi notandum primo, non posse Episcopum parochiæ, seu curati beneficii fructus dismembrare, ut simplici beneficio applicentur, eò quòd Concilium Trid. *sess. 25. de Reformat. c. 16.* simpliciter prohibeat, beneficium curatum in simplex converti; quod intelligendum est, etiam in aliqua parte fructuum, ut S. Congregatio declaravit apud Petrum de Murga *tr. de Benef. q. 5. num. 3. & 5.* Pyr. Corrad. in *Prax. benef. lib. 3. c. 2. n. 13.* Notandum secundo, minus posse Episcopum separare, seu dismembrare ab Ecclesia Parochiali beneficia simplicia, seu oratoria unita, tamen si his separatis Parochialis non indigeret, eò quòd hęc ratione Parochialis ex parte in simplex beneficium converti videatur contra Trident. *d. c. 16.* ut iterum à S. Congregatione decisum esse, refert Garc. *de Benef. p. 12. c. 2. n. 87.* & cum hoc Petr. de Murga, & Pyr. Corrad. *ubi supra* Aloyf. Riccius in *praxi fori Eccles. dec. 492. num. 1.*

§ IV.

25 *Forma* dismembrationis exigit causæ, & solennitatis concursum.

Justa causa regulariter reputatur, quæ implicat animarum periculum, cui aliâ ratione non potest prospici juxta *c. ad audientiam. 3. de Eccles. adif. Rota dec. 484. n. 5. p. 1. Recent. Cels. dec. 403. n. 5.* ubi concludit, liti extinctionem, & litigantium concordiam non esse sufficientem causam dismembrationis, ex quo hoc obtineri potest, quin beneficium dismembratur. Addidi: *regulariter*, siquidem aliquando v. l. sola pinguedo reddituum unius, & exilitas fructuum alterius Ecclesiæ dismembrationis justa causa censetur, ut in casu, quo Episcopus constituit ministrum in Ecclesia Parochiali, qui adjuvet Rectorem, & ad hunc effectum illi assignat pensionem ex redditibus

Ecclesiæ locò beneficii. Panorm. in *c. con-querente. num. 1. & 5. de Cleric. non resident.* Rota in *Toletana beneficii. 12. Octob. 1579. coram Seraphino.* Pyr. Corrad. in *Prax. Benef. lib. 3. c. 2. num. 10.*

Quod solennitatem attinet, quando dismembratio fit per Ordinarium, refert, si beneficium vacante, vel non vacante? Si beneficium non vacet, iterum interest, si tamen ad petitionem Rectoris, seu Parochi superstitis, vel ex officio, aut motu proprio Episcopo? Casu priori præter justam causam, si Ecclesia illa non sit collegiata, neque incorporata Ecclesiæ Collegiata, vel Conventuali, solum requiritur auctoritas Episcopi tanquam Ordinarii; alioquin si Collegiata sit, vel tali incorporata, insuper consensus illius Collegii, vel Capituli desideratur. Casu posteriori cum justa causa necessarius est etiam consensus Capituli Cathedralis, tanquam solennitas aliqua necessaria ad hanc quasi alienationem faciendam. *pet. c. dudum. 1. de Reb. Eccles. non alien. & Clem. si una. 2. Eod. Garc. de Benef. p. 12. c. 3. n. 11. & 12.* Consensus verò Rectoris Ecclesiæ dismembrandæ, quamvis pro suo interesse, & propter præjudicium ei imminens vocari debeat, ac audiri, non exigitur pro forma sed si justa subsit causa, Episcopus illo invito ad talem dismembrationem procedere potest *pet. c. ad audientiam. 3. ad fin. 7. si vero persona. de Eccles. adif. Lotter. de Re benef. lib. 1. q. 28. num. 6. & 10.* Sin beneficium, cuius dismembratio instituitur, vacat, Curator ei, vel Defensor ab Episcopo deputandus est, qui de legitimitate, & veritate causæ necessaria disquirat; aliàs dismembratio erit irrita. *d. c. dudum. 1. & ibi Gloss. V. Defensore. Celsus dec. 403. num. 3. Garc. d. c. num. 4.*

§ V.

Finis dismembrationis est, ut aliud beneficium tenue, aut locus pius coadjuvetur ad Beneficiarios honestè alendos,

§ VI.

§. VI.

Effectus dismembrationis est, quod per eam saluò tituló, & remanente unitate beneficii aliqui fructus ab eo separentur, & alteri beneficio applicentur; in quo differt à divisione, quæ ex uno facit duo, aut plura beneficia. *Garc. de Benef. p. 12. c. 4. n. 1. Petr. de Murga eod. tr. g. 5. n. 1.*

Pars IV.

De Suppressione Beneficiorum.

SUMMARIA.

29. Suppressionis definitio. 30. Beneficia supprimere potest S. Pontifex & Episcopus. 31. Qua beneficia supprimenda? 32. Quæ causæ? 33. Quæ sollemnitate opus sit in suppressione? 34. Quis sit finis? 35. Quinam effectus suppressionis?

§. I.

Definitur suppressio, quod sit extinctio beneficiorum, aut reductio præbendarum ad minorem numerum, eò quod redditus tenues sint, & insufficientes.

§. II.

Causa efficiens suppressionis est is, qui beneficia suppressit, ac ad minorem numerum reducit: id quod non solum S. Pontifex, sed & Episcopus ex iusta causa potest. *c. cum accessissent. 8. & ibi Innocent. n. 1. c. ex parte. 12. & ibi Panormit. n. 2. de Constit. Quibus succinit Tridentinum sess. 24. de Reform. c. 15. ubi Episcopis concedit, in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, in quibus frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum Patronorum consensu, si de jure patronatus Laicorum sint, quarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum*

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciores numerum reducere.

§. III.

Materia, seu objectum suppressionis est beneficium, ac præbenda, quæ supprimitur. Ubi adverte extinctionem, & suppressionem beneficii fieri posse, quanquam beneficium à S. Pontifice, vel de ejus auctoritate erectum sit, ut ex adducto Tridentini decreto colligitur *Pax Jordanus tom. 2. de Re benef. lib. 10. tit. 29. n. 9. atque in hunc sensum Garcias de Benef. p. 12. c. 1. n. 4. accipit, c. cum accessissent. 8. de Constit. & ibi Panormit. n. 4. Decium n. 44. quatenus dicunt, dignitatem à S. Pontifice erectam, vel numerum Canonorum ejus auctoritate præfixum, aut confirmatum, per inferiorem minui, aut suppressi posse etiam ex causa; excepta nimirum prædictâ diminutione fructuum ex postfacto superveniente.*

§. IV.

Formam suppressioni tribuit iusta causa, & sollemnitas: utraque enim concurrat, oportet, quando suppressio fit auctoritate ordinariâ, aliâs redditur nulla. *c. ex parte de Constit. Pyr. Corrad. in Prax. benef. lib. 2. c. 8. n. 40.*

Iusta causa est tenuitas reddituum talis, ut persona idonea non possit cum illis vivere, atque perferre, & absolvere omnia onera beneficio annexa. *c. ult. de V. S. ubi Gloss. & DD. Felin. in d. c. cum accessissent. n. 17. & 19. de Constit. Jacob. Pignatell. tom. 8. consult. 30. n. 3. Quamobrem ut præbendæ Cathedralium, aut Collegiatarum insignium ad augmentum distributionum supprimantur, probari debet fructus præbendarum esse ita tenues, ut nequaquam ex illis tertia pars pro distributionibus deduci possit. Trident. sess. 21. de Reform. c. 4. Deinde constet, necessum esse, non posse eis uniri aliquot beneficia simplicia secularia. Trident. sess. 24. de Reform. c. 15. Denique diminutio fructuum debet esse*

esse perpetua. Rota dec. 316. p. 2. *Noviss.* ubi
resolvit, diminutionem contingentem ratione
pctis, tanquam transitoriam, & non perpe-
tuam non suffragari. Certè propter ruinam
Ecclesiæ ex causa inopiæ vix reparabilem be-
neficia supprimenda non sunt sed potius
in matrices, vel alias Ecclesias cum omnibus
oneribus, ac emolumentis transferenda. Trid.
sess. 21. de Reform. c. 7.

33 Pro solennitate exigitur consensus tum Ec-
clesiæ Cathedralis, *Clem. 2. de Reb. Eccles. non
alien.* tum illius Ecclesiæ Collegiæ, in qua
præbenda supprimitur, ut à S. Congregatione
decisum refert Barb. 3. p. *de Offic. & potest.
Episc. alleg. 67.* Petrus de Murga *tr. de Benef.
q. 7. n. 26.* Potest tamen hic consensus Capi-
tuli intervenire post suppressionem, cum in
ejus gratiam postuletur. Gratian. *Discept.
forens. c. 278. n. 3.* Præterea requiritur con-
sensus Patronorum, si præbendæ sint de jure
patronatus Laicorum. Trident. *sess. 24. de
Reform. c. 15.* Panormit. Felin. & alii in c.
cum accessissent. de Constit. ita tamen, ut si sine
causa legitima renuerent, ad consensum præ-
standum à proprio Superiore, veluti à Metro-
politano, compelli possent. Panormitanus
p. 2. *consil. 59. col. 3.* Lambertin. *de Jure
patronat. p. 2. lib. 1. q. 2. art. 16. & 17. no-
ster* Petrus de Murga *cit. q. 7. n. 9.* Aliqui
exposcunt etiam beneplacitum Papæ, asse-
runtque tutius rem geri, si illud impetretur.
Gloss. in d. *cum accessissent. V. confirmatum.*
Butt. *ibid. n. 15.* Jacob. Pignatell. *tom. 8.
consult. 30. n. 5.*

§. V.

34 Finis suppressionis est, ut Ministri Ecclesiæ
redditibus suppressarum præbendarum decen-
ter sustententur, & ad servitium DEI magis
animentur, ut innuit Trident. *d. sess. 24.
de Reform. c. 15. in pr.*

§. VI.

35 Effectus suppressionis est, quod beneficium

ita extinguat, ut totaliter desinat esse benefi-
cium, & ejus redditus ad alios usus Ecclesia-
sticos destinentur.

Pars V. De Pensione.

SUMMARIUM.

36. Pensionis definitio. 37. Divisio. 38. Quis be-
neficiis pensionem imponere possit? 39. Potest im-
poni vel beneficio, vel Beneficiario. 40. An succes-
sor, teneatur solvere pensiones non solutai? 41.
Pensio debet consistere in quantitate. 42. Debet esse
moderata. 43. Et ex justa causa imponi. 44. Af-
firmatur finis. 45. 46. Et effectus pensionis. 47.
Contraria.

§. I.

Definitur pensio, quod sit certa portio
reddituum alicujus beneficii ad tempus
ab eo separata, & alteri à beneficiario præstan-
da. Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 8. c. 5. q. 1.*

§. II.

Dividitur pensio in temporalem, spiritua-
lem, & mediam, seu mixtam. *Temporalis*
dicitur, quæ datur ab Ecclesia propter aliquod
ministerium temporale, sive prælitum, sive
præstandum Ecclesiæ; ut si pensio ex bene-
ficiis, vel decimis præstetur alicui Principi ad
hoc, ut Ecclesiam contra infideles tueatur;
aut Oeconomo negotia Ecclesiastica gerenti,
aut Advocato pro Ecclesia patrocinanti, aut
Procuratori ad lites. *Spiritualis* seu Ecclesia-
stica est, quæ fundatur in ministerio merè spi-
rituali; qualis est, quæ datur Coadjutori Epi-
scopi, vel Vicario, aut Cooperatori Parochi.
Media, seu *mixta* vocatur, quæ Clerico qui-
dem quâ tali conceditur, non tamen propter
spirituale ministerium, sed ob aliam causam;
cujusmodi est ea, quæ datur Clerico inopi,
aut Parocho seni ad vitæ sustentationem; vel
quæ datur ei, qui beneficium resignavit alteri,
reservatâ sibi cum autoritate Superioris pen-
sione: vel ej, qui beneficium suum cum altero

tenore permutavit: vel denique ei, qui lite beneficiaria cedit. Azor. d. c. 9. l. 5. l. 2. de J. & J. c. 34. n. 202. Joan Gaballut. in Jur. Can. Theor. & prax. lib. 5. c. 7. n. 4.

§. III.

38 *Causa efficiens* pensionis est is, qui eam beneficio, aut Beneficiato imponit. Potest autem pensionem imponere imprimis S. Pontifex ex plenissima potestate, quam in beneficiis habet. c. 2. de Præbend. in 6. Deinde etiam Episcopus, non quidem pro libitu, sed ex justa, & rationabili causa, ut cum communi docet Gigas de Pensionib. c. 6. Garc. de Benef. p. 1. c. 5. n. 295. & seqq. qui ibi quoque ostendit, eam potestatem Episcopis nec per Decretum Pauli IV. nec per constitutionem Pii V. de confidentiis nec per non usum, vel contrarium usum ademptum esse, quidquid alii contradicant.

§. IV.

39 *Subiectum* pensionis est vel beneficium, vel Beneficiatus, cui imponitur. Si beneficiato imponatur, ejusdem morte finitur, nec ad Successorem transit. c. nisi. 21. de Præbend. ubi Papa declarat, ob bonum pacis, & concordie potuisse decerni, ut unus ex duobus electis ad eandem dignitatem, habeat dignitatem, & alter annexam pensionem ex redditibus illius solvendam, ita tamen ut talis pensio non debeat solvi nisi dum vivit Beneficiarius gravatus. Secus si pensio sit imposita beneficio, siquidem tunc censetur onus reale in ipso beneficio constitutum, & quasi servitus inherens, consequenter transit cum ipso beneficio, & contra quemlibet possessorem beneficii ob pensionem agi potest per c. veniens 8. de Transact. cum venissent. 6. de Instit. Barb. J. E. U. l. 3. c. 11. n. 93. sive exprimat in pensione, ut successor teneatur, prout frequenter fit, sive non exprimat. Gigas de Pension. q. 3. n. 2. q. 44. & 47.

40 In facto disputatum fuit: utrum Successor

in beneficio pensione gravato pensiones tempore Prædecessoris decursas solvere teneatur?

Affirmat Garc. de Benef. p. 1. c. 5. n. 191. cum innumeris citatis; tum ex juris analogia, quo novus possessor vectigalia temporis antea acti pendere tenetur: l. Imperatores. ff. de Publican. tum quia successor in beneficio debita Prædecessoris præstare tenetur, quæ Prædecessor in utilitatem Ecclesiæ contraxit. c. 1. de Solutionib.

Negant Flam. Parisius de Resignat. Benef. lib. 6. q. 5. n. 19. Faber C. de SS. Ecclesiis. desin. 86. & alii communiter: cum enim ex una parte Pensionarius non habeat jus in beneficio, sed in solis beneficii fructibus; ex altera verò Successor neque jus, neque proprietatem, neque usum fructuum habuerit, qui suam beneficii possessionem præcesserunt, nulla videtur esse ratio, ob quam ad istiusmodi fructuum, ac pensionum reliqua solvenda adstringatur, quamvis ex postfacto beneficium possideat.

Ad jura contraria expedita solutio est: quoniam l. Imperatores. ff. de Publican. loquitur de oneribus merè realibus, pensio autem potius est onus mixtum, partim scilicet personale, partim reale, quod non aliter personam afficit, nisi quatenus possidet. Cap. 1. de Solutionib. scopum non ferit, quandoquidem pensiones non sunt constitutæ pro Ecclesiæ utilitate, sed pro privato Pensionarii commodo, aut indemnitate, adeoque & debitum præteritarum pensionum in utilitatem Ecclesiæ contractum non esse, palam esse.

§. V.

Materia, seu *Objectum* pensionis est certa pecuniarum quantitas, non quota pars fructuum, puta tertia, quarta, vel similis per c. nisi essent. 21. de Præbend. ibi: ut ipse 20. libras de redditibus Capituli, & 40. de Provenibus Prioratus percipiat annuatim; ubi libra non

pondus, sed nummum, seu monetam significat arg. l. fin. §. 2. C. de Appellat. Et quamvis pensio imponatur super fructibus, & emolumentis omnibus beneficii. Gigas de Pensionib. consil. 35. n. 9. Rota dec. 508. sub n. 3. & quod autem. p. 3. Recent. fructus tamen hi, & emolumenta sunt in simplici obligatione, non autem in solutione. Puteus lib. 1. dec. 10. n. 6. Seraph. dec. 1429. n. 5. cum juxta sty- lum curiæ non fiat reservatio pensionis in fructibus, nisi ex magna causa, ut rectè ad- vertit Covar. Var. resol. lib. 1. c. 15. sub. n. 13. & tersio fructibus. sine dubio ideo; ut tollatur occasio discordiarum, quæ ex communione fructuum inter Rectorem, & Pensionarium oriri possent. arg. l. cum. pater 77. §. dulcis- simis. 20. ff. de Legatis. 2.

§. VI.

42 *Pensio* pensiois posita est in moderata portione ex alieno beneficio Ecclesiastico iusta de causa separata. Itaque

I. Ad pensionem legitimè, constituendam requiritur, ut sit moderata, præsertim si ex beneficiis curatis solvi debeat, ne si istorum red- ditus nimium diminuatur, viri docti, & ad illa idonei à cura animarum absterreantur, & à Parochiis ad pingues Canonicatus aspirent. Quamobrem Trident. sess. 24. c. 13. de Re- form. prohibuit, ne Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum verum annum valorem, non excedunt, ullis pensionibus, ac reserva- tionibus fructuum onerentur. Quod tamen juxta morem cuiusque regionis intelligen- dum, monent Cardinales *ibid.* Pari ratione pensionibus gravari non debent dignitates, & Canonicatus, nisi de illa parte reddituum, quæ excedit centum Ducatos. Flam. Parif. de Resignat. benef. lib. 6. q. 2. num. 28. ubi asserit, ita à Sixto V. ordinatum fuisse, Benefi- cio simplici pensio imponi non solet, si ejus

redditus viginti quatuor aureorum summam non excedunt, ut tradit Mandos. tr. de si- gnat. grat. tit. pensiones. col. 4. §. super Pa- rochiali.

II. Requiritur, ut pensio constituatur ex justa causa; qualis est, si in iudicio, vel extra de jure litigioso circa beneficium fuerit trans- actum reservatâ pensione ad bonum pacis: c. de cetero. §. de Transact. c. nisi essent. 21. de Prabend. si beneficium dimittatur ex causa permutationis, retenta pensione ad compen- sandum valorem fructuum dimissi beneficii cum fructibus tenuioribus alterius: c. ad quæst. 6. de Rer. permur. si ex causa senectutis beneficio quis cedat, ut ex Decio & Felino probat Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 8. c. 5. Gigas de Pension. q. 6. n. 3. si Ecclesia indi- geat aliò Ministro præter Rectorem. c. 3. de Offic. Vicar. c. conquærente de Cleric. non resid. item si quis de Ecclesia sit bene meritus. Gigas de Pensionibus d. q. 6. n. 1. si sine ejusmodi causa pensionem obtineas, peccas, licet S. Pontifex tecum dispensaverit, ut docet Less. lib. 2. de F. & F. c. 34. dub. 38. n. 204. ca- que communis est Theologorum sententia, duce S. Thoma 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. ubi eum, qui pecuniam accipit à dispensatore, aut procuratore, quem scit, malè commissam sibi pecuniam dispensare, æquiparat cum eo, qui sine justa causa accipit pensionem Ecclesiasti- cam ex Papæ dispensatione. Imo si ab Episcopo imponatur pensio, justa causa non tantum pro justitia, sed etiam pro validitate desideratur. Garc. de Benef. p. 1. c. 5. n. 314. & si de causa non appareat, præsumitur in fraudem imposta, nec creditur Episcopo asse- renti causam intervenisse. Rebuff. in Praxi benef. tit. de Pacif. n. 109.

Non immeritò dubitatur: an ad pensio- nem beneficio imponendam opus sit consen- su Beneficiati, vel Patroni, si beneficium sit Patronatum? Neutrius consensum necessa- rium

rium esse Pontifici, omnes facile concedunt
arg. c. 2. de Præbend. in 6 omisso tamen con-
sensu beneficiati invalida est pensionis consti-
tutio, tametsi à S. Pontifice facta sit, ut perspi-
cua colligitur ex Regul. Cancell. 45. de Consensu
in resignationib. & pensionib. ubi cavetur, quòd
literæ reservationis, vel assignationis, etiam
motu proprio, cujusvis pensionis annuæ
super alicujus beneficii fructibus expediri non
possint, nisi de consensu illius, qui pensionem
persolvere tunc debet. Nullo verò jure
constitutum reperias, consensum Patroni esse
necessarium, ut Beneficio patronato sive à
Pontifice, sive ab Episcopo pensio imponatur.
Panormit. in c. un. num. 20. h. t. Azor. p. 2.
Instit. moral. lib. 8. c. 8. quæst. 1. Interim
si Patronus cum tempore alimentis indigeret,
quæ unâ cum pensione commodè ex benefi-
cio præstari non possent, pensio sine Patroni
consensu concessa cedere deberet, cum po-
terior sit Patroni causa, quàm Pensionarii: &
S. Pontifex præjudicare non soleat Patronis
præsertim laicis, ne à foundationibus absterrean-
tur, quòd SS. Canones maximè cavent.

§. VII.

¶ Finis pensionis est alimentorum suppedi-
tatio: pensio enim instituta est in gratiam Pen-
sionarii ut cedat pro alimentis, & vicem be-
neficii obtineat; ut prolixè ostendit Lotter.
de Re benef. lib. 1. q. 35. à n. 45.

§. VIII.

¶ Effectus Pensionis alius est ex parte Benefi-
ciati gravati, alius ex parte Pensionarii.

Beneficiatus tenetur pensiones integras
præstare, etiam si fructus beneficii uno vel al-
tero anno deficient: quippe pensiones sunt
onus reale beneficii, neque debentur præcisè
inveniu fructuum, cum nec augeantur, licet
fructus beneficii ubertim crescant, sicque de-
fectus fructuum unius anni per alterius uber-
tatem compensatur arg. c. propter sterilitatem.
3. de Locato, & conduct.

Quotidiana quæstio est: utrum Beneficiatus
sine labe simoniæ pensionem redimere, hoc
est, aliquid dare possit, ut obligatio pensio-
nis per hoc extinguatur? Ubi numerosiq;
manus Theologorum, & Canonistarum di-
stinguit, &

Respondet I. Pensio temporalis, seu laica,
quæ de redditibus Ecclesiæ propter ministere-
rium temporale tribuitur, sive Laico, sive Cle-
rico, potest redimi, atque etiam pretiò vendi
sine simonia. Ita post Sotum & Victoriam
Less. lib. 2. de F. & F. c. 35. dub. 22. n. 123.
ideò, quia postquam talis pensio à spirituali
titulo beneficii legitimâ autoritate separata
est, neque spiritualis est, neque spiritualibus an-
nexa, & per consequens nec materia simoniæ.

Respondet II. Pensio spiritualis, seu Ecclesia-
stica, quæ non nisi Clerico dari potest, & tra-
ditur pro officio spirituali v.g. Concionatoris,
Coadjutoris &c. citra simoniam nec redimi,
nec vendi, aut pretiò commutari potest. Ita
communis DD. teste Lessio d. dub. 22. n. 122.
Sanchez 7. moral. c. 29. n. 8. Suarez tom. 1.
de Relig. lib. 4. de Simon. c. 26. propterea:
quia talis pensio non minùs, quàm beneficium
Ecclesiasticum, in spirituali officio fundata est,
& hoc officium manere debet. Quod si ma-
nente obligatione, spirituali ipsæ temporales
pensiones, seu fructus ad biennium, vel trien-
nium redimerentur, aut ad vitam locarentur,
nihil absurdi esset, ex quo non ipsum jus
pensionis, sed solum fructus redimerentur,
quod in decimis quoque & redditus benefi-
ciorum permistum, cum fructus isti sint merè
temporales, & à titulo spirituali separabiles,
Suarez cit. c. 26. n. 10. Less. d. n. 122.

Respondet III. Pensio media, seu mixta,
quæ nimirum solis Clericis conceditur, non
propter titulum spiritualem, sed propter pau-
peratatem, senium, resignationem, aut compo-
sitionem litis, per se loquendo, & abstrahendo
à constitutione, & usu Ecclesiæ sine simonia

tam redimi, quam vendi potest, cum enim similiter propter causas temporales, & alimenta detur, non apparet, quomodo sit spiritualis: & nec hoc, quod solis personis Ecclesiasticis conferatur, atque clericatus tanquam coeditio, vel dispositio ex parte subjecti desideretur, eam spirituales reddit. Ita Cajetan. tom. I. opusc. 31. resp. 10. & teste Less. loc. cit. n. 124. & 125. passim DD. in Clem. un. §. eadem quoque de Supplend. negl. Pralat. At de Stylo Curia Romanæ venditionem pensionis mixtæ simoniacam reputari, tradit idem Less. n. 129. idque propter obligationem recitandi Officium B. Virginis huic pensioni ex Constitutione Pii V. Et proximo, annexum: quippe cum hæc obligatio sit spiritualis, & nunc per se annexa pensioni temporali, illam reddit spirituales, & materiam simoniæ, ut cum aliis docet Zoësius ad tit. de Simon. n. 47. Eâ tamen ratione non obstante, talem pensionem sine alia auctoritate redimi posse, asseverant Cajetanus, & Suarez ubi supra. Lessius d. n. 129. & alii, quorum agmen ducit Toletus lib. 5. Inst. Sacerdot. c. 92. dummodo non ante resignationem patrum præcesserit de pensione constituta redimenda, & per hoc non tollatur obligatio Officii B. Virginis, ubi prædicta constitutio Pii V. recepta, & usitata est; sine dubio ideò: quia per redemptionem non tam jus ipsum spirituale sic extinguitur, quam fructus anticipatâ solutione venduntur, quod labe simoniæ caret. Zoëf. ad tit. de Simon. n. 48.

Verùm ab hac sententia recedere me faciunt Fagnan. in c. ad audientiam. 31. num. 88. & c. 15. de Rescript. Flam. Paris. de Resigant. Benef. lib. 6. q. 2. n. 128. Rebuff. de Pacific. possess. n. 134 Navarr. consil. 59. n. 1. de Simon. Gigas de Pensionib. q. 45. & 87. cum innumeris citatis, qui ad redemptionem beneficiaræ pensionis duplicem prærequirunt Romana ex Curia sumptam dispensationem,

quæ tamen utraque uno tenore possit ab initio impetrari. Prima est ipsa pensionis constitutio, altera est jus, ac potestas ipsius pensionis extinguendæ; quod jus plerumque conceditur in solutione quinque annatarum, id est, ut pensio v. g. viginti aureorum annuorum redimi possit centum aureorum semel factâ solutione: siquidem quinquies multiplicatus vicenarius numerus pertingit ad centesimum. Interdum tamen Romana Curia assignat sex, septem, aliquando octo annatas, rariùs novem, & rarissimè decem: hæc namque taxatio fieri consuevit secundum præsentem Pensionarii, quæ probanda est, ætatem, quia quò junior est, eò major decurrendarum annatarum numerus præsumitur, & econtra minor, quò senior est, & provecior Pensionarius.

Pensionarius pro rata suæ portionis tenetur ad subsidium charitativum, ad contributiones, & alia onera imposita respectu fructuum beneficii. Garc. de Benef. p. 1. c. 5. n. 171. Navarr. consil. 1. de Escl. adific. & ita in contributione pro Seminario statuit Trident. Sess. 23. de Reform. c. 18. §. ad hanc autem portionem. partim quia qui sentit commodum, sentire etiam debet onus ei annexum per Reg. 77. Jur. in 6. partim verò quia æquò difficilius esset Beneficiato, si proventibus suis, per pensionem diminutis, illis annexum onus nihilominus permaneret. Aliquando tamen solet pensio concedi cum expressa exemptione, ut post alios notat Garc. d. c. 5. n. 127.

§. IX.

Contraria Pensionis sunt modi quibus ea extinguitur. Extinguitur autem I. morte naturali Pensionarii, quemadmodum & usufructus morte usufructuarii, & cætera personales servitutes. §. 3. Instit. de Usufr. II. per professionem Religionis, aut per matrimonium. Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 8. c. 10. q. 1.

SUMMARIUM.

1. Alienationis diversa acceptio. 2. Quid sit alienatio rerum Ecclesiæ. 3. Referuntur jura prohibentia hanc alienationem. 4. Quinam possint alienare res Ecclesiæ. 5. Quæ res dicantur Ecclesiæ? 6. Usque 13. Quæ res vocentur immobiles? 13. usque 17. Quæ mobiles? Et quid juris circa earum alienationem? 17. usque 21. Quæ causa? 21. usque 27. Quæ solennitas requiratur ad alienationem. 27. Quis sit finis? 28. Et seqq. Quis effectus alienationis, Et quatenus ea sit irrita.

NE Dignitates & Beneficia Ecclesiastica intendant, rerum Ecclesiæ alienatio quibusdam in casibus Prælati, ac Beneficiati interdita est, nisi adhibitis certis solennitatibus, & existentibus causis in jure præscriptis.

§. I.

Alienationis vocabulum sumitur vel strictè vel latè. Strictè, & propriè dicta alienatio complectitur omnes contractus, & actus, per quos dominium rei tam directum, quàm utile transfertur; quales sunt *donatio, venditio, permutatio, datio in solutum, institutio, legatum. l. alienationis. 28. l. alienatum. 67. ff. de V. S. l. i. C. de Fundo dotali.* Latè seu impropriè alienatio accipitur pro actu, quo dominium sive directum, sive utile tantum, vel aliud jus in re, aut ad rem saltem absolute quæsitum transit; cujusmodi sunt *feudum, emphyteusis, hypotheca, seu pignus, precaria, locatio ad longum tempus, constitutio usufructus, usus, vel servitutis realis. l. fin. C. de Reb. alienis non alienand. l. 4. §. 2. l. 8. §. 2. ff. de Alienat. judicii mut. causâ facta.* Hæc acceptio est hujus loci juxta *c. nulli. §. h. t. extrav. ambitiosa. Eod. inter Comm. & in ea.*

§. II.

Definitur alienatio rerum Ecclesiæ, quòd & sit dominii, vel alterius cujuscunque juris, quod Ecclesiæ est, in alium translatio.

§. III.

Causa efficiens hujus alienationis est vel re-
mota, vel proxima.

Re-

Eni verò vacet beneficium per adeptionem Episcopatus non tamen pensio, quæ isto casu non venit comprehensa nomine beneficii. III. per consolidationem, si Pensionarius beneficium oneratum adipiscatur, eò quòd res sua nemini serviat. *l. uti frui. ff. Usufruct. quemadmod. caveat. l. tibi fundi. ff. Quemadmod. Usufr. amitt.* IV. per crimen hæresis *c. ad abolendam. de Hæretico læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ c. felicitis. de Pœnis in 6, item si quis percusserit Cardinalem d. c. felicitis. aut Episcopum, in cujus diocesi pensionem habet. Clem. 1. de Pœnis.* V. per spontaneam remissionem: cum enim pensio constituta sit incommodum pensionarij, potest is suo commodo, & juri renunciare. *Azor. d. lib. 8. c. 10. q. 6. Pirching. h. t. n. 21.*

Pars VI.

De oneris impositione.

Per oneris impositionem nil aliud intelligitur, quàm fructuum beneficialium reservatio; de qua potissimum in *c. un. h. t.* ubi Collator beneficii prohibetur ex eo sibi, aut Nepoti, vel alteri cuilibet reservare fructus, seu proventus, vel aliquam eorum partem, aut collationem differre, ut ipse interim percipiat fructus. Imò si eorum pars aliqua exigeretur pro collatione, institutione, aut præsentatione, illæ simoniacæ, & ipso jure nullæ forent *extrav. cum detestabile. 2. §. per electiones. de Simon. inter Comm. & ibi Barb. n. 5.* Attamen si justa causa subsit, veluti si Ecclesia magno ære alieno gravetur, vel alia necessitas urgeat, potest ad tempus ante beneficii collationem pars fructuum reservari. *d. c. un. & ibi Panorm. n. 20. cum quo concordat. c. penult. de V. S. ibi DD.*

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

Remota est jus partim negativum, quo permittitur, partim positivum, quo prohibetur rerum Ecclesiae alienatio. Et verò alienatio rerum Ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosarum sine debita causa, & solennitate prohibetur utroque jure: Civili in l. 21. C. de SS. Eccles. Novel. 7. 46. & 120. Canonico in c. ea enim. 2. §. hoc jus porre-
 Etum causâ. 10. q. 2. ubi referuntur citatae constitutiones civiles: & in c. quisquis. 19. c. Episcopus. 34. non habenti. 50. placuit. 51. c. sine exceptione. 52. & passim causâ. 12. q. 2. c. 1. 7. & 8. de his, qua sunt à Pralat. sine consensu. Cap. c. 1. 5. & 6. X. c. 1. & 2. in 6. Clem. 1. & 2. h. t. extravag. ambitiosa Eod. inter commun. Quibus cum tempore accesserunt Decretum Tridentini sess. 22. c. 11. de Reform. & Constitutiones Apostolicae Leonis X. quae incipit: ad audientiam. 8. Id. Maii. 1517. Julii III. quae incipit: Cum sicut accepimus. 23. Maii. 1552. Pauli IV. quae incipit: Injunctum pridie Id. Julii 1556. Pii V. quae incipit: Et si de singulis 11. Calend. Januarii. 1569. Clementis VIII. quae incipit: Ad Romani. 1592. edita. Item Decretum S. Congregationis jussu Urbani VIII. die 7. Septemb. 1624. promulgatum, cujus tenorem ad verbum refert Barb. J. E. II. lib. 3. c. 30. n. 16.

4 Proxima est is, qui res Ecclesiae alienat, vel liberè, hoc est, sine juris solennitate. Certè sine justa causâ neque ullus Episcopus, neque Abbas, ac ne ipse quidem S. Pontifex rerum Ecclesiae alienandarum potestatem habent, ut inculcant. c. monemus. 18. c. quisquis. 19. c. non liceat Papa. 20. causâ 12. q. 2. Panorm. in c. constitutus. 8. de Religios. domib. n. 15. optimâ ratione: quia bonorum Ecclesiae Domini non sunt, sed solùm Administratores.

§. IV.

5 Materia, seu objectum hujus alienationis constituunt res Ecclesiae immobiles, & mobiles.

¶ Dicitur I. res Ecclesiae: ubi nomine Ecclesiae comprehenduntur quaecunque loca pia auctoritate Episcopi erecta. extravag. ambitiosa. h. t. inter Commun. ibi: locorumque piorum quorumlibet. Panorm. in c. nullibi 5. n. 14. Eod. Felin. in c. de quarta de Praescript. Unde ad bona Ecclesiastica, quae in Sacris Canonibus sine solennitate alienari prohibentur, referuntur I. bona Ecclesiarum, & Monasteriorum, Clem. 1. h. t. & d. extravag. ambitiosa idque verum est, etiamsi bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum principaliter sint destinata ad alimenta Praelatorum Menoch. de arbitr. casu 433. n. 1. Barb. in Collect. ad c. 6. n. 3. & c. 10. n. 2. h. t. II. bona Capellarum, Oratoriorum, & Altarium ritè consecratorum: quia dicuntur, & sunt loca Ecclesiastica. Redoan. de alien. rer. Eccles. q. 49. n. 5. Menoch. de Praesumpt. lib. 6. praef. 79. n. 12. III. Bona Confraternitatum, & Congregationum Laicorum, sicut & Xenodochiorum & Hospitalium pro peregrinis, aut miserabilibus personis recipiendis, alendis, vel curandis auctoritate Ecclesiastica erectorum. Redoan. d. q. 49. Jacob. Pignatel. tom. 4. consult. 21. per tot. Ratio est: quia Ecclesiae & loca pia quoad immunitatem, aliâque privilegia equiparantur, consequenter etiam quoad servandam solennitatem in alienatione bonorum. Panorm. & Redoan. ubi supra.

¶ Dicitur II. Res immobiles, id est unbewegliche Gütter; quae justa causâ exigente, aut suadente ab inferioribus Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum Praelatis, Rectoribus, & Administratoribus alienari quidem possunt, sed non aliter, quam adhibitis Canonice solennitatibus. c. sine exceptione. 52. causâ 12. q. 2. c. 1. 3. & 8. de his, qua sunt à Pralat. d. extravag. ambitiosa. h. t. inter Commun.

Sunt autem res immobiles vel naturaliter, vel civiliter tales. Naturaliter immobiles sunt

sunt I. res soli, ligende Gründe l. ult. & r. t. C. Quando decretò opus non est. l. un. C. de Usucap. transform. ut puta ager. l. ager. 27. ff. de V. S. pratum l. pratum. 31. ff. Eod. fundus. l. 1. ff. de Condict. tritic. fodinæ metallicæ, Bergwerck. l. 3. §. fin. ff. de Reb. cor. qui sub tuel. loca nimirum ex quibus effodiuntur metalla; non verò proventus, vulgò *Musbeut*/ qui ex partibus metallicis percepti sunt, (veluti aurum, argentum, plumbum, ferrum, vel simile metallum) & mobilibus annumerantur, Berlich. p. 3. concl. 35. num. 7. Joach. Hopp. ad Inst. de Reb. incorp. II. Res solo naturâ coherentes: quippe mobile immobili cohærens immobile censetur. l. 40. ff. de Actionib. emp. l. 3. §. 15. ff. de vi, & vi armat. uti arbores solo coherentes, & affixæ. l. si alius fecerit. 7. §. 5. ff. Quod vi, aut clam. Quamvis verò & gramina, aut alii similes fructus pendentes adhuc in fundo, pars fundi, & res immobiles dicantur: l. fructus. 44. ff. de Rei vindic. attamen quando illorum finis spectatur, qui in ipsis à solo separatis cernitur, potius pro rebus mobilibus habentur, ut post Tiracquell. docet Harpp. ad Institut. de Reb. incorp. al. n. 10. Quamobrem nec SS. Canones obstaculo sunt, quò minus Prælati hos fructus pendentes sine solennitate alienare, ac vendere possit. Quod ipsum etiam dicendum de Arboribus cædis, quæ scilicet ad hoc destinatae sunt, ut excidantur. Augustin. Barb. in Collectan. ad Extravag. ambitiosa. num. 27. h. r. Quaranta V. alienatio. n. 33. Sunt enim hæ arbores in beneficii fructu. Pyrr. Cortad. de Dispens. lib. 9. c. 1. num. 16.

Res civiliter immobiles sunt, quæ naturâ moveri possunt, sed ob cohærentiam cum re immobili vel ob aliam rationem à jure pro immobilibus reputantur. Quò pertinent I. mancipia rustica, sive servi glebæ, aut fundo excollendo adscripti, eò quòd fundo perpetuò adherere cogantur. c. nulli. §. h. r. Novel. 7.

KÖNIGIN DECRET. LIB. III.

c. I. II. Ædificia non ad tempus posita. l. 7. §. 10. l. 60. ff. de Acquir. rer. dom. qualia etiam sunt molendina pneumatica, die *Windmüll* len/ & aquatica, die *Wassermüll*len. Hering de Molend. q. 8. n. 30. & seqq. III. Seræ, statux, aut horologia ædibus affixa l. 9. §. 2. ff. Quod vi, aut clam. ut & torcular, seu pressorium, si domui junctum sit. arg. l. 21. ff. de Instrueto, vel instrum. legato IV. Machinæ, & arma bellica ad castrum, ut ibi perpetuò sint, destinata. Peter. Peck. de Testam. Conjug. lib. 5. c. 30. n. 2. Hopp. ad Inst. de reb. corp. & incorp. Matth. Berlich. p. 3. concl. 30. n. 24. V. Pisces propagationis causâ in stagnis, & vivariis in den *Beyern* positi. Bocer. clas. 5. disp. 1. sb. 8. lit. A. Secus si custodiæ tantum gratiâ vel pro quotidiano usu habeantur. VI. Integri greges ovium, armenta boum &c. quæ propter continuam multiplicationem factum immobilibus accensentur, atque ideo à Prælati singula quidem animalia distrahi possunt sine solennitate, non item totus grex. Molina de F. & F. disp. 465. num. 4.

Cæterum meminisse oportet, esse è censu rerum immobilium Ecclesiæ aliquas, quæ non cadunt sub liberæ alienationis prohibitionem; ut I. res exigui valoris, v. g. terrulæ, aut vineolæ exiguæ, & Ecclesiæ minus utiles, quas sine consilio Fratrum, hoc est, Capituli, ac proinde sine solennitate distrahi posse, textus est in c. terrulas. 53. causâ 12. q. 2. cui ex sententia S. Congregationis Cardinalium nec constitutio Pauli II. sive extravag. ambitiosa. nec Decretum Trident. sess. 25. de Reform. c. 11. derogat, teste Fagnano in c. nulli. h. r. n. 25. & multò minus c. ut super. 8. §. fin. h. r. utpote quod loquitur de rebus majoris momenti, quæ tamen videntur minus utiles, non absolute, sed respectu illarum, cum quibus commutari possunt. Quæ autem dicantur terrulæ, vineolæ, & res exigui valoris, Gloss. in d. c. terrulas. V. exiguas. asserit, illas posse

P

- dici exiguas, quæ non valent ultra viginti solidos; sed cum id jure non definiatur, rectius determinatio Judicis prudentiæ, ac arbitrio relinquitur arg. l. 1. §. fin. ff. de Jure delib. Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 51.
- 10 II. Res Ecclesiæ magis onerosæ, quam utiles, v. g. domus in Civitatibus & Castris, quæ majorum sumptuum sunt, quam fructuum. c. non liceat causâ 12. q. 2. Guido Papæ dec. 156. Rebuff. in Compend. alien. rer. Eccles. in fin. item res omnino incertæ. Rota dec. 624. n. 11. p. 1. & dec. 631. n. 3. p. 2. Recent. ut si fortassis sint in manu Tyranni, aut alicujus potentis sine spe recuperationis. Redoan. de alien. rer. Eccles. q. 6. num. 32. & 33.
- 11 III. Res immobiles relicte, vel donatæ Monasterio incapaci retinendi bona etiam in communi, ut sunt Fratres S. Francisci Minorum & Capucini, de quibus mentionem facit Trident. sess. 25. de Regularibus. c. 3. has enim absque solennitate alienari, eorumque pretium in Ecclesiæ necessitatem, & quotidianos usus Monasterii converti posse, docet Piascius in Prax. Episcop. p. 2. c. 5. n. 35. in fin. Fagnan. in d. c. nulli. h. t. n. 28. Quaranta V. alienatio. n. 32. & 41. ideo: quia bona ista Monasterio incapaci relicta non sunt Ecclesiæ incorporata. Clem. exivi. de V. S. & ejusmodi rerum alienatio est necessaria ex necessitate statûs, sive regulæ. c. exiit. §. ad hæc. Eod. in 6.
- 12 IV. Res ab antiquo alienari, puta in feudum aut emphyteusin dari solite, c. ex parte. 2. & ibi Barb. n. 6. de feud. extravag. ambitiosa. h. t. inter commun. Panormit. in c. ut super. 8. n. 11. Eod. Modò nova concessio non alteretur, sed fiat eodem modo, & formâ: Clarus §. Emphyteusis. q. 6. n. 2. Rota dec. 180. n. 9. p. 2. divers. nec res reversa ad Ecclesiam, ejusdem patrimonio denovo incorporata, vel Capitulariter statutum sit, ut deinceps imme-

diatè penes Ecclesiam maneret. Quaranta sit. alienatio rerum Eccles. n. 40. Guido Papæ dec. 54. Molin. tom. 2. de F. & F. dist. 468. n. 19. Quænam autem res ab antiquo in Emphyteusin, feudum, aut usum fructum dari solita dicatur? non conveniunt DD. communiter tamen sententia sustinet, rem Ecclesiasticam, si duobus successivè concessa sit, & interim quadraginta annorum spatium effluerit, jam posse dici ab antiquo alienari solitam, & denud sine nova solennitate ita concedi posse. Clarus cit. §. emphyteusis. q. 6.

Dicebatur III & mobiles; quæ scilicet naturâ, aut jure de loco in locum integræ, & salvæ moveri possunt, vel à se, ut homo, pecus. l. 1. ff. de Edilit. edit. l. 93. ff. de V. S. vel ab alio, ut massa auri, vel argenti: l. 19. ff. de Auro, argent. legat. gemmæ, & annuli: l. 17. ff. Eod. fructus à fundo separati: l. fin. §. 2. ff. de Requir. reis vel absent. damn. annui redditus, quorum dies venit: Gail. 2. observ. 10. n. 3. navis. arg. l. 1. §. 6. & 7. ff. de Vi, & vi arm. l. 10. §. 4. ff. Quod vi, aut clam. ædificia, quæ super terram ad tempus tantum ponuntur, & de loco ad locum transferuntur. l. 18. ff. de Actionib. empt. l. 60. ff. de Acquir. rer. dom. Germanicè nuncupantur bewegliche Güter / fahrende Haab / Fahrnuß / alles was getrieben / oder getragen werden mag. Wehner. Observ. pract. voce fahrende Haab.

Porrò harum rerum alienatio occurrente justâ causâ Prælati & Administratoribus rerum Ecclesiasticarum sine consuetis solennitatibus juris conceditur, præsertim earum, quæ servando servari non possunt, id est, quæ non durant ultra triennium, aut saltem absque notabili deterioratione, vel usu consumuntur, & non fructificant, veluti triticum, vineum, oleum, oves, agni, & cæteri redditus, aut fructus. Barb. in Extravag. ambitiosa. n. 19. h. t. & de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 38. Azor. Instit. moral. tom. 2. lib. 9. c. 1. q. 5. Molin. tom. 2.

de *J. & F. disp.* 465. Excipiuntur res mobili-
 les pretiosæ servando servabiles, ut quæ quo-
 ad solennitatem rebus immobilibus æquipa-
 rantur, & pari passu ambulant juxta *d. Extrag.*
ambrosia. b. t. inter Commun. & l. lex, quæ.
C. de Administ. int. August. Barb. in *Summ.*
Apostol. desif. V. Superior regularis. num. 6.
 Earum autem numero reputantur illæ, quæ
 sunt de thesauro Ecclesiæ, ut torques, gemmæ,
 statuae argenteæ, vasa aurea, & similia orna-
 menta, quæ propter pretium, artem, vel an-
 tiquitatem singularem aliquem splendetem
 conciliant, ita ut absque notabili diminutione
 ornatus distrahi nequeant. P. Engel. *b. t. n. 5.*
 Aloyf. Ricc. *p. 1. prax. aur. resol.* 58. Item
 Bibliotheca Ecclesiæ vel Monasterii. Tam-
 burin. *de Jure Abb. tom. 3. disp.* 13. n. 8. non
 singuli libri, nisi attingant valorem constitu-
 entem rem pretiosam, aut propter antiquita-
 tem, vel aliam similem causam Ecclesiæ, ac
 Monasterio specialem utilitatem, aut splen-
 dorem conferant. Donat. in *Prax. Regul.*
tom. 1. tr. 14. q. 50. Cujus verò valoris res
 mobiles esse debeant, ut pro pretiosis habeantur?
 variant DD. & ipsa Praxis, quæ in una
 Provincia plus, quam in alia: plus Episcopis,
 quam aliis Prælati: & ex his plus uni, quam
 alteri indulgere videtur. Proinde determi-
 nationem Judicis arbitrio committendam cen-
 seo, qui consuetudinem terræ, & temporum,
 locorumque qualitatem, sicut & conditionem
 Ecclesiæ, an inops, aut dives sit, expendit. Pia-
 sec. in *Prax. Episc. p. 2. c. 5. n. 32.* Francisc.
 Leo in *Prax. fori Eccles. c. 15. n. 7.*

15 Illud indagandum: ad quod genus rerum
 reducendæ sint res incorporales: num ad mo-
 biles, an ad his oppositas immobiles? Et verò
 per se, & proprie neque mobiles neque im-
 mobiles sunt, quandoquidem hæc appellatio
 rebus solum corporalibus, & certò locò con-
 clusis convenit utpote quæ solæ motus, &
 quietis proprie capaces sunt, proinde res incor-

porales constituunt potius tertiam, ac separa-
 tam quandam speciem *l. 7. §. 4. ff. de Pecul.*
l. à Divo Pio. 15. §. in venditione. 2. ff. de Re
judic. Si tamen necessum sit, eas ad alterutram
 speciem reducere, per ficticem nem juris pro di-
 versitate materiæ modò ad mobiles, modo
 ad immobiles referuntur. Wehner. in *Obser-*
vat. pract. voce bewegliche Güter. Ita
 enim jus piscandi, venandi, & servitutes, die
 Grund- & Berechtigkeiten inter res immobi-
 les computantur, quia sunt qualitates prædio-
 rum per *l. 14. in pr. ff. de Servitut. l. 4. in pr.*
ff. Si servit. vindic. l. 68. ff. de V. S. Gail. lib.
2. observ. 11. n. 8. Census & redditus annui
 spectant ad res mobiles, si ex mobilibus, ad
 immobiles, si ex immobilibus debeantur arg.
Clem. exivi. §. cùmque annui redditus inter
immobilia censeantur à jure de V. S. Covar.
lib. 3. Var. resol. c. 7. n. 2. §. 2. Berlich. p. 3.
conclus. 3. n. 34. Similiter nomina, & actio-
 nes, si ad res mobiles tendant, mobilibus, si
 ad immobiles, immobilibus accensentur, cùm
 qui ad rem actionem habet, rem ipsam habere
 videatur. Molina de *J. & F. tr. 2. disp.* 68. n. 1.
 Azor. *Inst. mor. p. 2. lib. 9. c. 1. q. 6.* Berlich.
p. 2. concl. 3. n. 8. Gail. 2. observ. 11. num. 9.
 ubi testatur, juxta hanc sententiam in quadam
 causa judicasse Cameram Imperialem. Qua-
 propter si quærat, an, & quando in aliena-
 tione rerum incorporalium Ecclesiæ Cano-
 nicæ solennitates requirantur, materia præ-
 prinis spectanda erit.

Gravior difficultas est circa pecuniam Ec-
 16 clesiæ, aut Monasterii, quibus rebus ea ad-
 numerari debeat?

Panormit. in *c. nulli 11. b. 2. Sylvester V.*
alienatio. q. 8. n. 7. Ricc. *1. p. prax. dec.* 50.
 n. 3. alique pecuniam trahunt ad res mo-
 biles, quæ servando servari non possunt,
 & sine solennitate alienari solent. Quibus
 suffragatur textus & ratio. Textus quidem in
l. si chor. 79. §. 1. ff. de Leg. 3. juxta quam le-

gatis mobilibus debentur nummi etiam præfidiâ causâ repositi, die Spar. Pfeningen: & in *Novel. 22. c. 45.* ibi: *in pecuniis, aut aliis mobilibus rebus.* Ratio verò: quia usus pecuniæ, quantaunque etiam sit, consistit in alienatione, non ut perpetuò includatur aræ, velut inferno, ex quo nulla est redemptio, sed ut expendatur in usus quotidianos, nec reposita fructificat, sed manet otiosa juxta *c. ejiciens, dist. 88.* ibi: *ex pecunia reposita nullum usum capis.*

Tiraquell. *de utroque retract.* §. 1. gloss. 7. n. 106. Barb. *de Offic. & pot. Ep. all.* 95. n. 41. P. Engl. *h. t. n. 7.* cum aliis citatis hanc doctrinam limitant, & saltem pecuniam magnæ quantitatis ad emptionem prædiorum, censuum, aliarumque rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum destinatarum inter res immobiles, aut mobiles pretiosas connumerant, atque ad ejus distractionem præscriptas solennitates exigunt propter textum in *l. quid ergo. 3. §. 6. ff. de contraria tutela, & util. act.* juxta quam Tutor sine decreto Judicis de pecunia pupillari deposita ad comparationem prædiorum sibi solvere non potest: facili argumento, quod pecunia destinata ad emptionem bonorum immobilium intra mobilia pupilli computanda sit, cum Tutor res mobiles pupilli sine decreto Judicis alienare possit. *l. i. ff. de Reb. eor. qui subeunt.* Ratio est: quia destinatum habetur pro re perfecta DD. in *l. 19. §. 11. ff. de Auro & argent. legat.* Barbos. *axiom. juris* 96. n. 5. Neque verò si materiam pecuniæ species, putandum, eam fructuosè conservari non posse, cum maximum patrimonii præsidium sit, quod sine ea fragile est. *d. l. si chorus. 79. §. ff. de Legat. 3.* Quamvis si usum attendas, ad quem destinata est, dicatur de his, quæ servando servari non possunt.

Plerique distinguunt inter pecuniam, quæ ad hunc finem donata, aut à Testatore est relicta,

vel ex re immobili vendita pro alia ejusmodi, aut mobili pretiosa emenda comparata est, & inter eam, quæ ad immobilium emptionem simpliciter & sine voto, aut juramento à Præfato, vel ejus Antecessore destinata est: & illam ad immobiles, aut mobiles pretiosas; istam ad mobiles servando non servabiles referunt, eò quòd nuda, & simplex destinatio pecuniæ ad comparationem rei immobilis, aut mobilis pretiosæ nullam imponat obligationem, aut necessitatem applicandi eam ad hunc usum, neque conditionem pecuniæ mutet. Boërius *dec. 209.* Donat. in *Prax. regul. tom. 1. tr. 14. q. 52.* Vasquez *de Redditib. c. 2. n. 44.*

§. V.

Forma alienationis rerum Ecclesiæ positæ est in dominii, vel alterius cujusunque juris, quod Ecclesiæ est, translatione; quæ ut in rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis servando servabilibus procedat, duo copulative requiruntur, *causa* scilicet, & *solennitas*, nec una sine alia sufficit *c. sine exceptione, & ibi DD. causâ 12. q. 2. c. 1. & 2. h. t. in 6. & Clem. 1. Eod. Dec. consil. 142. n. 4.* Covar. *lib. 2. var. resol. c. 17. n. 2.* Garc. *de Benefic. p. 12. c. 2. n. 3. & seqq.* etiamsi alienatio fiat in aliam Ecclesiam. *Rota decis. 277. n. 11. p. 4. tom. 3. Recens. Barb. in Collectan. DD. ad c. 1. h. t. Ricc. in prax. aur. p. 1. resol. 35.* ubi aliter, hanc esse praxin Curie Romanæ.

Inter *justas causas* alienationis prima est Ecclesiæ *necessitas*, ut si æs alienum, quo gravatur, aliter expungi non possit, quam re immobili, aut mobili pretiosâ distractâ, aut Creditori in solutionem datâ. *c. 2. §. hoc jus potest rectum, causâ 10. q. 2. c. non habenti. c. placent, causâ 12. q. 2.* aut ei ruina, vel damnus imminet aliter inevitabile, vel patiatur defectum sacre suppellectilis, necessariæ ad rem Divinam ritè, decentèque obeundam, ad quam parandam, & ministros alendos fructus, & proventus non sunt sufficientes.

Sylvestre V. alienatio. q. 2. Seraphin. dec. 1490. Donat. som. 1. Prax. Regul. tr. 14. q. 9. n. 2. sine dubio ideo: quia necessitas non subjacet legi, per c. 2. de observat. jejun. & facillitum, quod de jure aliàs licitum non est. c. 4. de R. I.

Secunda causa est Ecclesiæ utilitas evidens, & indubitata, hoc est, talis, quæ conditio Ecclesiæ clarè, & manifestè fit melior. c. sine exceptione. ibi: quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. causa 12. q. 2. c. 1. ibi: præsertim cum evidens necessitas, vel utilitas non subest. h. t. in 6. Rota dec. 65. n. 17. p. 2. divers. & dec. 623. n. 3. p. 1. Recent. Neque verò ad hoc ut alienatio dicatur utilis, sufficit, eam Ecclesiæ non esse damnosam, sed requiritur, ut Ecclesia per eam fiat locupletior per d. c. sine exceptione. causa 12. q. 2. c. 7. h. t. c. 7. §. ne quis. & c. 8. de his, quæ fiunt à Pralat. sine consens. Cap. Novel. 120. c. 9. §. hoc autem. Rota dec. 65. n. 4. p. 2. divers. Cæsar de Panimoll. dec. 54. adnot. 1. n. 16. ubi n. 17. notat, majorem utilitatem attendi ex valore proprietatis rei, redditu, & proventu æquè vicina, æquè commoda, & æquè cauta. Sufficit tamen ab initio utilitas putativa ad effectum sustinendi contractum, ut non dicatur nullus, quamvis ob læsionem Ecclesiæ detur restitutio in integrum. Coccin. decis. 445. n. 5.

19 Tertia est pietas, ob quem ad subsidium pauperum in gravi necessitate, vel ad redemptionem captivorum, vel ad sepulturam fidelium, vel ad templa ædificanda bona Ecclesiæ alienari posse, textus elegans est in c. aurum. 70. causa 12. q. 2. & in l. sancimus. 21. C. de SS. Eccles. Adde, ob hanc causam quoque à Sede Apostolica Imperatori, vel Regibus indulgeri posse, ut tertiam, vel aliam partem bonorum Ecclesiarum in suis ditionibus existentium accipiant in subsidium belli, quod contra Turcas aliòsve infideles gerunt: si enim propter pauperum alimoniam, etiã si propria

suâ culpâ ad paupertatem redacti sint, c. pasc. dist. 88. ac propter redemptionem captivorum etiã sacra vasa frangere & distrahere licet d. c. aurum. multò magis permittendum videtur, vendi bona Ecclesiarum, ne imminenti clade ex Turcarum, vel Hæreticorum armis Christiani ab hostibus fidei cum locorum everfione in captivitatem redigantur; id quod confirmant exempla Pauli III. qui Carolo V. Clementis VII. & Innocentii XI. qui Augustissimo Imperatori LEOPOLDO ejusmodi indulta juxta formam c. adversus. 7. de Immunit. Eccles. concesserunt. Confet. Donatum in Prax. Regul. tom. 1. tr. 14. q. 9. à num. 12.

Quarta causa alienationis est incommoditas, sive inutilitas rei: ut si res Ecclesiæ sit nociva propter crebras impensas, reparationem, custodiam aut periculum: vel si fundus Ecclesiæ sit sterilis, saxosus, aut longè remotus. c. 12. §. hoc jus §. item prædium. causa 10. q. 2. c. non liceat. 20. & c. terrulas. 53. causa 12. q. 2. Verùm quia ejusmodi rerum alienatio redundat in evidentem Ecclesiæ utilitatem, hæc causa continetur sub secunda, sicut & tertia ad causam necessitatis reduci potest. Pirthing h. t. num. 25. in fin.

Porro si nulla ex quatuor his causis urgeat, 20 res Ecclesiæ ne quidem cum consensu Capituli, & auctoritate Superioris alienari possunt, siquidem, ut dictum, copulativè & solennitas, & causa justa ad alienationem desideratur. Quod adèdè verum est, ut etiã alienatio auctoritate, & licentia Pontificis facta ex hoc capite impugnari possit: utut enim licentia alienandi à S. Pontifice obtenta consensus Capituli, & omnes alias solennitates suppleat, eò quòd Papa, sicut independentem de rebus Ecclesiæ disponendi potestatem habet, ita se solo Episcopis, vel aliis Prælatibus Ecclesiasticis alienandi licentiam dare possit, & soleat, Seraphin. dec. 1307. n. 1. Menoch. in

addit. ad lib. 2. de arbit. judic. casu 172. n. 37. nihilominus hæc autoritas, & licentia Papalis non supplet defectum causæ, nec præsumendum est, S. Pontificem unquam licentiam dare velle, rem Ecclesiasticam sine causa à SS. Canonibus approbata alienandi. Rota dec. 178. n. 2. p. 2. divers. dec. 2. de Confirm. util. vel inutil. in nov. dec. 430. n. 5. p. 1. Recent. Redoan. in tr. de Reb. Eccles. non alien. q. 22. n. 75. Probatur autem defectus causæ ex lectura Instrumenti alienationis, in quo causa in specie, & non in genere exprimi debet. Rot. dec. 318. n. 5. p. 5. Recent. & dec. 596. num. 2. p. 4. divers.

21 Solennitas ad alienationis valorem requisita consistit in quatuor, scilicet in tractatu, Capituli consensu, ejusdem subscriptione, & auctoritate, seu consensu Superioris. c. sine exceptione. causa 12. q. 2. Clem. 1. h. t. Extravag. ambitiosa. Eod. inter Comm. & passim alibi. Ita nimirum, ut si alienatio fiat per Episcopum, aut alium Prælatum inferiorem, præter consensum Superioris requiratur tractatus præcedens, & consensus Capituli. c. 1. & 2. h. t. in 6. d. Clem. 1. Eod. si verò fiat per Rectorem Ecclesiæ, quæ Capitulo caret, Rectoris, & Superioris consensus sufficiat. d. Clem. 1. & ibi DD. Panormit. in c. 1. de Dolo. n. 28. Redoan. de Reb. Eccles. non alien. q. 25. num. 41.

22 Tractatus, hoc est, inquisitio, & discussio inter Prælatum, & Capitulum, seu Conventum super justa causa propositæ alienationis, ipsum consensum, & alienationem præcedat, oportet d. c. sine exceptione. ibi: cum totius Cleri tractatu. causa 12. q. 2. & d. c. 1. §. quia etiam h. t. in 6. ubi irrita decernitur perpetua decimarum concessio: quia tractatus solennis, & diligens, qui in talibus concessionibus & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem. Quamvis autem expediat, duos, aut tres tractatus

præmittere, unicus tamen sufficit, per textus statim allegatos, qui loquuntur in numero singulari. Panormit. in c. tua. n. 3. de his, quæ fiunt à Pralat. Molina de F. & F. tom. 2. disp. 468. num. 2.

Consensum Capituli quod attinet, necessarium est, ut vel omnes, vel major, & sanior pars Capituli, aut Conventus, factâ præviâ legitima vocatione, simul, & Capitulariter congregati in alienationem faciendam consentiant. c. 1. & ibi Panormit. num. 5. de his, quæ fiunt à Pralat. Rota dec. 118. n. 3. p. 1. Recent. & Nos plenâ manu supra ad tit. de his, quæ fiunt à major. parte Capit. Verùm hunc consensum Capituli etiam post factam alienationem, præsertim temporalem, intervenire posse, & alienationem, si Capitulum postmodum habito prævio tractatu eam ratam habeat, convalescere, probat Rota dec. 318. n. 4. p. 5. Recent. Panormit. in c. 1. n. 5. de his, quæ fiunt à Pralat. & Molina cit. disp. 468. num. 6. Sed hoc ita, ut alienatio valeat etiam nunc, id est, à tempore ratificationis, non verò ex tunc, quando facta est. Panormit. d. n. 6. §. aut alius non tenuit. Gloss in c. 1. V. tractatus. h. t. in 6. cujus dictum refert Rota d. dec. 318. num. 32.

Subscriptio Capituli, quod in alienationem consentit, solum requiritur in casibus per c. sine exceptione. causa 12. q. 2. expressis, puta in venditione, permutatione, & donatione. Panormit. in d. c. 1. n. 4. de his, quæ fiunt à Pralat. Redoan. de Reb. Eccles. non alien. q. 40. n. 1. Imò hodiernis moribus neque in his memoratis casibus necessaria est, sed sufficit subscriptio Notarii attestantis de tractatu, & consensu majoris partis Capituli, nominibus singulorum Capitularium alienationi consentientium expressis. Rebuff. in Compend. alien. n. 16. Menoch. de Arbitr. in addit. ad casu. 172. n. 4. Ascan. Tamburin. de Jure Abb. tom. 3. disp. 13. p. 4. n. 10. Pirching. h. t. n. 31.

4) Circa consensus Superioris discernendum est jus antiquum à novo. Jure antiquo solum requirebatur consensus Episcopi illius, cui alienans erat subditus per textum in *c. Abbatibus*. 41. *causâ 12. q. 2. ibi: Abbatibus, Presbyteris, ceterisque Ministris de rebus Ecclesiasticis, vel sacro ministerio deditis alienare, vel obligare absque permissis, & subscriptione sui Episcopi nihil liceat: & si ipsemet Episcopus, vel alius Prælatus exemptus ab Episcopali jurisdictione alienare voluit, sufficiebat propria ejusdem auctoritas cum consensu Capituli, neque opus erat autoritate S. Pontificis, vel alterius proximi Superioris, sed id generaliter à Sede Apostolicâ permissum censebatur. c. si ne exceptione. § 2. causâ 12. q. 2. Jure novo vero nemini licet etiam cum causa, & juris solennitate alienare res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas inconsulto Romano Pontifice juxta *extravag. ambitiosa b. t. inter comm.* & alienatio aliter facta invalida est. Gregor. XV. *dec. 52. n. 1. Rota dec. 300. n. 2. p. 4. divers. & dec. 277. n. 2. & 4. p. 4. tom. 2. Recent.* etiam si alienatio fiat in casibus jure permissis, ut ex necessitate aeris alieni, Rota *dec. 203. n. 1. p. 4. divers. vel ex causa utilitatis. Rota dec. 631. n. 1. p. 2. Recent. Duran. dec. 238. n. 27. aut ab una Ecclesiâ in aliam. Otobon. dec. 220. n. 16. Rota dec. 277. n. 10. p. 4. tom. 2. Recent.* At hanc *extravagantem* in istis locis propter difficilem aditum ad S. Pontificem usu receptam non esse, saltem quoad hoc, ut Episcopo subiecti non hujus, sed S. Pontificis assensum requirere teneantur, post Zypœum attestatur P. Engl *b. t. num. 15.**

Præterea hodie quoque in diversis locis inter Episcopos, & Principes sæculares certa quedam concordata præsertim circa rerum Ecclesiasticarum alienationem, exactionem, & executionem inita sunt. Ita inter Rudolphum II. Imperatorem, & Urbanum Episcopum Passaviensium Anno 1592. in Arce

Pragensi intercessit tractatus, & transactio, seu potius amicabile compositio, quâ mediante Austria Prælati Episcopo inferiores, & Administratores Ecclesiastici quoad temporalia præcipuè dependent à Principe terræ, ut proinde etiam illius consensus in causis gravioribus requirendus sit. Eodem modo in Bavaria Anno 1583. inter Albertum & Guilielmum, Bavariæ Duces, & Ordinarios ejusdem Provinciæ certa quedam concordata mediante Nuntio Apostolico cum potestate Legati de Latere ad superiores Germaniæ partes delegato erecta sunt, quorum vigore inter alia in contractibus super rebus Ecclesiarum, seu Monasteriorum celebrandis utriusque Superioris Ordinarii scilicet, & Principis sæcularis consensus tanquam solennitas desideratur. Ad hæc ergo Administratores Ecclesiarum vel maximè attendant, ne se periculo exponant.

Cæterum tractatus, consensus Capituli, 26 vel Episcopi, aliæque solennitates, si fortè de his in instrumento alienationis penitus nulla mentio facta sit, ex diurnitate temporis, nempe 30. aut 40. annorum intervenisse præsumuntur, si cum lapsu temporis concurrat possessio, & observantia contractûs arg. *c. pervenit. 4. de Empt. & vend. Puteus dec. 345. n. 1. lib. 1. Seraphin. dec. 642. n. 3. dec. 671. n. 1. dec. 1174. n. 3. & dec. 1228. n. 1. Buratt. dec. 45. n. 6. Quaranta V. alienatio. n. 46. Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 7.* Quæ tamen præsumptio cessat, si tempus 30. annorum usque ad ultimam horam non sit completum. Rota *dec. 114. n. 11. p. 9. t. 1. Rec.* vel si ex tenore instrumenti reluceat, solennitates non fuisse servatas, vel malè adhibitas, ut si in instrumento enuntiata sit solennitas, sed non integrè descripta. Cavaler. *dec. 613. n. 2. & 3. Coccin. dec. 101. n. 7. Boëtius dec. 115. in fin. Mascard. de Prob. concl. 1140. à n. 25. & concl. 1316. à n. 33. vel si excessum sit in facultate alienandi. Rota dec. 430. n. 3. p. 2. Recent.*

§. VI.

27 *Finis alienationis rerum Ecclesie pro diversa alienationis causa diversus est, ut plurimum tamen res Ecclesie ob illius utilitatem alienantur.* Rota. *dec.* 134. n. 8. & 7. p. 1. *Recent.*

§. VII.

28 *Effectus alienationis rerum Ecclesie alius est, si sit legitima, alius, si illegitima.*

Effectus alienationis legitima est translatio domini, vel alterius juris, quae firma perseverat, nisi Ecclesia notabiliter se laesam probaverit; quo casu non obstantibus adhibitis solennitatibus instar minorum restitutionem in integrum impetrare potest. c. *ad nostram.* 11. h. t. c. 1. & ibi DD. *de in integr. restit.*

29 *Effectus alienationis illegitima est nullitas actus: quoniam si res Ecclesiastica immobilis, vel mobilis preciosa alienata sit, sine legitima causa, & solennitate, alienatio est ipso jure nulla, potestque res alienata una cum fructibus revocari à quibuscunque personis Ecclesiasticis, c. si quis. 6. §. sed etiam h. t. etiam à Successore alienantis. c. Episcopi. 4. & c. ad audiendam. 9. h. t. quin imò ab ipsomet alienante. d. c. si quis. 6. Rota *dec.* 14. n. 3. p. 1. *divers.* non obstante brocardico, quòd proprium suum factum impugnare, eique contravenire nemini liceat per *l. post mortem.* 25. ff. *de Adopt.* ut quod fallit, si actus malè gestus, & ut alienatio, de qua loquimur, ipso jure sit nullus; arg. c. *magna. causa* 22. q. 4. Mantica. *dec.* 111. n. 5. vel si, ut hic, agatur de favore, & jure publico, praesertim Ecclesie. Petr. Barb. in *l. 1. ff. Solutio matrim.* p. 5. n. 15. Planè ab altera parte contrahente nullitas alienationis, si hæc Ecclesie est utilis, allegari nequit: siquidem hoc Ecclesie privilegiū est, ut ipsius favore contractus claudicet, & possit illa ratum habere, quod ab initio nulliter gestum fuit. Puteus *dec.* 302. lib. 1. & *dec.* 343. num. 3. lib. 2. Seraphin. *dec.* 256. n. 2. & *dec.* 278. n. 2. Quaranta in *Summ.**

Bullarii V. alienatio rer. Eccles. num. 34. Castro Palao in *Mor. al.* p. 2. c. 12. §. 4. num. 5.

In factu *quasi* scio: utrū alienatio rei Ecclesiasticae ex defectu solennitatis nec valeat in foro conscientiae, etsi cæteroquin Ecclesie sit utilis?

Alienationem verè utilem Ecclesie, factam sine aliqua solennitate, esse nullam in foro conscientiae, docent Suarez *de legib.* lib. 5. c. 302. num. 6. Sanchez in *Consil. moral.* lib. 4. c. 1. dub. 15. Molin. *tr.* 2. *de F. & F. dist.* 468. n. 14. Covar. 2. *Var. c.* 17. n. 2. & alii; idque ob defectum legitimi consensus, sine quo jure naturae nullus contractus consistere potest: enimverò cum Ecclesia sit persona mystica, nequit præstare consensum, nisi mediante actu, voluntatèque eorum, quibus hunc explicare à jure permittum est, & eò modò, formæque, quibus ei à jure permittum, consensus explicare, & si aliter fiat, sine consensu sufficienti obligaretur Ecclesia. Accedit famosum illud dogma, quòd *lex justa in foro externo, sit etiam justa in foro interno.*

Econtra alienationem non solennem, Ecclesie tamen utilem, esse validam in foro conscientiae, & donec per Judicem fuerit declarata nulla, rem alienatam licitè retineri posse, sustinent Panormit. in c. 1. in fin. *de integr. restit.* & c. *quia plerique* n. 31. *de Immun. Eccles.* Sylvester V. *alienatio.* num. 13. Navar. in *Commentar. de Spol. Cler.* §. 2. n. 6. Azor. *Instit. moral.* p. 2. lib. 9. c. 2. q. 8. Reginald. in *Prax. tom.* 2. lib. 30. *tr.* 3. c. 6. *sect.* 2. n. 69. & 70. aliique ab his relati; qui moventur primò quia contractus initus in utilitatem Ecclesie habet habitualement statum validitatis, quatenus scilicet Ecclesia potest obligare alteram partem ad servandum contractum. Ergo aliquam obligationem naturalem inducit, & in conscientia non est omninò nullus, cum aliòquin nulla partium esset invitè obligata ad standum contractui; quandoquidem com-

tractus nullam obligationem parit. *Secundo*: quia solennitas illa ad præsumendam iustam causam inducta non habet locum in eo foro, in quo est standum veritati, quæ DEO patet. juxta notata in *c. 13. qui & c. tua. de Sponsalib.* maxime cum non videatur fuisse mens S. Pontificis propter solius solennitatis defectum etiam pro foro conscientie actum irritare, & accipientem ante Judicis sententiam ad restitutionem obligare: ubi enim verosimiliter de contraria mente Legislatoris constat, cessat regulare dogma: quod *lex juxta in foro externo sit etiam iuxta in foro interno.* *Tertio*: quia leges annullantes testamentum non solenne non ita ei resistunt, quin propter enixam defuncti voluntatem aliqua sive moralis, sive naturalis saltem inefficax obligatio inde dimanet, quæ hæres institutus bona hæreditaria absque fraude occupata retinere possit, usquedum legitime petantur, & adjudicentur. arg. *l. 2. C. de Fideicommiss. l. non dubium. 16. C. de Testament. Layman in Theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 4.* ergo pari & potiori ratione Canones annullantes alienationem non solennem, ex justa tamen causa factam, ei propter hanc causam relinquunt obligationem aliquam saltem inefficacem, ob quam accipiens in conscientia non teneatur rem restituere, donec legitimâ auctoritate revocetur.

Opinor, posteriorem hanc sententiam practice probabilem, priorem verò tutiorem, & in theoria probabiliorē propter *Extravag. ambitiosa h. t. inter Commun.* ubi non tantum alienans res Ecclesiasticas sine solennitate, sed etiam alienatas recipiens excommunicationem incurrit: quod fieri non posset, si accipiens in conscientia non peccaret.

Denique præter nullitatem actus male alienantes, & accipientes diversis pœnis compescuntur. In *c. nulli 5. in fin. h. t.* male alienantes res Ecclesiarum officii sui amissione

plecti, & ad illi damni refarcitionem compelli jubentur. Imò Episcopi, qui absque necessitate, *c. si quis. 8. causâ 10. q. 2.* Abbates & Clerici, qui absque licentia Episcopati res Ecclesiasticas distrahebant, deponerentur: *c. Abbatibus 41. causâ 12. q. 2.* qui verò res ita distractas & acceptas non restituebant, ipso facto erant excommunicati. *c. Apostolicos. 13. §. quisquis. causâ 12. q. 2.* Hodie, ubi *d. Extravag. ambitiosa h. t. inter comm.* recepta est I. tam alienans, quàm res male alienatas recipiens excommunicatur. II. Episcopo, & Abbati bona suarum Ecclesiarum contra illius tenorem alienanti, ingressus Ecclesiæ interdicuntur, & si sub hoc interdicto sex mensibus manserit, à regimine, & administratione eò ipso suspensus est. III. inferiores Prælati, Commendatarii, & Ecclesiarum Rectores, aliique administratores ultra excommunicationem dignitatibus, officiis & beneficiis quorum bona alienant, privantur, ita ut illa absque ulla declaratione vacare censeantur. Insuper si rem Ecclesiæ accipiens fuerit in mala fide, & sciverit, rem esse Ecclesiæ, non tantum eam restituere tenetur, sed & pretium, quod pro illa solvit, amittit, idque Ecclesiæ applicatur. *l. 14. §. 1. C. de SS. Eccles. canonizatâ in c. nulli 5. h. t.* Sin autem fuerit in bona fide, & ignoraverit rem esse Ecclesiæ, tunc pretium pro ea expositum ab Ecclesia quidem potest repetere, sed in tantum solummodo, in quantum probaverit, eam factam esse locupletiorē: versionem namque in utilitatem Ecclesiæ probare incumbit ei, qui cum Ecclesia contraxit. *Burrat. dec. 418. n. 2. Duran. dec. 256. n. 5.* Pro reliquo ipsum Authorem, id est, venditorem, si privata & propria bona habeat, convenire debet. arg. *l. 33. C. de R. P. Rota in Firmana bonorum. 16. Jan. 1585. coram Litta. & in Placentina evictionis. 8. Maij. 1589. coram Eod.*

Q

TITU-

TITULUS XIV.

De Precariis.

Titulum generalem de alienatione excipiunt speciales de actibus, quibus vel *usus*, vel *custodia*, vel *dominium*, vel aliud *jus in re* transfertur. *Usus* transfertur in *Precariis Precario, & Commodato*.

PARS I.
De Precariis.

SUMMARIA.

1. *Precariarum etymologia.* 2. *Definitio.* 3. *Origo.* 4. *Quinam concedere, & quinam accipere possunt precarias?* 5. *Precaria non nisi in rebus soli constituuntur.* 6. *Qua causa?* 7. *Qua solennitas necessaria sit ad constituendas precarias?* 8. *Quatenus opus quinquenniali renovatione?* 9. *An gratia concedenda?* 10. *Quis finis precariae?* 11. *Qua obligatio concedentis?* 12. *Qua obligatio accipientis?* 13. *Qua accipientis?* 14. *Qualis sit actio inde orta?*

§. I.

1 *Etymologia preciarum ducitur à precibus, vel potius à charta Ecclesiae porrecta, quae precaria vel precatória dicebatur, & rerum Ecclesiasticarum precarias impetrantis postulationem continebat.* Gonzalez. in *cap. 1. n. 5. h. t.*

§. II.

2 *Quod synonymiam attinet, Precaria in numero plurali, & Precaria in numero singulari promiscuè sumuntur, teste P. Engel h. t. n. 3. Quamvis nonnulli in eo discriminant, quòd precaria detur remunerationis causà ad tempus vitæ, nec renovationem desideret: precaria verò transeant ad hæredes, quinto quoque anno renovandæ, juxta vulgares versucylos.*

Ria, Ria, Rium tria sunt, quarum est caput unum:

Ria sunt solita per singula lustra renasci.

Ria fit ad mortem, nec citra vult revocari.

Rium finitur, quando Auctor vult revocare.

Nonnunquam *Precaria* etiam *Præstaria* nuncupantur, scilicet ratione Episcopi, vel Abbatibus præstantis. Gonzalez. *l. cit. n. 4.*

§. III.

Definiuntur Præcaria, quòd sint contractus nominatus, quo alicui fundus, vel alia frugifera Ecclesiae in perpetuum, vel ad dies vitæ, vel aliud longum tempus conceditur, concessio in quinquennium renovandâ. Dessel. *h. r. theor. 1.*

§. IV.

Causa efficiens preciarum est vel remota vel proxima.

Remota est Jus Canonicum; hoc enim jure precarias inventas, & de cætero Jure Civili penitus incognitas esse, nec ullam de his mentionem fieri, tradit Panormit. & communiter DD. in c. 1. h. t. Apparet tamen preciarum vestigium in l. jubemus. 14. §. 5. c. de SS. Eccles. & Novell. 7. in præm. & cap. 4. Novell. 120. c. 2.

Proxima sunt personæ, quæ titulo preciarum res Ecclesiae concedunt, & quæ accipiunt.

Concedere possunt Rectores Ecclesiarum, puta Episcopi, Abbates, & similes per c. sept. 72. causâ 12. q. 2. c. Clerici. 11. c. si Episcopus. 12. causâ 16. q. 3. At nemo, ut concedat, cogi debet, & si Prælato non videatur expedire, potest liberè donationem sub conditione precariæ factam repudiare: quia precaria est contractus, qui non nisi liberâ conventionione utriusque partis perficitur juxta c. 3. & 4. causâ 10. q. 2. Accipere possunt non solum Clerici, aut Monachi, sed etiam Laici, tam privati, quàm Reges, & Principes per d. c. si Episcopus. 12. causâ 16. q. 3. ibi: Clericis, aut Monachis, vel quibuslibet: & d. t. sape. 72. causâ 12. q. 2. ubi et si in littera vulgata Clericorum tantum fiat mentio, in emendatione tamen Gregoriana subduntur illa verba: vel aliarum quarumlibet personarum.

§. V.

§. V.

Materiam, seu objectum Precariorum constitunt possessiones, seu res soli, ac immobilis. c. 2. §. si Oeconomus & c. precaria 4. causa 10. q. 2. c. possessiones 61. causa 16. q. 1. Pirrhing. h. t. n. 10. Et quidem olim res huiusmodi, si eas is ipse, qui precarias rogaverat, Ecclesiae donavit, ad dies vitae; sin autem Ecclesia aliunde comparavit, ad quinquennium, vel aliud certum tempus per precariam concedebantur. Gibalin. lib. 4. de Usurariis. c. 2. art. 6. Gonzalez in c. 1. h. t. n. 9. in fin. Verum hodie hoc rerum discrimen haud observatur, nec precariis alius terminus praescriptus est, quam qui inter dantem, & accipientem convenit.

§. VI.

Forma Precariorum conspicitur in requisitis, quae tria.

I. Requiritur iusta causa; qualis est remuneratio donationis Ecclesiae factae, vel faciendae; ita enim si Ecclesiae agri tui proprietatem reservato usufructu offeras, agri duo, vel unus duplo major, aut melior; si vero agrum tuum Ecclesiae pleno jure dones, agri tres, vel unus triplo major, ac melior in precariam tibi dari possunt. d. c. precaria 4. in pr. causa 10. q. 2. Similiter precarias obtinere poteris ut de factis nihil Ecclesiae donaveris, modo promittas, quod post certum tempus, vel saltem post mortem aliquid de rebus tuis Ecclesiae largiri velis. Gloss. & text. in c. huiusmodi causa 10. q. 2. P. Engel h. t. n. 3. Ubi tamen bene advertit, neque legum, neque DD. auctoritate evinci, quod sit de substantia precariorum, ut praesens remunerationis gratia fiant.

II. Requiritur solennitas illa, quae in rerum immobilium Ecclesiae alienatione desideratur, id est, auctoritas Superioris, & consensus Capituli, sive Conventus juxta Extravag. ambrosiana de Reb. Eccles. non alien. inter communi. siquidem contractus precariorum qua-

dam alienatio est, per quam etsi in accipientem non transeat dominium, ac proprietates rei concessae, transit tamen usus, ac jus ea utendi fruendi quandoque ad longum aliquod tempus, interdum ad dies vitae, nonnunquam etiam in perpetuum. Ita Wagnereck in c. 1. b. t. P. Engel n. 4. Sylvester in V. precaria n. 7. Dissentiunt Bartol. in l. codicillis. §. instituto, n. 4. ff. de Legat. 2. & Bero in c. nulli n. 32. de Reb. Eccles. non alien. quos refert & sequitur Barbof. in Collect. DD. ad c. 2. n. 4. h. t.

III. Requiritur, ut concessio precariorum de quinquennio in quinquennium renovetur. c. precaria. §. causa 10. q. 2. c. 1. h. t. ne temporis tractu ejus memoria obsolescat, & precariam accipiens, vel ejus haeres rem Ecclesiasticam tanquam propriam possideat. c. longinquitate. 64. c. saepe 72. causa 12. q. 2. Atque haec innovatio quinquennalis est de natura huius contractus, & ideo eidem conditio innovandi inesse censetur, quanquam non exprimitur, sed res Ecclesiastica simpliciter sub nomine, & titulo precariae concedatur. Zoësius h. t. n. 2. Nec quempiam turbet textus in d. c. 1. h. t. cujus verba: *Precariae de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur*; quippe sensus horum verborum non est iste, quod haec renovatione opus non sit, nisi ubi peculiaris consuetudo sic obtinet, sed potius ille, quod universalis totius mundi, & à SS. Canonibus approbata consuetudo sit, secundum quam precariae singulis lustris renovari debeant, ut bene interpretatur Hostiensis contra Panorm. in cit. c. 1. n. 2. Illud communiter conclusum est, quod ad huiusmodi renovationem, cum non sit nova concessio, solius Praelati auctoritas sufficiat, nec Capituli consensus sit necessarius arg. c. 2. de Feud. Imola, Laym, & cum his P. Pirrhing. h. t. n. 14. in fin.

IV. Nonnulli ex nominis etymo ad precarias requirunt, ut gratis, vel ad nudas

Q2

pre-

preces accipientis concedantur, & eam ob causam putant in *c. sape* 72. *causa* 12. q. 2. statui, ut accipiens precarias scripto profiteatur, se ad preces accepisse. Jason in *auth. ingressi*. n. 42. *C. de SS. Eccles.* Sed verius crediderim, in precariis etiam annuam pensionem constitui posse, ut puta, si quis molendinum, vel horreum super fundum Ecclesie ædificet, & in recompensationem Ecclesie annuatim aliquot scaphas tritici solvere promittat; quo casu, si in perpetuum contrahatur precaria, vix differt ab emphyteusi, nisi in eo, quod singulis quinquenniis renovatio peti debeat. Panormit. in *c. 1. h. t. n. 3. P. Engel n. 3. Pirthing. n. 13.*

§. VII.

¶ *Finis*, ob quem precariæ inventæ, ac usu receptæ sunt, fuit, vel ut res Ecclesie rapacitate Laicorum occupatæ ad Ecclesiam redirent. Gibalin. *lib. 4. de Usur. c. 2. art. 2.* vel ne illi, qui omnia sua bona Ecclesie contulerunt, postea egestate laborarent. Petr. Gregor. *lib. 23. Syntagm. c. 2. n. 5.*

§. VIII.

¶ *Effectus* precariarum duplex est: alius proximus, alius remotus. *Proximus* est obligatio tum concedentis, tum accipientis precarias.

Concedens obligatur ad præstandum, ac relinquendum liberum rerum precariarum usum, donec constitutum tempus concessionis elapsum sit. *c. fin. in fin. h. t.* Nisi precariæ irrationabiliter, & in detrimentum Ecclesie factæ sint: etenim tunc tam ab ipso concedente, quam à Successore ejus vel per viam nullitatis, si debito solennitates adhibitæ non sint; vel saltem per viam restitutionis in integrum, illico revocari possunt, & debent, neque poena pro firmando tali contractu adjecta tenet, utpote accessoria contractus. *c. 2. & ibi Gloss. h. t. P. Engel n. 3. Pirthing. n. 12.*

¶ *Accipiens obligatur* I. ad res precarias la-

bore suo studiosè excolendas. *d. o. sape* 72. *causa* 12. q. 2. II. ad renovationem concessionis de quinquennio in quinquennium petendam. *c. precaria* 5. *causa* 10. q. 2. *c. 1. h. t.* III. ad res precarias cum suis incrementis finito tempore restituendas. Marculfus *lib. 2. formul. c. 5. n. 4.* Gonzal. in *c. 1. h. t. n. 9.*

Sed quid juris, si accipiens precarias quinquennalem renovationem petere omitat?

Gloss. in *c. 1. V. quinquennium h. t.* autumat, contractum precarium elapso quinquennio, omisæque renovatione tacite renovari, si modò Ecclesia accipientem patiat in possessione permanere, quemadmodum precarium, & locatio tempore transactio ipso jure tacite renovatur, si Dominus non revocaverit. *l. in rebus* 4. §. *fin. cum l. seq. ff. de Precario. l. item quaritur* 13. §. *fin. cum l. seq. ff. Locati.*

Verùm hæc Glossæ sententia communem fert repulsam, & concurs DD. traditio est, quòd accipiens, renovatione intra quinquennium non petita, post quinquennium jus precariæ amittat, ferè sicut Vasallus feudum amittit, si à novo Domino intra tempus legitimum investituram non petierit, quandoquidem hæc renovatio ad instar investituræ ad recognoscendum dominium Ecclesie, & conservandam memoriam concessionis jure introducta est. Panormit. in *c. 1. h. t. n. 5. Gonzalez ibid. n. 10. P. Engel n. 6.*

Exemplum à precario & locatione deductum nihil admodum conclusit: nam cum negotia hæc diversa sint à precaria, ab illis ad istam non rectè fit illatio. arg. *l. Papinianus. 20. ff. de Minorib.* maxime, quia ubi ad actum ultra patientiam aliquid exigitur, uti in precaria renovatio quinquennalis, non sufficit sola patientia, eaque nihil operatur. Barb. in *Collect. ad c. 1. n. 6. h. t. P. Pirthing. n. 14.*

Effectus remotus precariarum est actio, quæ concedens, aut accipiens precarias agit ad

consequendum id, quod ex natura hujus contractus debetur. Qualis autem sit hæc actio, de jure & foro canonico parum inter-est: quia hoc jure (quod etiam praxis sequitur) non est opus actionum nomina specificare, sed satis est, modò materia actionis, sive ipsum jus petendi clarè exprimat. *c. 6. & ibi Panormit. de Judiciis. And. Gail. lib. 1. observ. 61.* Poterit tamen, si lubet, nuncupari actio precariarum instar aliarum actionum ex contractu, quæ regulariter assumunt nomen sui contractus, ut actio commodati, locati, empti, &c. *P. Engel b. t. n. 7.*

Pars II.

De Precario.

SUMMARI A.

18. Precarium quid nominis? 18. Quid rei? 19. An sit verus contractus? 20. Quotuplex? 21. Cujus juris? 22. Quinam concedere, quinam accipere possint? 23. Constituitur in re qualibet. 24. nique. 27. Assignantur requisita Precarii. 28. Ejus finis. 29. Concedenti precarium competit jus revocandi. 30. & interdictum de precario. 31. Accipienti potestas utendi. 32. & possessio naturalis. 33. cum obligatione tamen restituendi.

§. I.

Precarium, de quo in *c. 3. h. t.* agitur, dicitur, quòd ad preces alterius res utenda concedatur. *l. 1. pr. l. 2. §. 3. ff. h. t.* sive preces ab ipso accipiente, sive ab alio ejus nomine factæ sint. *l. 4. §. 2. l. 6. §. 1. ff. Eod.*

§. II.

Sumitur dupliciter: I. pro ipsa re precario data. *l. 1. ff. h. t.* ibi: *Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tam diu, quam diu is, qui concessit, patiatur.* II. pro actu quo res precario datur, in qua acceptione.

§. III.

Definitur precarium, quòd sit actus libe-

ralitatis, quo precibus petenti res gratis utenda conceditur, nullo utendi vel fine, vel modo præscripto. Generis loco stat *actus liberalitatis.* Ubi

Solvenda *questio*: an precarium sit verus, 19 & propriè dictus contractus?

Affirmativæ patrocinantur *Treutl. vol. 1. disp. 24. th. 5. lit. C. Donell. lib. 14. Comment. c. 34.* & alii I. quia in *l. contractus 23. ff. de R. J.* precarium annumeratur contractibus, qui dolum malum duntaxat recipiunt. II. quia ex precario datur actio præscriptis verbis, quæ propria est contractuum innominatorum. *l. 2. §. 2. in fin. l. 19. §. fin. ff. h. t.* III. quia precarium incidit in contractum innominatum *do, ut facias*; videlicet *do tibi rem, ut eam mihi libuerit, eandem restituas.*

Ego cum *Gonzal. in c. 3. h. t. n. 3.* in partem Negantium divertam propter disertum textum in *l. interdictum 14. ff. h. t.* ubi dicitur, precarii nomine nullam civilem actionem dari, quia magis ad donationes, & beneficii causam, quàm ad negotii contracti conditionem spectat. Deinde quia natura contractuum non patitur, ut negotium pendeat ex libera alterius voluntate, sicut accidit in precario. *l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. Commodati junctâ l. 2. §. 2. ff. h. t.*

Nec rationes oppositæ tantæ sunt, ut discessionem imperare possint. Nam in *l. 23. ff. de R. J.* precarium inter contractus refertur ob analogiam, quam habet cum commodato, & ex certo respectu, quòd nimirum in precario similiter, ac in veris contractibus quæstio de dolo, ac culpa locum habere queat. In *d. l. 2. §. 2. & l. 19. §. fin. ff. h. t.* actio præscriptis verbis in precario non venit ex negotio gesto, sed ex bona fide, seu bono & æquo constitutionibus prodita est: plerumque enim id accidit, ait Pomponius in *l. 13. in fin. ff. Commodati, ut extra id, quod ageretur, tacita obligatio nascatur.* Et sanè iniquum foret.

foret, nullam civilem actionem dari ei, qui rem suam roganti precario concesserat. Id, quod additur, precarium incidere in contractum innominatum: *do, ut facias*; nihil evincit, cum nec precario concedere sit *dare*, nec restituere sit *facere*: siquidem *dare* significat dominium transferre, & *facere* est, quid in vicem compensationis pro eo, quod datum est, perficere. *l. 7. §. 2. & ibi Interpp. ff. de Pactis.*

Ceteræ particulae indicant differentias, quæ occurrunt inter precarium, & precariam, commodatum, donationem, ac alios contractus.

§. IV.

20 *Dividitur precarium in simplex, & non simplex.* Simplex vocatur, quo Precariario usus tantum conceditur. *l. 10. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. poss. l. 6. §. 2. ff. h. t.* Non simplex, quo præter usum etiam possessio ex speciali conventionetransfertur. *l. 2. §. 2. l. 4. §. 1. l. 6. §. 3. l. 9. l. 12. pr. l. 15. §. 4. l. 16. l. 17. ff. h. t. l. 22. §. 1. ff. de Noxal. act.*

§. V.

21 *Causa efficiens precarii alia est remota, alia proxima.*

Remota est jus Gentium: nam hoc genus liberalitatis ex jure Gentium descendere, testis est Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

22 *Proxima* sunt, qui precarium constituunt, concedens, & accipiens. *Concedere* precarium potest omnis, qui potest usum rei alteri communicare per *l. 1. ff. h. t.* & non tantum dominus, sed & possessor rei, aut qui jus pignoris in re habet *l. 6. §. fin. l. 7. l. 11. ff. Eod. item fructuarius §. 1. in fin. Inst. de Usu & habit.* Non infans, & furiosus: quoniam voluntate destituuntur. *l. 6. pr. ff. h. t.* Accipere precarium potest omnis, qui potest accipere, etiam pupillus, licet sine tutoris auctoritate precario rogaverit. *l. fin. §. 1. ff. Eod.* Neque, ut impetres, opus est, ut concedens expressis verbis precibus annuat, sed sufficit,

si simpliciter rogatum usum rei permittat, nullam precarii factam mentionem: etenim *habere precario videtur*, qui possessionem vel corporis, vel juris adeptus est ex hac solammodo causa, quod precas adhibuit, & impetravit, ut sibi possidere, aut uti liceat. *l. 2. §. 3. ff. h. t.*

§. VI.

Materia seu objectum precarii est res quæ libet, tam incorporalis, quam corporalis. *l. 2. §. 2. l. 3. l. 15. §. 2. ff. h. t.* tam mobilis, quam immobilis. *l. in rebus 4. ff. l. 2. C. Eod.* Sic si aliquis alterum jure sibi competente, puta, jure venandi, uti permittat, vel de novo jus in re sua ad nutum revocabile constituat, puta ut per fundum suum alteri ire, aut agere liceat, precarium erit. *d. l. 2. §. 3. & l. seq. ff. h. t.* Idem est, si concedas alicui, ut in domo tua commorari, aut equo tuo uti possit. *d. l. in rebus pr.* Excipitur res propria, in qua precarium non consistit. *d. l. in rebus. §. 3.* intellige, quantum ad proprietatem: quantum ad usum enim possessionis seu detentionis subsistere potest; ut si rem meam pignori tibi dedi, & precario rogavi. *l. servè 6. §. fin. l. si debitor. 11. ff. Eod.*

§. VII.

Forma precarii stat in eo, ut in rogantem rei precariæ usus absque modi, & temporis determinatione gratis transferatur, & pro arbitrio concedentis revocari possit. *l. 3. b. t. l. 1. l. 2. §. 2. l. 15. ff. Eod.* Itaque.

I. Requiritur, ne merces interveniat, quia precarium est gratuitum. *d. l. 1. §. 1. l. 2. §. 3. l. 8. §. 3. ff. h. t.* & quandam donationis speciem, scilicet donationem usus continet. Gloss. in *d. l. 1. V. quod genus liberalitatis.* Differt tamen a donatione, quod donans per donationem traditione consummatam rei dominium transferat, ac deponat animum rem recipiendi; at verò, qui precario concedit, dominium rei non transfert, sed so-

form usum, recento animo rem, quando libuerit, recipiendi. *d. l. 1. §. 2. & ibi Eckolt. §. 1.*
 26 II. Requiritur, ut res concedatur ad usum indeterminatum ratione modi, finis, & temporis; quò precarium à precaria, & commodato discrepat, in quibus usus cum certo tempore, modo, & sine præscribitur. Quare si à me librum petis ad describendum, cum hic certus sit usus, & tempus, quo commodè describi possit, tacitè appositum arg. *l. 73. & l. 137. §. 2. ff. de V. O. commodatum*, non precarium erit. P. Pirrhing. *h. t. n. 6.* Addo adhuc alias differentias inter hæc negotia: precarium est actus liberalitatis, precaria & commodatum sunt veri contractus: in precario interdum transfertur rei naturalis possessio, in precaria, & commodato nunquam: In precario præstatur solum dolus, & lata culpa, in precaria autem culpa levis, & in commodato etiam levissima: Precarium pro arbitrio concedentis revocari potest, non precaria, aut commodatum: Qui precario ad tempus rogavit, etiam tempore finito ex tacita domini voluntate precario utitur, secus in precaria, & commodato, ubi tempore elapso res precaria, aut commodata restituenta est: Ex precario nascitur interdictum de precario, ex precaria actio preciarum, & ex commodato actio commodati? Præterea in precarium & commodatum veniunt res mobiles, & immobiles, in precarium tantum immobilis, seu res soli: In precario & commodato nulla necessaria est renovatio, precariæ singulis lustris renovandæ sunt. Confer Gonzalez in *c. 1. sub n. 4. h. t.* Cujacium 23. *observat. 21.* Donell. *lib. 14. cap. 34. lit. A.* Widman *de Contractibus tit. 3. n. 3 & 4.*

27 III. Requiritur, ut precariam concessionem quolibet tempore, pro arbitrio, & beneplacito concedentis revocare liceat. *c. 3. h. t. l. 1. l. 2. §. 2. l. 15. ff. Eod.* Unde apponi solet clausula: *widerrüfflich/ auf Widerruften/ idque*

majoris cautela ergo: nam etiam si non esset apposita, pro expressa haberetur, cum sit de natura precarii. *d. l. 2. §. 2. ibi: natura æquum est &c.* Tabor. in *Barb. locuplet. V. Clausula VI.* Adhæc, quamvis precarium ad tempus rogari & concedi possit *l. 4. §. fin. l. 5. l. 8. §. 7. ff. h. t.* pactum tamen, quo convenitur, ne res precario concessa ante certum tempus revocetur, revocationem pro libitu etiam intra illud tempus faciendam nequaquam impediret, sed tanquam repugnans substantiæ actus haberetur pro non adjecto. *l. cum precarium. l. 2. ff. h. t. Zoël. ibidem n. 3. Gloss. in c. 3. V. precarium. & Panorm. n. 10. & seqq. Eod.* Quòd verò moribus tale pactum sustineatur, contendunt Brunnemann *ad d. l. 12.* & Samuel Strickius *de Cautel. Contract. sect. 2. c. 3. §. 5.*

§. VIII.

Finis precarii est, ut communicato rerum usu communibus vitæ necessitatibus in hac civili societate subveniatur.

§. IX.

Effectus precarii alius est ex parte concedentis, alius ex parte accipientis.

Effectus ex parte concedentis est vel proximus, vel remotus. Proximus consistit in jure revocandi rem precario datam, quando-cunque concedenti, vel ejus successori libuerit. c. 3. h. t. l. 1. pr. l. 2. §. 2. ff. Eod. Quòd tamen in sano sensu, & cum aliquo temperamento temporis intelligendum est per *l. quod dicimus 105. ff. de Solut.* ne frustranea, ac nugatoria sit concessio, & quòd beneficii ac liberalitatis nomen præferret, ad injuriam potius, nocumentumque accipientis detorqueatur contra regulam, quâ *adjuvari nos, non decipi beneficio oportet. l. 17. §. 3. in fin. ff. Commodati.* Panorm. *in d. c. 3. n. 13.* Covar. *Var. resol. lib. 3. c. 15. n. 6.* Menoch. *de A. F. Q. lib. 2. c. 23. in fin.* atq; hinc concedenti, si precariū subito & absq; omni rationabili causa superveniente repetat, exceptio doli

doli objici potest, quod vel voluerit illudere vel nocere. Molina de *F. & F. tr. 2. disp. 298. n. 2.* cum aliis *ibid.* citatis, qui tamen plurimum arbitrio Judicis reliquunt.

30 *Remotus est interdictum de precario*, quod Prætor jubet, ut rem, quam quis ab alio precario habet, salvam & integram eum omni causa reposcenti restituat, aut damnum dolo, vel lata culpa datum resarciat. *l. 2. pr. l. 4. §. 2. l. 8. §. 3. cum seqq. ff. h. t.* cum enim jure Civili, quia precarium speciem potius beneficii, quam conventionis, seu contractus refert, nulla prodita fuisset actio, *l. 14. ff. Eod.* Prætor æquitate motus remedium hoc restitutorium tribuit illi, qui precario concessit, licet non sit dominus, & hujus hæredi, ac successori quoque particulari. *d. l. 8. pr. §. 1. & 2.* Imò non solum hoc interdicto uti possumus, sed etiam *prescriptis verbis actione*, non quidem *ordinaria*, quæ ex contractu innominato descendit, sed *extraordinaria* seu *irregulari*, quæ ex bona fide oritur. *d. l. 2. §. 2. l. 19. §. fin. ff. Eod.* Amplius: si concedens ab accipiente precarium solenniter stipulatus sit, ut redderet, quando repeteret, habet actionem ex stipulatu, cessante precario interdicto, tanquam remedio extraordinario. *l. & habet. 15. §. 3. & ibi Gloss. V. non competit. ff. h. t. Zoël. ibid. n. 6.*

31 *Effectus precarii ex parte accipientis est vel lucrativus, vel onerosus. Lucrativi duo sunt: Primus est potestas utendi re precario concessa l. 1. pr. ff. h. t.* etiam ultra tempus præfixum, si revocata non fuerit. *l. 4. §. fin. ff. eod.* Exspirat tamen hæc potestas I. per revocationem illius, qui concessit: *est enim natura æquum* (infit Ulpianus in *l. 2. §. 2. ff. h. t.*) *tam diu te liberalitate meâ uti, quam diu ego velim.* H. Per mortem ejus, cui concessa est, cum precarium sit species beneficii personalis, & intuitu certæ solummodo personæ datum. *cap. 3. h. t. l. 12. §. 1. & ibi Gothofr. ff.*

Eod. Non item per mortem concedentis, siquidem hæres, si non revocet, censetur continuare precarium ab Antecessore concessum. *d. c. 3. & l. 8. §. 2. ff. Eod.* Nisi defunctus precarium concesserit sub expressis clausulis: *usque ad meum beneplacitum: quam diu voluero. l. 4. ff. Locati.* Gonzalez in *d. c. 3. n. 9. h. t.* quia ultra mortem voluntas durare non videtur. *l. 1. C. de SS. Ecclesiis.*

Alter effectus lucrativus est possessio naturalis, quæ si nominatim precario comprehensa fuit, in accipientem transit, possessione civilis penes concedentem remanente. l. & habet. 15. §. 4. ff. h. t. Atque hoc casu accipienti datur *interdictum uti possidetis*, eoque adversus quoscunque turbantes præter eum, quem rogavit, uti potest: *l. qui precario 17. ff. Eod.* & si concedens rem suam propria auctoritate invadat, incidit in vitium violentiæ, & dejectus contra eum quoque habet *interdictum unde vi*, ut quilibet justus, sive injustus possessor. *l. 1. §. 9. & 30. l. 12. ff. de Vi & vi arm. Gonzalez in c. 3. h. t. n. 6.* Porro si accipiens solum rogaverit, ut sibi in possessione esse liceat, aut precarium simpliciter constitutum sit, nec naturalis possessio transfertur, sed remanet penes concedentem, qui rem possidet suo animo, & alterius corpore, ut commodans per commodatarium. *l. 2. §. 3. l. 6. §. 2. l. 21. ff. b. r. Gonzal. ubi supra n. 4.*

*Effectus onerosus est obligatio restituendi rem precariam ad libitum concedentis, ita ut ante intentatum interdictum de precario in restitutionem veniant dolus, & culpa lata duntaxat, post editum verò interdictum, hoc est, post litem contestatam, etiam culpa levis cum omni causa, seu interesse actoris, ne precario accipiens suâ morâ obesse possit concedenti. l. quasi sum. 8. §. 3. 4. & 6. ff. h. t. Zoël. ibid. n. 4. Jo. Copen. in *Uso pract. Inst. lib. 2. observ. 11. n. 7. in fin.* Neque obstat, quod alias in contractu, qui primario cedit in*

commodum solius accipientis, accipiens quoque de culpa levissima teneatur. l. 5. §. 2. ff. Commodati. quia precarium non est contractus proprie dictus, & cum ex sola voluntate concedentis dependeat, ac omni momento revocari possit, Jura accipientem ad ordinariam, & exactam custodiam adstringere noluerunt, utpote satis gravatum per restitutionem ad alterius arbitrium faciendam. Deinde sibi imputet concedens, quod homini negligenti rem precario concesserit, vel, cum posset, citius non revocaverit. P. Pirhing. h. t. n. 4. Widman de Contract. tit. 3. num. 4.

TITULUS XV.

De Commodato.

SUMMARIA.

1. 2. Commodatum quid nominis? 3. Quid rei? 4. Quae origo? 5. Quinam commodare? 6. Quinam commodatum accipere possint? 7. 8. 9. Quae res possint commodari? 10. usque 15. Quomodo commodatum differat ab aliis contractibus? 15. Quis sit finis commodati? 16. 17. 18. Quae sit obligatio commodantis? 19. usque 25. Quae commodatarii? 25. Quae alio ex commodato competat?

§. I.

Commodati vocabulum origine latinum est, & derivatur à verbo commodare, quod germanice leyhen significat. Lauterbach ad ff. h. t. num. 1. Quamquam verbum leyhen latius pateat, & etiam precarium, mutuum, locationem, & subinde oppignorationem, imò emptionem, & venditionem designet. Welner in Pract. obseru. sub V. leyhen.

§. II.

Accipitur commodatum I. pro re commodata; unde dicitur, commodatum accipere, reddere, restituere. l. 3. §. 3. l. 5. pr. & §. 13. ff. l. fin. C. h. t. II. Et hic accipitur pro contractu §. 2. Inst. quib. mod. re contrah. obl.

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

§. III.

Definitur commodatum, quod sit contractus realis, bonae fidei, quo res ad certum usum gratis conceditur, eâ lege, ut finito illo usu res eadem in specie restituatur. Glossa in c. un. h. t. V. Commodatum.

§. IV.

Causa efficiens commodati est vel remota, 4 vel proxima;

Remota est jus gentium, è quo omnes pene contractus orti sunt, paucis exceptis, quos Jus Civile introduxit. §. 2. Inst. de J. N. G. & C. l. 5. ff. de J. & J.

Proxima est commodans, & commodatarius. Commodare possunt omnes, & soli, qui contrahere. Quare commodare nequeunt, impubes sine tutoris auctoritate per l. i. §. impuberes 2. ff. h. t. Religiosus sine consensu sui Superioris, in cuius voluntatem suam transtulit voluntatem per c. Religiosus de Testam. in 6. c. non dicatis causa 12. q. 1. item nec uxor res viri sui, nisi ex praesumpta ejusdem licentia. Quod si commodaverit infans & invito Marito, & res per illam commodata perierit, tenetur eam compensare in dote. l. si constante 24. §. si uxor. 6. ff. Solutio matrimonii. & Maritus ipse potest immediate eandem rem, si non perierit, revocare, licet tempus, ad quod per uxorem commodata est, necdum elapsum sit. Menoch. de Arbitr. judic. lib. 2. c. 15. Commodatum accipere 5

possunt omnes illi, qui ex contractu possunt saltem naturaliter obligari per l. 2. & 3. ff. h. t. Azor. Inst. moral. p. 3. lib. 7. c. 3. in fin. Quapropter quamvis pupilli commodare nequeant, possunt tamen commodatum accipere: ex quo Minores, & pupilli sine auctoritate Tutorum, aut Consensu Curatorum, contrahere possunt in iis, quae cedunt in propriam eorundem utilitatem. prin. Inst. de Auctorit. Tutorum.

R.

§. V.

§. V.

7 *Materia, seu objectum commodati sunt res tam mobiles, quam immobiles, l. 1. §. 1. ff. inter commodatum ff. h. t. & non solum corporeæ, sed etiam incorporeæ, cujusmodi sunt jura, servitutes, pensiones, & redditus annui. §. 1. Inst. de Usu & habit. d. l. 1. §. 1. in fin. & ibi Bartol. ff. h. t. Gloss. in c. un. Eod. item res profanæ, & sacrae, dummodò res sacrae non commodentur ad usus profanos. Azor. Instit. moral. p. 3. lib. 7. c. 4. q. 3.*

8 *Dubatur I. An res quoque fungibiles, & quæ per ipsum usum consumuntur, veluti pecunia, vinum, frumentum &c. commodari valeant? Affirmo, posse commodari ad pompam, & ostentationem jùm Gepränge; ut si quis commodatò accipiat pecuniam, non ut consumat, sed ut aliis dives appareat: vel dicis gratiâ, hoc est in speciem, ut dici saltem queat, rem ita gestam esse, ut si creditor debitorem liberare volens, commodaret illi pecuniam, ad hoc, ut sic eadem solvatur. l. 3. §. fin. & l. seqq. ff. h. t. & ibi Frantz. n. 15. Schneidew. ad §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. Bronchorst. ad l. 16. ff. de R. F. Negò, quòd verè commodari possint: quia illæ tantùm res verè commodari possunt, quæ post usum salva manent, ita ut in eadem specie, seu in individuo, eben dieselbe reddi queant; d. §. 2. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. quales non sunt res fungibiles, cum earum usus in abusu, atque consumptione consistat. d. l. 3. §. fin. Cöppen lib. 2. observ. 9. num. 4.*

9 *Dubatur II. Num & res aliena validè in commodati contractum veniant? Quod affirmandum propter l. 15. & 16. ff. h. t. ubi furibus, prædonibus, aliisque iniquis rei alienæ possessoribus actio commodati tribuitur, ad hunc scilicet effectum, ut eâ commodatarius compellatur ad rem commodatam, licet aliena sit, restituendam: hæc siquidem bona fides est, ut rem commissam recipiat is, qui*

dedit: & si res deposita, quamvis male quaesita, si dominus ad repetendam eam non concurrat, furi atque prædoni restitui debet, nulla ratio est, cur in contractu commodati, qui similiter bonæ fidei est, diversum obtineat. l. bona fides. §. 1. ff. Depositi. Brunnenian. ad l. 15. ff. h. t. Faber in rationabili ad l. 16. ff. eod. Bachov. ad Treutler. vol. 1. disp. 24. tit. 1. lit. C. Neque obstat, quòd commodatum species quædam beneficii esse dicatur, l. 17. §. 3. ff. h. t. ex alieno verò si quis aliquid largiatur, furem committat, l. 74. §. 1. ff. de furtis. & ex improbitate sua nemo sibi actionem furti acquirat, l. 12. §. 1. ff. Eod. atque adeò concludendum esse videatur, furem, aut prædonem multò minus commodati actionem, quæ bonæ fidei est, occasione suæ malitiæ acquirere, rei aliena usum aliis iterum concedendo; quoniam fur, aut prædo, si causam actionis commodati proximam, & immediatam respiciat, ex contractu bonæ fidei inito, nequaquam verò ex improbitate sua actionem consequitur, hoc est, non ideo rem ad usum alicui concessam sibi restitui desiderat, quòd eandem rapuerit, sed ideo, quòd commodaverit, & usus elapso fore præfinito tempore extinctus sit.

§. VI.

Forma commodati consistit in traditione rei ad usum gratuitum, ac certum, & sub lege eam reddendi in eadem specie facta. Ut utique commodatum videatur contractum.

Requiritur I. Ut res tradatur: siquidem commodatum est è censu contractuum realium, qui sine interventu rei non perficiuntur: & ideo si tantùm convenit de libro, aliave re ad usum concedenda, non commodatum, sed vel stipulatio, vel nudum pactum in initum intelligitur.

II. Requiritur, ut res deur usûs gratiâ: per hæc enim commodatum differt à deposito, & pignore, in quibus res non datur ad usum.

Dein.

Dante à mutuo, in quo non solum usus, sed & dominium rei mutuatae in accipientem transfertur, & ob id res mutuata quolibet casu fortuito accipienti perit. §. *item is. & ibi Interpp.* Inst. *Quib. mod. re contr. oblig.*

12. III. Requiritur, ut usus, ad quem res commodatur, sit gratuitus: nam si certa merces initio constituitur pro usu rei, non est commodatum, in quo culpa levissima, sed locatio, in qua solum lata, & levis culpa praestanda est. d. §. *item is. 2. in fin.* Sin usus rei conceditur pro ea mercede, quae postea constituetur, vel pro tali re, quae non potest habere rationem mercedis, est contractus innominatus, in quo poenitere licet. §. 1. & 2. Inst. de Locat. & Conduct. l. 5. §. 12. ff. b. t. In dubio, ubi de substantialibus unius, vel alterius contractus non liquet, sed praecise dicitur, dasi er dem andern sein Werk gelihen (quod utrumque contractum vel commodatum, vel locationem designare potest) potius praesumitur pro locatione, quam pro commodato, praesertim in hominibus plebeis, qui raro aliquid gratis, aut ex mera benevolentia praestant, ubi lucellum habere possunt: & hinc est, quod dicitur, donationem nunquam praesumi, quoties alia conjectura capi potest, ex quo nemo praesumitur jactare suum. l. cum de in dubio 25. ff. de Probat. Caspar. Schmid ad Jus Bavar. tom. 2. tit. 17. art. 2. n. 3. Plane honorarium, quod non tanquam merces in compensationem usus, sed tantum in gratissimi declarationem datur, aut promittitur, non mutat naturam commodati, sicut nec alterius cujuslibet contractus gratuiti, arg. l. 2. §. 24. ff. de Vi bonor. rapior. l. 6. pr. ff. Mandati. Lauterb. ad ff. b. t. num. 12.

13. IV. Requiritur, ut ille usus sit certus, ac determinatus, tempore vel expressè, vel tacite à commodante designato: l. 5. §. 8. l. 17.

§. 3. ff. b. t. Quare si simpliciter usum rei meae alteri concessero, non commodatum, sed precarium erit, quod quidem gratis quoque datur, sed non ad certum usum, cum natura sua pro lubitu concedentis sit revocabile per l. 1. l. 2. §. 2. l. 12. ff. de Precar. junctâ d. l. 17. §. 3. ff. b. t. Confer, quae diximus in preced. num. 26.

V. Ut res tradatur sub lege, eam finito usu restituendi in specie juridica, hoc est, in eodem individuo logico: etenim si conveniretur de alia re reddenda, non esset contractus commodati, sed vel mutui, vel permutationis, vel alius contractus innominatus. DD. in §. *item is. 3. Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* Rursus, si commodans rem aestimato det commodatario, & hic rem aestimato suscipiat, commodatum non erit, eo quod aestimatione res quasi vendatur, l. plerumque 10. §. 5. in fin. ff. de Fure dor. Putem tamen, in dubio aestimationem plus non operari, quam ut certum sit, quid suo tempore reddendum, si res ipsa culpa accipientis perierit, aut notabiliter deteriorata sit. Zoëli. ad ff. b. t. num. 10. Molin. de F. & J. disp. 29. num. 10.

§. VII.

Finis commodati est commodum, & utilitas Commodatarii; qua de causa nonnullis commodatum quasi commodo datum dicitur.

§. VIII.

Effectus commodati est vel proximus, vel remotus. Proximus est obligatio tum Commodantis, tum Commodatarii.

Commodans obligatur I. ad rem intempestive, id est, ante tempus, vel usum finitum non revocandam: cum non decipi nos beneficiò oporteat, sed juvari. c. un. b. t. l. 17. §. 3. ff. Eod. II. Ad reparanda damna illata dolò, aut culpa lata, ut si sciens rem fortè vitiosam commodavit. l. 18. §. 3. l. pen. ff. b. t. junctâ l. 8. §. eum, qui ff. de Precar. & l. ma-

magna 226. ff. de V. S. III. Ad refundendas expensas in rem commodatam à Commodatario factas; intellige, si extraordinariae sint, & graves: nam ordinarias, quæ ad cuiusque rei naturam requiruntur, & sine quibus rei usus haberi non potest, ad Commodatarium pertinent, nec à Commodante repeti possent. *d. l. 18. §. 2. ff. h. t.*

17 Non levis DD. pugna est: an liceat commodanti, si fortè post contractum commodatum emergeret casus improvisus, inducturus illum in grave discrimen, nisi commodatum revocet, rem commodatam ante expletum tempus revocare ad subveniendum propriae indigentiae?

Commodatum in ea etiam hypothese revocari posse, cum pluribus negat Navar. in *Man. c. 17. n. 282.* motus primo vulgaribus juris regulis: quod semel placuit, amplius displicere non potest. *c. 21. de R. F. in 6. & mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. c. 33. Eod.* Secundo quia in contractibus nominatis, iis completis, non datur amplius locus penitentiae, ut in terminis de commodato habetur in *d. l. 17. §. 3. ff. h. t.* Tertio quia donatio, & res donata emergente casu improvise revocari non potest; ergo nec commodatum, ac res commodata, cum commodatum sit donatio usus, & quaedam species beneficii juxta *cir. l. 17. §. 3.*

Affirmant e contra Less. *lib. 2. de F. & F. c. 27. n. 18.* Layman in *Theol. mor. lib. 3. tr. 4. c. 14. n. 3.* & novissimè Caspar. Schmid *ad Jus Bavar. tit. 17. art. 1. n. 7.* idèo: quia commodans saltem implicitè commodasse praesumitur ad illud tempus, illumque usum sub ea conditione, nisi sibi superveniat ex inopinato casu vel major, vel saltem aequalis necessitas: ut ut enim per gratuitum hunc contractum Amici sui commodum ad tempus promovere intenderit, non tamen verisimile est, quòd illud facere voluerit cum detrimento suo in-

sperato, cum quilibet sibi ipsi sit proximus, & ordinata charitas à se ipsa initium sumat. Alii id probant argumento ducto à Locatore: Locator, inquit, potest ob superveniens improvisam necessitatem revocare locationem, & rem locatam ante finitum locationis tempus. *l. edem 3. C. de Locato & conducto.* ergo etiam, & multò magis Commodator commodatum, & rem commodatam, ex quo locatio est contractus onerosus, commodatum autem gratuitus, qui facilius, quam onerosus revocari potest. Verùm probatio hæc nihil admodum concludit, quandoquidem facultas revocandi locationem non competit ex natura contractus, sed ex speciali privilegio legis, quod est strictæ interpretationis, cum tendat in præjudicium tertii, nempe Commodatarii, qui ante expletum tempus privatur usu rei commodatæ. Ergo non debet ab uno contractu extendi ad alterum.

Ego posteriori opinioni, quippe aequitati naturali maximè consentaneæ, adhæreo, nec ab ea oppositis rationibus dimoveor. Nam quod allegatas Juris regulas atinet; nego, quòd superveniente necessitate commodanti displiceat, quod semel placuit, aut quòd consilium mutet in alterius detrimentum: quoniam semper præsumitur, eum beneficium præstitisse sub tacita conditione, nisi major, vel aequalis necessitas supervenerit. Altera pene eandem responsionem meretur. Ad veritatem disparitas est, quòd per donationem in Donatarium transeat dominium, in commodatarium solus usus; *l. 8. ff. h. t.* facilius autem revocatur usus, quàm dominium.

Huc subungi potest & illa quaestio: utrum Commodans rem commodatam revocare possit, si tempus, quod usui expressè, vel tacitè præfinitum, elapsum sit, Commodarius verbò re commodatà intra illud citra suam culpam uti non potuerit?

Rationem dubitandi movet Panormit. in

com. n. 7. b. r. quia ex textu habetur, quod casus fortuitus non noceat Commodatario, & Dominus rei commodatae deberet esse contentus, si eam omnino non reciperet; ergo multo magis contentus esse debet, si serius, quam conventum est, citra culpam tamen Commodatarii, rem suam recipiat.

Veruntamen contraria sententia Bartoli in *l. in commodato. 17. §. sicut 3. ff. h. t.* communiter recepta est: eò quod concessa ad tempus tempore elapso extinguantur: & quod permittum est ad terminum determinatum, postea censetur negatum. *Mozz. rubr. quomodotoll. commod. n. 6.* Caspar Schmid *ad Jus Bavar. tom. 2. tit. 17. art. 1. n. 8.* Deinde quia Commodatarius non habet jus utendi re commodata, nisi ad modum, & normam præscriptam à Commodante, cui sicuti liberum est commodare, vel non commodare quoad substantiam, ita etiam liberum est, commodare quoad modum, ita ut commodatum non subsistat, nisi quoad modum præscriptum: *l. 17. §. 3. ff. h. t.* Ad hæc impedimentum Commodatarii non prorogat consensum Commodantis ad certum tempus restrictum, nec potest eum ad aliud obligare, ac ad illud, ad quod sponte per consensum se obligavit. Accedit, quod Commodans certet de damno vitando, Commodatarius autem de lucro captando; explorati autem juris est, prioris conditionem semper meliorem esse. *arg. l. verum 11. §. item queritur 6. ff. de Minorib.*

Unde facillè solvitur ratio dubitandi: etenim verum est, quod si res casu fortuito pereat, Commodans interitum rei ferre debeat, ex quo res quælibet perit suo Domino; at ratio ne moræ, & temporis, ne Commodans re suâ longo tempore præter intentionem carere debeat, & quia certat de damno vitando, contra Commodatarius de lucro captando, huic potius, quam illi casus imputari, & nocere de-

bet. Quod facit textus in *l. ex conducto. 15. §. item 6. ff. Locati.*

Commodatarii obligatio itidem multiplex est. I. Tenetur re uti ad illum usum, ad quem à Commodante concessa est. Sin ad alium usum convertat, veluti si equum commodatum ad equitandum applicet ad vehendum, furtum committit, non quidem rei commodatae, sed usûs ejus. *l. 5. §. 8. ff. h. t. §. furtum autem. 6. Inst. de Oblig. qua ex delict.* Cessabit tamen furtum usûs, si Commodatarius ex probabili quadam causa permotus putet, se voluntate Domini re aliter, vel diutius uti posse: ex quo furtum sine affectu furandi, atque volente Domino haud admittitur. *d. l. 5. §. 8. ff. h. t. l. 76. ff. de Furt. Men. de Arbitr. jud. lib. 2. cas. 298.*

II. Commodatarius rem sibi commedatam non modò eadem diligentia, quâ res proprias, sed etiam majori custodire, & conservare debet. *§. item 10. 2. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. l. sicut certo. 5. §. 4. ff. h. t. Ubi*

Quæres I. Ad qualem culpam teneatur Commodatarius, si res commodata interiit, aut deteriorata est? *R.* Referre, utrùm res gratiâ Commodantis, gratiâ Commodatarii, vel gratiâ utriusque commodata sit? *Primo casu,* ubi res est commodata *Commodantis causâ* v. g. si sponsæ, vel uxori tuæ, quò cultior ad te deduceretur, ornamenta, vel famulo tuo ut honestius te comitetur, vestes, vel Jurisperito causæ tuæ patrocinium suscipienti, vel responsum concipienti libros commodasti, Commodatarius nonnisi de dolo, & quæ in obligationibus ex contractu dolo æquiparatur, de lata culpa tenetur. *l. 5. §. 10. l. 10. §. 1. l. 12. pr. ff. h. t. l. 1. §. 5. de O. & A.* Ratio consistit in æquitate, cui ex parte commodantis adversatur, majorem velle exigere diligentiam ab eo, qui gratis officium suum impertitur, ex parte verò Commodatarii, nolle præstare

culpam latam, quæ tamen citra præsumptionem doli non admittitur. l. 29. pr. ff. *Mandati*. Molin. *tr. de F. & F. disp. 295. n. 1.* Idem descendum, si Commodans ultro, & non rogatus commodatorem se offerat per l. 5. §. 10. ff. *h. t. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 9. tit. 2. n. 5. & 7.* Secundo casu, si res Commodatarii causa, ut plerumque solet, commodata sit, iste non solum obligabitur ex lata, & levi, sed etiam levissimâ culpâ c. *un. h. t. l. 2. §. 2. h. 18. pr. ff. h. t. l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* Ratio est: quia æquitati naturali repugnat, ut damnum quodcumque inferatur Commodanti, qui gratuitum Commodatario exhibet officium. Neque obstat §. *itemis. Instit. quib. mod. re contr. oblig.* qui in Commodatario solummodo requirit exactam diligentiam, cujus ommissio culpa levis est, non levissima: siquidem ibi positivus ponitur pro superlativo, quod in jure frequens, eum patet ex l. 21. c. *Mandati. l. 5. §. 5. ff. h. t. l. 15. §. 16. ff. Famil. ercisc.* Casu tertio, quando res communi, seu utriusque gratiâ commodata est, v. g. si quis alicui communem amicum ad cœnam invitanti argentea vasa, vel si mercator socio in communio negotio occupato equum commodaverit, Commodatarius culpam duntaxat latam, & levem, non etiam levissimam præstabit. l. 18. pr. *et si utriusque. ff. h. t.* Ratio iterum in æquitate consistit: cum enim quod gratiâ utriusque datur, minus beneficium sit eo, quod datur gratiâ solius Commodantis, ad minorem illo, quàm isto casu diligentiam obligatur, consequenter non ad exactissimam, cujus solius ommissio culpam levissimam constituit. Gomez 2. *Var. resol. 7. n. 3.* Mantic. *d. lib. 9. tit. 2. n. 4.* Confer. etiam, quæ supra de Pact. n. 56 & seqq. tradidimus.

21 *Quæres II.* Utrum Commodatarius de casu quoque fortuito, ut si res incendio, naufragio, vel hostium incursum pereat, teneatur? Et quoniam casus fortuitus in nullo contractu

præstatur. l. 23. ff. de R. F. & l. 6. c. de Pignorat. act. & quotiescunque res aliena perit apud alterum casu fortuito, toties perit tuo Domino. d. l. 23. ff. de R. F. & l. 9. c. de Pignorat. act. ideo nec Commodatarius regulariter de hoc casu tenetur. c. *un. h. t. l. 5. §. 4. ff. Eod.* Regulariter inquam: admittit enim hæc regula suas exceptiones, quarum prima est, si culpa Commodatarii, quæ scilicet aliâ præstanda erat, casum præcessit. d. c. *un. l. 1. c. Eod.* ut si in incendio, vel ruina, cum posset res commodatas salvas facere, suas prætulit, aut si equum ad domesticos usus concessum ad bellum duxit. d. l. 5. §. 4. & 7. ff. *h. t.* Caspar Schmid ad *Fus Bav. tom. 2. tit. 17. art. 1. n. 11. & seqq.* Secunda, si Commodatarius casus fortuitos, & periculum eventus pacto in se suscepit, l. 5. §. 13. ff. *h. t.* quippe contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur juxta c. 85. de R. F. in 6. d. l. 23. ff. *Eod.* Et quidem Commodatarius, qui casum fortuitum in se recepit, etiam de insolito tenetur: proprie namque casus nomen meretur, qui est insolitus. l. 78. §. *ult. ff. de Contrah. emp. l. 15. §. 1. ff. Locati.* Fachin. 1. *controv. 86.* Bachov. ad *Trensl. vol. 1. disp. 29. th. 6. lit. H.* Deinde generale pactum de casibus fortuitis recipiendis sufficit, nec speciali opus est. l. 7. §. 17. ff. de Pact. l. 39. ff. *Mandati. l. 5. c. de Pignorat. act.* Sichard. in l. 1. n. 8. c. *h. t.* Præstat tamen insolitorum casuum expressæ facere mentionem, ne postea disputandi an late remaneat, an ad hos teneatur Commodatarius, ut monet Samuel Stryck. de *Causel. contrah. sect. 2. c. 2. §. 9.* Tertia exceptio est, si Commodatarius fuit in mora, & post expletum usum rem Domino non restituit. c. *un. h. t. l. quod te. §. ff. de Reb. cred. l. 23. ff. de V. O. l. 2. §. 6. ff. de Precario.* quia mora sua cuiuslibet est nociva, nec alteri nocere debet. c. 25. de R. F. in 6. Quod procedit, etsi quis rationabiliter præsumat, Dominum non fore in vitum, si res com-

commodata (idem est de re locata) ultra conventionem retineatur, quandoquidem ista præsumptio excusat quidem à furto usús, non tamen facit, quòd minus debitor non sit in mora, adeoque teneatur de casu fortuito. *d. l. quod in §. & ibi Interpp.* Limitatur autem, si res eo casu fortuito æquè peritura fuisset apud Commodantem: etenim tunc Commodatarius, quia rei interitus, vel damnum illatum moræ etiam culpabili nequit imputari, probabiliùs ad præstandum illum casum non obligatur. *arg. l. fin. §. 1. ff. ad legem Rhod. C. de an. reg. peccatum p. 2. §. 6. n. 1. Sylvester. de mora. q. 1. Dissentit Gloss. in c. un. h. t. arg. l. cum res. §. ult. ff. de Legat. 1. Addunt aliqui quartam exceptionem, si ab initio fuit facta æstimatio rei commodatæ eà lege, ut in omnem eventum aut res præstetur, aut æstimatio. l. 5. §. & si forti. 3. ff. h. t. quæ conventionem cessante sola æstimatio non videtur aliud operatura, nisi quòd certum sit, quantum restitui debeat, re culpâ Commodatarii deperditâ, vel deterioratâ: neque enim casus fortuitus illi imponendus est, nisi pateat, quòd eum in se suscipere voluerit. Zoëf. ad ff. h. t. n. 16. Schambogen ad Inst. §. item is.*

22. Ill. Commodatarius obligatur finito usu rem restituere cum omni casu, & in eodem statu, quo commo. data est, nullo modo deterioratam: quia aliàs reddi non videtur, & interesse præstandum est. l. 3. §. 1. l. 5. §. 9. l. 18. §. 1. ff. h. t. Sed hoc ita, quando deterioratio culpâ Commodatarii contigit: nam si res commodata deterior facta sit sine ejus culpa, ex vitio intrinseco, vel usu, in quem concessa est; ut si veltis commodata atteratur, aut equus in longum iter concessus in ipso itinere destruat, Commodantis damnum est, si aliter conventum non fuerit. l. 10. l. fin. ff. Eod. Ceterum commodatum adeò celerem, & expeditam habet restitutionem, ut neque prætextu debiti recusari possit. l. fin. C. h. t. ibi: præ-

textu debiti restitutio commodati non improbabiler recusatur. Nisi Commodatarius in ipsa re comòdata impensas & sumptus quosdam fecisset: siquidem tunc rem commodatam jure pignoris retineri posse usque ad restitutionem, dubitare non sinunt textus in l. 15. in fin. & l. 59. ff. de Furtis. Harprecht. ad §. item is. n. 51. Inst. quib. mod. re contr. oblig. Molina de F. & F. tr. 2. disp. 297. n. 9. & seq.

Multum digladiantur Interpp. an in comòdato locum quoque habeat compensatio?

Affirmant Gloss. in c. un. h. t. Panormit. in c. bona fides de Deposito. Hunnius Var. resel. tr. 3. p. 3. q. 3. & alii politissimi Jurisperiti apud Harpp. cit. n. 51. arg. §. in bona fidei. 30. ibi: *excepta solâ depositi actio. Inst. de Actionib. & l. fin. §. 1. ibi: excepta actione depositi. C. de Compensat.* Ecce! his legibus ex ordine contractuum solùm depositum excipitur, & donatur privilegiò incompensabilitatis: ergo reliqui contractus manent sub regula juris communis, quæ est, quod inde debita cæteris paribus sint compensabilia: exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis, adeò que etiam commodatum manet sub communis illa regula juris communis, cum nuspam legatur exceptum; imò reducitur potius ad dispositionem juris communis in l. 18. §. 4. ff. h. t. ubi disertè habetur: *quod contrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recte iudicio, quo cum eo agitur, potest saluum habere jure pensationis. id est, compensationis.*

Negant Molina de F. & F. disp. 297. n. 10. citans Gloss. in l. ult. C. de Compensat. Haunold. tr. 10. c. 7. controvers. 6. & Harpp. l. cit. cum pluribus relatis: primò propter recitatum paulò ante text. in l. ult. C. h. t. quem màlè emendat Cujacius, dum loco *commodati* substituit vocem *commendati*, sen *depositi*: Præterquam enim quod pro sua emendatione nullum exemplar adducere possit, vulgarem lectionem suadet: quòd

quod *Impp.* hanc legem sub *tit. Commodati*. locaverint. *Secundo* quia compensatio solum procedit in rebus fungibilibus ejusdem generis, qualitatis, & bonitatis, ut si pecunia compensetur cum pecunia, oleum cum oleo, vinum vetus cum vetere, Austriacum cum Austriaco: non e contra, si pecunia compensetur cum vino, vinum cum oleo, viciam vetus cum novo, album cum rubro, dulce cum acido, Austriacum cum Tyrolensi, minus si compensetur pecunia, aut frumentum cum equo, equus cum bove, Bucephalus cum Pegaso, ut notat ipsemet Panorm. in *d. c. bona fides. n. 12. de Deposito*. Commodatum autem proprie in rebus fungibilibus consistere non potest, sed in speciebus, seu corporibus, finito usu, in eadem specie reddendis. *Tertio* quia eadem ratio negandi compensationem militat in commodato, quæ in deposito, imò major: nam in deposito principalis ratio est perfidia, ne prætextu compensationis Dominus rebus depositis defraudetur à Depositario, cujus fidei commissæ sunt, sed etiam res commodatæ fidei Commodatarii commissæ sunt, eo ipso, quod eadem in specie restitui debeant, quin ultra hoc Commodatarius propter concessum rei usum recipit beneficium, Depositarius verò nullum: ergo major in illo, quam in hoc arguetur perfidia utendo compensatione.

Hæc sententia, etsi alijs quoque plerisque recepta sit, non tamen videtur simpliciter admittenda; Ecquid enim causæ fuerit, cur compensationi locus non sit, si res commodata in specie restituenda perit, adeoque ejus æstimatio in pecunia restituenda est, aut si quidem existit, sed deteriorata, & ideo Commodans præter rem etiam damnum deteriorationis sibi resarciri petat? etenim cum in ejusmodi casu non veniat restituenda res commodata, sed ejus locò pecunia debeat, termini habiles occurrunt, quibus hujus debiti

pecuniarii cum debito pecuniario ex alio contractu compensatio statuatur, ut optime advertunt Zoëf. ad *ff. h. t. n. 22.* & Clarif. D.D. Woller in insigni *tr. de Compensat. c. 3. n. 76. & seqq.*

Quæ limitatione positâ non potest multum negotii esse cum illis legum, & rationum subsidijs, quibus affirmativa innitur. Quod enim dicitur, exceptionem §. in bona fidei *l. inf. de Act. ion. & l. fin. C. de Compensat.* in deposito factam firmare regulam in contrarium quoad alios contractus: id solum conclusit, quando non adest textus, qui etiam in non exceptis disponat, qualis est in *l. fin. C. h. t.* qui in commodato compensationem haud obscure excludit. Deinde alia ratio fuit excipiendi depositum, & ibi negandi compensationem, ex quo res quoque fungibiles, quæ regulariter compensationem admittunt, deponi, non item commodari possunt. Ad *l. 18. §. 4. ff. h. t.* si termino *pensationis* insistatur, & inde *compensatio* erui velit, responderi potest, eam procedere, quando Commodatarius ad æstimationem rei deperditæ, vel deterioratæ convenitur, adeoque quantitas pro interitu, vel deterioratione solvenda est. Georg. Widman. *tr. de Contract. tit. 3. n. 33.*

Effectus remotus Commodati est actio commodati directæ, & contrariæ. *Directa* datur Commodanti, ejusque hæredi contra Commodatarium, & ejus hæredes, vel ad restituendam rem commodatam, usu finito, in specie salvam, & integram, & cum omni causa, vel si perditæ, aut deterioratæ sit, ad præstantam æstimationem, vel interesse. *l. 3. §. 1. l. 5. §. 9. l. 13. §. 1. l. 17. §. 3. ff. h. t.* *Contrariæ* competit Commodatario, & ejus hæredibus ad reparandum damnum ob intempestivam rei commodatæ revocationem aut ex dolo, vel culpa lata Commodatantis datum, sicut & ad refundendas impensas debitas. *c. un. h. t. l. in rebus. 18. §. possunt. ff. Eod.*

TITULUS XVI.

De Deposito.

SUMMARI A.

- 1. 1. 2. Depositi etymologia. 4. Definitio. 5. usque
- 9. Divisio. 9. Origo. 10. Quinam possint deponere, & depositum suscipere? 11. Quae res deponi? 12. An etiam immobiles? 13. Quid juris circa accessoria deposita? 14. Quid circa res inclusas cista deposita. 15. 16. 17. Quae sint requisitae Depositum? 18. Qui finis? 19. Quae obligatio deponentis. 20. usque 26. Depositarii? 26. Quae inde actio competat?

Expedivimus actus, ac contractus, quibus rei usus transferitur. Custodiam transfert depositum.

§. I.

1. *Depositum à ponendo dictum est, praepositione de augente positionem: ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet. l. 1. pr. ff. h. t.*

§. II.

2. *Synonymum depositi est commendatum: siquidem Juris Interpretes verbum commendari frequenter pro deponere usurpant, eò quòd res deposita quasi alterius custodiam commendatur. l. 24. l. 26. ff. l. 6. l. 9. C. h. t. l. 186. ff. de V. S.*

§. III.

3. *Acceptio depositi bifaria in jure reperitur. I. Sumitur pro ipsa re deposita. l. 1. pr. ff. h. t. ubi dicitur: depositum est, quod custodiendum alicui datum est. II. Et magis proprie accipitur pro ipso contractu, seu conventionione, qua mediante res alterius custodiam committitur per l. jurigenitum. 7. ff. de Pactis. In qua acceptance.*

§. IV.

4. *Definitur depositum, quòd sit contractus realis, bonae fidei, quo res alteri gratis custodienda, & ad libitum deponentis in eadem specie reddenda traditur.*

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

§. V.

Dividitur in depositum in specie, & sequens. Depositum in specie est, cum res non litigiosa ab uno saltem custodienda traditur, arg. l. 6. & 17. ff. h. t. l. 110. ff. de V. S. Sequens est, cum res litigiosa à litigantibus apud tertium deponitur, eà lege, ut is pendente lite rem custodiat, & eà finitâ victori restituat. d. l. 17. ff. h. t. & l. 110. ff. de V. S. Sed de hoc egimus in Lib. II. tit. 17.

Depositum in specie subdividitur I. in voluntarium, & necessarium. Voluntarium illud est, quod nullo imminente periculo, sed ex mera fiducia & voluntate contrahitur. l. 1. §. 1. ff. h. t. Necessarium verò (alii miserabile vocant) dicitur, ad quod cogit instans quaedam necessitas, ac morale periculum, rem perdendi, nisi deponatur, quòd pertinet depositum incendii, ruinae, tumultus, vel naufragii causâ factum. d. l. 1. §. 1. 2. & 3. Est autem speciale in hoc deposito, quòd illud dolosè negans, aut restituere recusans, si postmodum in judicio convictus fuerit, in poenam inficiationis non tantum rem depositam, sed insuper pretium illius rei, sicque duplum restituere teneatur, ex quo perfidiae crimen propter necessitatem crescit. d. l. 1. §. 1. & 4. ff. h. t.

Subdividitur II. In depositum regulare, & irregulare. Regulare est, quod nullum alium contractum admixtum habet; ut si simpliciter species aliqua, vel etiam pecunia obsignata, aut cista clausa sit deposita; l. 1. §. 41. l. si sacculum 29. ff. h. t. sicut & si talia deposita fuerint numerorum corpora, in quæ ob antiquitatem, bonitatem, & memoriam cadit affectio. Brunnem. ad l. 3. C. Eod. Irregularare vocatur, quod de alio quoque contractu, puta de mutuo, aliquo modo participat, & sic notissimos depositi terminos excedit; ut si deponatur res fungibilis cum expressa licentia usus, vel si deponatur pecunia neque clausa, neque obsignata, sed numerata, eò ipsò enim

S

De-

Depositario tacite facultas eā utendi permiffa videtur. *l. 24. §. fin. l. 25. §. 1. l. 26. & 29. ff. h. t. l. 31. ff. Locati.* In quo hoc notabile occurrit, quod in mutuum non transeat, confequenter nec periculum ad Depositarium pertineat, donec pecuniam locō moverit, eaque uti cœperit. *l. 9. §. fin. l. 10. ff. de Reb. credit.* Schambogen ad *Inst. §. præterea. 3. quib. mod. re contrab. oblig.*

8 Nonnulli etiam depositum dividunt in depositum juris, & depositum facti. *Depositum Juris* appellant illud, quo juxta *l. 19. C. de Usur.* res debita Creditori justè oblata, & ab ipso injustè recufata, apud Magistratum, vel Ecclesiam ad sistendum cursum usuarum, & inducendum liberationis effectum deponitur; quo subsecuto debitor non solum periculo liberatur, sed etiam jus pignorum tollitur, & rei depositæ interitus ad Creditorem spectat. *Depositum facti*, seu conventionale nuncupant, quod inter privatos fieri consuevit, & Depositarium ad factum, seu custodiam obligat. Quia autem *Depositum juris* non fit custodiæ causâ, sed liberationis gratiâ, propriè depositum non est, neque hujus loci.

§. VI.

9 *Causa efficiens* depositi duplex est: *remota, & proxima.*

Remota est jus Gentium, ita attestante ipso Justiniano Imperatore in *§. 2. in fin. Inst. de Jure nat. Gent. & Civ.* ubi inter contractus Juris Gentium etiam depositum recenset.

10 *Proxima* sunt deponens, & Depositarius. Deponere autem, & depositum suscipere possunt, qui contrahere, & contrahendo obligari. In specie depositum suscipere possunt etiam scœminæ. *l. 26. ff. h. t.* Etiam pupillus sine tutoris autoritate; si tamen res perit abque suo dolo, non ampliùs obligatur, quàm indelocupletior factus est. *l. 1. §. an in pupillum 15. ff. Eod.* Etiam Clericus & Religiosus tam privatus, quàm Prælatius, ita tamen ut

si res apud eos deposita eorundem culpâ, aut dolo perierit, vel absumpta fuerit, Ecclesia, vel Monasterium inde non teneatur, nisi quatenus in ejus utilitatem aliquid verum probetur. *v. l. h. t. c. penult. de Fidejussorib.* Less. *de F. & J. lib. 2. c. 27. n. 12.* quia depositum aliique similes contractus non pariunt obligationem, nisi inter ipsos contractantes. *l. 32. ff. de Reb. cred. l. 3. C. Ne uxore pro marito.* & delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *c. 76. de R. J. in 6.* Secus est, si ipsamet Ecclesia depositum recepit, videlicet Prælatius cum Conventus, seu Capituli consensu: quippe tunc obligatur ex dolo, & lata culpa, sicut alii Depositarii, ut notat Layman, *de Contract. c. 25. n. 6.* Insuper hic nota ex Marchant. *Tribunal. p. 2. r. 8. tit. 5. sect. 5. dub. 1. res. 1.* errate Sæculares, qui tempore belli sua in Monasteria, velut in asyllum, inferentes putant, se illa dare in depositum, & custodiam Monasterii, vel Conventus, cum tamen revera non sint deposita, nisi Conventus explicitâ fide datâ in custodiam suscepit; quod certè nec faciendum, nec consulendum est, ex quo ob hujusmodi deposita plura Monasteria expilata sunt: quæ aliàs immunitate suâ gaviâ fuissent.

§. VII.

Materiam, seu Objectum depositi constituunt res omnes, quæ custodiam recipiant. Nec refert propriæ deponentis sint, an alienæ? quoniam & fur, vel prædo, si rem furtivam, raptamve deposuerit, actionem depositi habet, eique res restituenda venit. *l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. ff. h. t.* modò non apud rei dominum deposuerit, quippe qui rem suam deponi apud se patitur, vel utendam rogat, nec depositi, nec commodati actione tenetur sicuti qui rem suam conducit, aut precario rogat, nec precario tenetur, nec ex locato. Textus in *l. 15. ff. Eod.*

Ulliot

12 Utilior, ac subtilior *controversia* est: an res non solum mobiles, ac se moventes, sed etiam immobiles depositi materia esse possint?

Negativam Gloss. in c. 2. h. t. Holliens. in *Summ. ejusd. tit. n. 3.* Sylvester in *Summ. V. depositum. n. 3.* Struv. S. F. C. ex. 21. th. 35. Wilsenb. ad ff. vol. 1. disp. 31. th. 11. tribus rationibus commendant. *Prima* est: quia quæ non possunt poni, nec possunt deponi. arg. l. 1. pr. ff. h. t. at res immobiles minus accuratè dicuntur poni posse: siquidem *ponere* in nativo suo significato naturalem rei mobilis in loco aliquo positionem significat. *Secunda*: quia jura depositum in rebus immobilibus non agnoscunt, cum in toto jure nullum rei immobilis depositæ exemplum reperitur, nec ulla ejus sit mentio, passim verò rerum mobilium depositarum. *Tertia*: quia cura rei immobilis, si gratis committatur, & suscipiatur, abit in speciem mandati. l. 5. §. 4. ff. de *Prescriptis verb.*

Verùm affirmativa uti verior, ita ut ei fidem faciamus, optimo jure meretur: etenim deponere in sensu juridico nil aliud est, quam rem alterius custodiæ commendare. l. 186. ff. de *V. S.* posse autem res immobiles ita commendari, perspicuè colligitur ex l. 11. ff. de *Peric. & commod. rei vend. & l. 3. §. fin. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* non quidem ad eum finem, ne à Prædonibus, & furibus auferantur, cum auferri non possint. §. 2. *Inst. de Usucap.* sed ne corrumpantur, aut minuantur, puta ne januæ, fenestræ, seræ ædium surripiantur, aut effringantur: vel ne in prædiis rusticis plantæ evellantur, arbores frugiferæ excidantur, frumentum defalctetur. Accedit, quòd res immobiles sequestrari possint. c. 2. de *Dolo, & contum.* l. 21. §. ult. ff. de *Appellat.* sequestrum verò sit species depositi. Ita Lauterbach. ad ff. h. t. n. 10. & Harprecht ad §. 3. *Inst. Quib. mod. re contra. oblig.* cum pluribus citatis.

Næque oppositæ rationes ejus ponderis

sunt, ut quem in assensum movere possint, nam quòd *primam* atinet, præterquam quòd ab etymologia nominis non desumatur firmum argumentum, quando de re ipsa constat arg. l. 238. §. 2. ff. de *V. S.* insuper satis comprobatum est, res quòque immobiles in sensu juris propriè poni, hoc est, ad custodiam tradi posse. Ad *secundam* respondeatur, sufficere, quòd §. 3. *Inst. Quib. mod. re contra. oblig.* aliique textus loquantur indefinitè de rebus: neque exempla, quibus leges utuntur, esse mensuram legum, quasi ultra se non extendant, cum desumantur, tantum ex iis, quæ regulariter contingunt. Unde sicut si nullum exemplum extaret depositi rei se moventis, malè quis inferret, ergo res se movens non est materia apta depositi, ita etiam hic. *Tertia* ratio nimis bona est, probat enim, quòd & cura, seu custodia rei immobilis sequestratæ abeat in speciem mandati. Imò nulla ratio est, cur magis cura rei immobilis debeat incidere in mandatum, quam cura rei mobilis. Næque obstat l. 5. §. 4. ff. de *Prescript. verb.* quandoquidem in ea non agitur de nuda custodia rei immobilis, quam respicit depositum; sed præter custodiam ibi aliud quid principaliter commissum fuit, circa rem immobilem, quò respectu, licet lex custodiæ accesserit, non tamen depositum, sed mandatum censetur esse contractum, eò quòd in contractibus distinguendis initium, & finis principalis spectetur l. 3. pr. ff. *Mandati l. 12. ff. ad Scium. Maced.*

Porrò utilitas hujus quæstionis in eo consistit, ut constet, ad quam culpam obstrictus sit ille, qui curam rei immobilis in se suscepit; si enim mandatum est, ad levissimam; sin depositum, ad latam culpam tenebitur. Stryck de *Causæ. contract. sect. 2. c. 3. §. 6.*

Illud etiam *queritur*: num ea, quæ accedunt rebus depositis, propria sint materia illius depositi?

§ 2

Ita

Ita putat Gloss. in *l. si ut certo loco. §. §. si me. 13 ff. Commodati.* per illum textum, in quo cavetur, accessoria rei commodatæ pro commodatis haberi, etsi simul non fuerint expressa, usque adeo, ut Commodatarius etiam in iis, quæ sequuntur rem commodatam, diligentiam, ac custodiam præstare debeat.

Contraria tamen opinio communis est, & sine dubio tenenda propter luculentum textum in *l. 1. §. §. ff. h. t.* qui ita habet: *quæ depositis rebus accedunt, non sunt deposita. Ut puta, si homo vestitus deponatur: vestis enim non est deposita; nec si equus cum capistro: nam solus equus depositus est.* Ex quo confectarium est, quod Depositarius solum tenetur habere custodiam hominis depositi, non vestis; equi, non capistri; quamvis in ipsa restitutione, & depositi actione illorum quoque ratio habeatur, *d. l. 1. §. 24.* & si Depositarius circa illa dolum admiserit, eo nomine rectè conveniatur arg. *l. 5. §. 9. ff. Commodati.* Lauterb. *ad ff. h. t. n. 12.*

Næque adverto, quomodo hæc ipsa opinio ex *l. si ut certo. §. §. 13. ff. Commod.* labefactari possit: quia procedit in terminis diversis commodati, in quo dispar omnino est ratio à deposito: commodatum namque ex genere suo tendit præcisè ad commodum Commodatarii, & illud quoque, quod accedit, simul cum re commodata utile est Commodatario, adeoque merito ut commodatum habeatur. Econtra depositum est in commodum deponentis, & potius in onus Depositarii. Azor. *Institut. Moral. p. 3. lib. 7. c. 8. in pr.*

14 Planè deposita cista, arcæ, vel valisâ obfignatâ, ac clausâ res quoque in iis inclusæ depositæ censentur, licet Depositario non fuerint demonstratæ. *l. 1. §. 41. ff. h. t.* Mantica. *de Tacit. & ambig. convent. l. 10. tit. 5. n. 3.* De rebus tamen inclusis, & non ostensis non tenetur regulariter respondere Depositarius;

si cistam, arcam, aut valisam clausam & obfignatam restituat, sicut accepit, ita ut nec signa mutata sint, nec quid aliud in contrarium appareat. *Mev. p. 9. dec. 54. n. 8. & dec. 55. per tor. Stryck. de Cautel. contract. sect. 2. c. 3. §. 7.* Quodsi verò cista, vel valisâ referata deprehendatur, dolo Depositarii referata, vel non rectè custodita præsumitur, & Deponens ad juratam rerum inde amissarum probationem admittitur per *l. 1. §. 40. ff. h. t. §. l. 9. C. Unde vi.* nisi sigillum fuisset valde fragile, quod facile absque facto hominis frangi potuisset, Depositarius verò cæterequin sit homo bonæ famæ, & integræ fidei. Mascard. *de Probat. vol. 1. concl. 508.* Schneidew. *ad Inst. de Oblig. qua ex quas. delict. nasci.* Joann. Scharch. *ad Rubr. n. 7. C. h. t.*

§. VIII.

Forma depositi consistit in traditione, quæ res gratis custodienda committitur, & suscipitur. Tria itaque requiruntur, ut contractus hic censeatur initus.

I. Ut de facto res sit tradita: quia depositum est contractus realis, qui ad sui perfectionem præter consensum rei traditionem desiderat: & nuda de custodienda re conventio pactum potius de deponendo, quam verum depositum est. *§. præterea 3. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* Intelligitur autem res etiam tunc cum mutuo contrahentium consensu tradita, quando quis rem aliquo sciente, & patiente in ædes ejus intulit, additâ declaratione, se rem ipsius custodiæ committere arg. *l. 9. §. 3. ff. de Fore. dot. ibi: quid enim interest, inferantur, an ei tradantur.* Molin. *de F. & F. disp. 522. n. 1.* Imò Nautæ, Caupones, & Stabularii, eò ipsò, quod res aliqua illis scientibus in navem, cauponam, & stabulum inferatur, de custodia hujus rei tenentur, esto inferentes non addant se rem custodiæ committere. *l. 1. in fin. & l. seq. ff. Nauta, caupon. stabul.*

II. Re-

16 II. Requiritur, ut res deposita gratis, & non pro mercede custodienda recipiatur: nam si pro rei custodia ex pacto accipiatur pecunia, locatio est; si res aia, contractus inno- minatus. l. 1. §. si quis servum 9. ff. h. t. & per consequens omnia depositi privilegia ces- sant: cum deficiente substantiâ contractus, ejus quôque privilegia deficere, necessum sit. arg. l. in summa 2. §. item 5. ff. de Aquapluv. incid. l. generaliter 24. §. si quis 9. ff. de Fi- deicommiss. libert. Interim Deposito non refragatur honorarium, ut quod venit ex benevolentia, & non immutat naturam contra- ctuum gratuitorum. l. 1. §. 24. ff. de Vi bonor. rap. l. 6. ff. Mandati. Monet tamen Stryck. de Cantel. contract. sect. 2. c. 3. num. 8. ut Deponens, si molestiam Depositarii ob su- sceptam custodiam compensare velit, aut Depositarius gratis custodiam præstare nolit, protestetur, se hoc non mercedis, sed hono- rarii nomine promittere, vel expresso pacto caveat, salva ubique debere esse privilegia depositi.

17 III. Requiritur, ut res custodia causâ com- mittatur, & recipiatur: neque enim per de- positum proprie dictum transfertur usus, do- minium, vel possessio, sed nuda detentio, & custodia rei. l. 17. §. 1. ff. h. t. Ex quo sequi- tur, non licere Depositario uti re depositâ, & si utatur, furtum usûs committere. §. 6. Inst. de Oblig. quæ ex del. l. 29. ff. l. 3. C. h. t. nisi rationabiliter crederet, Deponentem non fo- re invitum: quippe tunc excusatur l. 76. ff. de Furtis. vel nisi Dominus expressè, vel saltem tacitè usum rei concedat, ut contingit in de- posito irregulari, quo de *supra* n. 7.

§. IX.

18 Finis depositi est sola rei custodia, domi- nio, & possessione ejus manente penes Depo- nentem. l. 1. princ. ff. h. t.

§. X.

19 Efficus depositi est vel proximus, vel re-

motus. Proximus est obligatio Deponentis & Depositarii.

Deponens obligatur ad servandum indem- nem Depositarium, quod fit I. reparando damnum, dolo, vel quavis Deponentis culpâ datum. l. si servus 61. §. 5. ff. de Furt. junctâ l. 5. §. 2. ff. Commodati. II. Refundendo im- pensas in rem depositam factas. l. si in Asia. l. 2. pr. l. actione 23. ff. h. t.

Depositarii non una obligatio est: I. Rem²⁰ depositam, in custodiam semel receptam, Deponenti pro libitu restituere nequit, sed tam diu retinere tenetur, quousque durat cau- sa, v. g. absentia, aut lis mota, propter quam deposita est. arg. l. 5. C. de O. & A. Si tamen jultò diutius maneat, vel aliquod impedimen- tum supervenerit, propter quod custodiam non valeat continuare, Judicem adire potest, ut hujus autoritate ab hoc onere liberetur. Cothmann. consil. 62. n. fin. Stryck. de Cantel. contract. sect. 2. c. 3. n. 12.

II. Depositarius obligatur, ut custodiat, ac 21 servet rem depositam eâ fide, curâ, & diligen- tiâ, quâ solet res proprias custodire, ac serva- re: nec etiam salvâ fide minorem rei deposti- tæ, quàm suis rebus diligentiam præstabit. c. bonafides 2. h. t. l. quod Nerva 32. ff. Eod. Quoniam verò contractus depositi solius Depo- nentis gratiâ initur, ideo naturâ suâ, si res deposita perierit, aut deteriorata sit, ad do- lum saltem, & latam culpam præstandam De- positarium obstringit. §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. l. 1. §. 10. & fin. l. 32. ff. l. 1. C. h. t. l. 5. §. 2. ff. Commodati.

Reperies tamen casus; in quibus Deposi- 22 tarius etiam ad culpam levem, & levissimam, imò subinde ad casum fortuitum obligatur. Ad culpam levem quidem, si mercedem pro rei custodia accepit: d. c. bona fides. 2. h. t. l. 1. §. 8. & 9. ff. Eod. quia ita depositum utri- usque utilitatem respicit, & transit in nego- tium locationis, in quo venit culpa levis.

Panormit. in *d. c. bona fides n. 3.* Si de custodia exacta, & sic de levi culpa præstanda convenit. *d. l. 1. §. 6. ff. h. t.* quia contractus ex conventionem legem accipiunt *c. 85. de R. F. in 6.* Si ipse se obtulit deposito. *d. c. bona fides 2.* ubi deposito se offerens, & aliquid pro custodia recipiens æquiparantur: *d. l. 1. §. sape evenit. 35. ff. h. t.* ubi Julianus scribit, offerentem se deposito non solum dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstare, non tamen casus fortuitos. Ad diligentiam exactissimam, ac proinde ex levissima culpa de perditis rebus depositis obligantur nautæ, caupones, & stabularii, quorum officium annexam habet custodiam. *l. 1. 2. & 3. ff. Naut. caup.* Layman. in *Theol. mor. l. 3. tr. 4. c. 25. sub n. 1.* Quod ita constitutum, ut horum hominum fraudibus, & viatorum securitati consuleretur. Liberantur tamen à custodia Caupones, si quos hospitio exceperunt, assignato cubiculo cum clavibus, ut rerum suarum custodiam ipsi haberent, præmonuerunt, & isti consenserunt. Haunold. *tom. 4. de F. & F. tr. 10. n. 825.* Latè Cæsar. de Panimoll. *dec. 94. adnot. 1. n. 11.* Ad casum fortuitum præstandum adstringitur Depositarius, si ad eum expressâ pactione se obligavit. *c. bona fides 2. h. t. l. 1. §. sape evenit. 35. ff. Eod. l. si ut certo 5. §. nunc videndum. ff. Commodati.* pactis enim & conventionibus contrahentes, sicut ad majorem, vel minorem culpam, quàm aliàs contractus natura exigat, ita etiam ad casum fortuitum se obligare possunt per *c. 85. de R. F. in 6. & l. 23. ff. Eod.* Vel si calum mora culpabilis, aut dolus sive verus, sive ex lata culpa præsumptus præcessit. *d. c. bona fides.* cum qui causam damni dedit, damnum dedisse videatur. Quamobrem si rem depositam vendidisti, eamque postea redemisti in causam depositi, etiamsi sine dolo malo postea perierit, teneri te depositi: quia semel dolo fecisti cum venderes, respondit Ulpianus in saepe cit. *l. 1. §. si rem depositam. ff. h. t.*

Utrum Depositarius in periculo incendii, naufragii, aut hostilis incurisionis res depositas præ suis servare teneatur, si utrasque non possit? est, quod dubites: nam ex una parte S. Pontifex in *c. bona fides 2. h. t.* generaliter asserit: *bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amissisti.* Cui succinit Celsus in *l. quod Nervia 32. ff. Eod.* Ex altera verò haud culpabile videtur, nec contra bonam fidem, si quis prius de rebus propriis, quàm alienis sollicitus sit, ex quo regula charitatis proximi est, dilectionem incipere à se ipso. *c. si non licet 9. causâ 23. q. 5.*

Rem distinctione expediri posse video: vel enim res Depositarii sunt pretiosiores, aut æquè pretiosæ, ac depositæ; & tunc Depositarius proprias depositis præferre potest, absque eò quòd culpam in deposito præstandam committat: siquidem verisimile non est, quòd ad rerum depositarum custodiam cum damno ac periculo proprio se obligare voluerit: & ipsa naturalis ratio dicitur, ceteris paribus suis potiùs, quàm alienis invigilandum esse præsertim si ex his nullum commodum, sed solum onus sentitur; vel res depositæ notabiliter sunt pretiosiores rebus Depositarii, & tunc Depositarius illas relictis propriis salvare tenetur, & si neglectis depositis suas etiam vilissimas conservarit, id dolo fecisse præsumitur juxta cit. *c. bona fides.* Neque obstat ratio; quam urget Panormit. *ibid. n. 2.* quòd nemo teneatur perdere res proprias etiam leves propter res alienas conservandas, sicut nemo tenetur incurrere peccatum veniale ad evitandum mortale in proximo; tum quia est maxima disparitas, & in terminis implicat, quem teneri ad peccatum utcumque leve, vel veniale; tum quia in effectu Depositarius & rem propriam & alienam saltem ex parte conservat, si re suâ neglectâ rem depositam pretiosiorum ex incendio eripit, cum Deponens refundere debeat, quidquid occasione rei suæ conser-


Andæ expensum, aut neglectum est. P.Engel. h. i. n. 9. Georg. Widmann de Contract. tit. 4. num. 64. Molin. de F. & F. tract. 2. disp. 296. num. 2.

III. Depositarius rem depositam ad nutum Deponentis absque omni mora, & exceptione reddere tenetur, c. bona fides 2. h. t. l. i. §. 2. ff. Eod. etiam eo casu, quo depositum ad certum tempus factum est, & expresse conventum, ut Depositarius primum post mortem v. g. Deponentis hæredi rem depositam restituere debeat. d. l. i. §. 45. & seqq. eo quod Depositum ex natura sua sit ad nutum revocabile, & tempus illud eo sine adjectum fuerit, ne possit Depositarius ante illud elapsum rem depositam Deponenti reddere, non verò, ne Deponens pro arbitrio revocare queat. Jure tamen denegatur restitutio I. si res est propria ipsius Depositarii, l. qui rem 15. ff. h. t. aut si Dominus cum deponente concurrat, & rem suam vindicet: quia Domini prior, & justior causa est. l. bona fides. 31. §. 1. ff. Eod. III. Si deponens fortè in ejusmodi conditionem inciderit, ut ei reddere vel non liceat, vel non expediat; ut si ebrius aut furiosus gladium depositum in suum, vel aliorum damnum repetat. c. ne quis 14. causa 22. q. 2. III. Si bona Deponentis ob delictum publicata, ac confiscata fuerint: quia tunc deposita ad fiscum sunt deferenda. d. l. bona fides. 31. in pr. ff. h. t.

IV. Depositarius tenetur rem in specie, sive eandem numero cum omni causa salvam & integram restituere, adeò ut locus non sit compensationi, vel ullæ deductioni pro alio debito, quantumvis liquido, & licet ex utraque parte aliquid fuerit depositum. c. bona fides 2. h. t. l. si quis. 11. C. Eod. l. fin. §. 1. in fin. C. de compensat. ne contractus, qui ex bona fide oritur, penitus ad perfidiam retrahatur, sive ad hanc occasio fiat, quod alicujus fidei specialiter est commendatum. Interim quòd De-

positarius propter impensas necessarias in rem depositam factas, hoc est, eas, quæ nisi factæ essent, res aut omninò periisset, aut deterior reddita esset, rem depositam retinere possit, donec istas restituerit deponens, colligitur ex l. 18. §. 4. ff. Commodati. & docent Sichard. ad d. l. 11. n. 6. C. h. t. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 26. th. 5. lit. B. Mantic. de Tacit. & ambig. convens. lib. 10. tit. 10. num. 24. Georg. Widmann de Contract. tit. 4. n. 43.

Effectus remotus depositi est actio depositi 26 directa, & contraria. Directa est, quæ Deponens agit adversus Depositarium, vel ejus hæredem, ad restituendam rem depositam in specie, nisi aliter fuerit conventum. l. 24. ff. h. t. vel ejus æstimationem, aut pretium deteriorationis, si forsan dolò, aut culpâ latâ Depositarii res interit, aut deteriorata est. l. 1. §. 16. l. 22. l. 23. & passim. ff. h. t. In qua actione illud singulare est, quòd ex ea condemnatus ob perfidiam fiat infamis. §. 2. Inst. de Pæn. tem. litig. l. 10. C. h. t. Contraria est, quæ Depositarius adversus Deponentem, vel ejus hæredem agit, ut damnum, quod occasione depositi passus est, resarciat, & quidquid in re deposita tuenda, vel asservanda bona fide impendit, refundat. l. 5. ff. Eod. Hæc actio damnatum non infamat, quandoquidem in ea non agitur de fide rupta, sed tantum de calculo, & indemnitate ejus, qui depositum suscepit. l. 6. §. fin. ff. de his. qui not. infam.



TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

SUMMARI A.

1. 2. Emptio & venditio quid vcmnis? 3. Quid rei?
4. Qua origo? 5. usque 9. Quinam emere vendere prohibentur? 9. Quibus casibus quis emere

Vendere cogatur? 10. usque 15. Quale debeat esse pretium? 15. usque 23. Quae res emi vendi possint? 23. usque 27. Qualis consensus ad constituendam emptionem venditionem requiratur? 27. usque 32. Quibus modis, & partibus contrahatur emptio venditio? 32. Quis sit finis emptionis venditionis? 33. usque 36. Quae sit obligatio emptoris? 36. usque 40. Quae venditoris? 40. Quae his competat actio? 41. & seqq. Quibus modis emptio venditio rescindatur?

Inter actus ac contractus, quibus dominium directum, aut utile transfertur eminent *emptio venditio.*

§. I.

- 1 *Emptio dicta est, quasi à meo tuum facio: is enim, qui emit, id agit, ut pretium, quod dat, accipientis, & mercem, quam accipit, suam faciat, Venditio verò à vendendo appellatur quasi venum do, eò quòd res traditione veniat ad emptorem: hinc venum ire, & contractus venire. Ungepaur h. t. n. 2.*

§. II.

- 2 *Accipitur vel generaliter, vel specialiter. In generali significatione emptio venditio quamcunque acquisitionem, aut alienationem rerum earum, quae in commercio sunt, comprehendit. l. 8. §. 6. ff. Quib. mod. pign. solv. l. 29. §. 1. prope fin. ff. de Statu lib. Specialiter autem, & propriè sumitur pro certa contractus specie, neque emptionis venditionis vocabulo reliqui contractus, & alienationes veniant, nisi mens loquentis sive hominis, sive legis, militante eadem ratione, aliud suadeat. Mantie. de Tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 1. n. 5.*

§. III.

- 3 *Definitur emptio venditio, quòd sit contractus bonae fidei consensualis de re pro certo pretio alteri tradenda. pr. Inst. h. t.*

§. IV.

- 4 *Causa efficiens emptionis venditionis alia est remota, alia proxima. Remota est jus Gentium. §. 2. in fin. Inst.*

de J. N. G. & C. l. 5. ff. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. de Contrab. empt. origo namque emendae, ac vendendi à permutatione cepit contractum antiquissimo de l. 1. pr. atque ipsa ratione naturali dictante inventa, ac ferè ab omnibus Gentibus recepta, approbatàque est, quod sufficit ad hoc, ut aliquid dicatur Juris Gentium, Clariss. D. D. Woller in Quest. select. universi juris. q. 11. n. 10.

Proxima sunt Emptor, & venditor. Possunt autem emere vendere, qui contrahere, & contrahendo obligari: Sunt tamen ex his aliqui, qui speciali jure prohibentur; ut

I. Clerici, quibus etiam emere necessaria ad suum, suorumque usum, & vendere superflua liceat, lucri tamen gratià, ne à Divinis avocentur officiis, negotiari vetantur. c. 9. & 10. diff. 88. c. 1. 3. 4. 8. & 8. causa 14. q. 4. cap. penult. & ult. de vit. & honest. Cleric. statuta in refractarios poenà excommunicationis, c. 6. ne Clerici vel Monach. & suspensionis, ac depositionis. c. 2. diff. 88. c. penult. diff. 91. c. 4. causa 4. q. 4. Quas poenas remota appellatione innovavit Trident. sess. 22. de Reform. c. 1.

II. Rectores, Praesides, & Gubernatores Provinciarum, quibus interdictum est, res mobiles alias comparare, quam quae ad victum, vel amictum pertinent. l. 6. §. 3. in fin. ff. de Offic. Proconsul. immobiles verò omnes, praeterquam praedia, quae aliquando paterna fuerunt. l. 62. pr. ff. de Contrab. empt. Ratio est, quòd praesumatur, contractus per concussionem potius extorqueri officii respectu, quam liberè iuri. Sed hanc prohibitionem jam dudum contrarius usus oblitteravit, ut testatur Joseph Gletle in nostra Universitate Jur. Publ. & Cod. Professor famigeratissimus ad Inst. h. t. n. 4.

III. Administratores alienarum rerum, qui rem Domini, cujus negotia gerunt, nec per se, nec per aliam personam emere queunt, & si

& si defacto emant, non tantum rem amittunt, sed insuper quadrupli solutione puniuntur. l. 26. ff. de Contrab. empt. Quod pertinent Tutores, inter quos & Pupillos regulariter non subsistit venditio, nisi palam, & bona fide facta sit, atque Contutoribus, si qui sunt, vel Propinquis, aut Judice consensu, auctoritatemque accommodantibus: ne scilicet emptionis venditionis pretextu eos, quorum res admittunt, fraudulenter ledant. l. 34. §. fin. ff. l. cum ipse §. C. Eod. l. 5. §. 2. & seqq. ff. de Auctoritat. tutor. Alex. in l. frater à fratr. n. 51. ff. de Condit. indeb. Wesenbeck p. 5. consil. 47. n. 54. & seq. ubi & illam emptionem mala fide, & latenter factam judicat, in qua justum pretium non est constitutum.

IV. Illustres, natalibusque nobiliores, quos à mercatura arceat l. 3. C. de Commercio & Mercat. l. 6. C. de Dignit. l. 12. in fin. C. de Cohortatilib. Princip. ne illorum potentia, & ope difficile reddant tenuioribus, & plebeis emendi, vendendique commercium, non sine ingenti urbium pernicie, & damno. Quæ legis ratio, & quod consequens est, dispositio non cessat, quando Nobilis mercimonia instituit per Institores arg. c. 72. de R. J. in 6. l. 5. §. 3. ff. de Administr. tutor. l. 2. §. 1. ff. de Administr. rer. ad civit. pertin. Menoch. de Arbit. Judic. lib. 2. casu. 459. Klock. de Contrab. c. 13. n. 263. Verum hac in re plurimum tribuendum Regionum statutis, nec non inveteratæ consuetudini: ita enim apud Venetos, Lucenses, Genuenses, Florentinos, Hollandos receptum est, ut Nobilissimi ex ipsis amplissima Mercaturæ operam navent. Tiraquell. de Nobilit. c. 33. n. 21. Econtra in Germania iis solummodo Nobilibus, qui exteris Provinciis circa Rhenum, Danubium, ac Alpes contermini, mercaturæ studium decorum reputatur, apud Reliquos nobilitatem non taminat, ita ut huic se addicent ad Tormentum quoque aditus denegetur per

KÖNIGLICH DECRET. LIB. III.

Constitutionem Henrici I. in Legibus Hastiliæ. apud Goldast. tom. 1. constit. Imper. p. 221.

Ceterum nemo invitus emere, vel res suas distrahere compellitur. l. invitum 11. C. de Contrab. empt. l. nec emere 16. C. de Fure de liber. nisi iusta necessitas, aut utilitas publica postulet. Ita I. Dominus servum asperius habitum bonis conditionibus vendere cogitur. §. 2. Inst. de his, qui sunt sui, vel alieni juris. Quod alii extendunt ad Dominos jurisdictionales, qui supra modum in subditos sæviunt, atque insolitas operas, & angarias ab iis extorquent. Gail. lib. 1. observ. 13. n. 5. & observ. 17. per tot. Mynsing cons. 5. observ. 8. II. Ob communem necessitatem, famem, annonæque caritatem, qui frumentum ad lucrum faciendum coercerunt, justo pretio, à Domino territoriali, vel ejus Officialibus statuto, vendere coguntur, ceterique prohibentur, ne plus emant, quam sibi, suisque sit necessarium. arg. l. 1. §. cura carnis ff. de Offic. Præfecti Urbis. l. 1. C. Ut nemini liceat in empt. specier. se excus. Panormit. in cap. 1. n. 6. b. r. Menoch. consil. 237. Quod ad Clericos quoque porrigitur, ita tamen ut cogendi sint à suo, non à sæculari Judice, ut qui nullam in Clericos potestatem habet. Jacob Pignatell. tom. 1. consult. 476. & apud eundem S. Congregatio immunitatis in una Brundisina 7. April 1641. III. à Supremo Principe compelli quis potest ad vendendum justo pretio fundum, vel domum suam pro Ecclesia edificanda, Monasterio, vel hospitali, aut palatio Principis construendo, vel ampliando, aut via publica necessaria ad aliquem locum paranda. arg. l. 4. §. 1. ff. Quemadmod. servit. amitt. l. 12. ff. de Relig. & sumptib. fun. Magnif. DD. Weigler de Obligat. ex consensu. lib. 6. lit. C. Gomez. 2. var. c. 2. qui cum aliis tradit, quod si quis in loco sibi, & alteri cuiuspiam communi Ecclesiam, vel Monasterium ædi-

T

ædi-

ædificare velit, ejus focus à Magistratu cogi possit ad suam partem justò pretiò vendendam, argumentò ductò à libertate, ob cujus favorem Dominus servum communem pro parte manumissum acceptò pro sua parte pretiò manumittere debet. §. *fin. Inst. de Donat. l. 1. C. de Comm. serv. manumitt. IV.* propter jus Stapulæ, Stapel, sive Staffel, Geredy, tigeit/ advenientes Mercatotes merces exoticas exonerare, & vendere, aut venales ad certum tempus exponere coguntur, antequam aliò divehant; cujusmodi stapulæ sunt Colonia Agrippinæ, Bremæ, Hamburgi, Lypsia, Ratisbonæ, Passavii, aliisve Urbibus, quas Rhenus, Danubius, Albis, Mosella, & Visurgis præterlabitur, de quibus speciatim vide Lymn. *Fur. publ. tom. 1. lib. 2. c. 9. n. 132.* Lehmann *Chron. Spirens. lib. 4. c. 22.*

§. V.

10 *Materia*, seu objectum emptionis venditionis ex parte Emptoris est pretium, *Der Kauffschilling*, ex parte Venditoris merx, *Die Wahr* l. 2. §. 1. l. 8. ff. *de Contrah. empt.*

Pretii nomen in jure analogum est: fumitur enim pro remuneratione. l. 2. §. & *generaliter* 24. ff. *de Vi honor. rapt.* & pro mercede locationis. l. 15. §. 4. l. 28. §. 2. ff. *Locati.* Propriè verò pro eo, quod in emptione ex parte Emptoris, pro re, quæ vanit, promittitur. §. 2. *Inst. h. t.* In dubio ergo, cum analogum stet pro significatu potiori, Dd. in l. 1. ff. *Si ager vecli.* ubicunque sit mentio pretii, emptionis contractum potius, quàm alium præsumunt. l. *fin. C. de Præd. Decur. & ibi Gloss.* Hoc autem pretium quatuor qualitates habeat, oportet.

11 *Prima* est, ut sit verum, non simulatum, ac gratis gratià constitutum. Undè si quis donationis causâ pretium ponat, non exacturus illud, venditio non est; quanquam si minoris vendat donationis causâ, venditio valeat,

l. 36. 38. & 55. ff. *de Contrah. empt.* Ita tamen, ut si res pretiosa, & magni valoris uno nummo, & pretio prorsus inæquali venderetur, nulla sit emptio, nulla venditio, quemadmodum nulla est locatio conductio pro uno nummo facta per expressum textum in l. 46. ff. *Locati.* propterea: quia venditio, quæ uno nummo fit, venditio imaginaria est, quæ pro non facta habetur. d. l. 55. ff. *de Contrah. empt. l. 16. ff. de R. F. Clariss. DD. Woller, in Quæst. select. Univers. jur. q. 11. n. 54.*

Secunda est, ut pretium consistat in pecunia numerata, id est, in nummis ad numerum solvendis. §. 2. *Inst. h. t. l. 1. §. 1. ff. de Contrah. empt.* Quare emptio venditio non intelligitur, si pecunia adpendatur, & contractus ad marchas, aut uncias auri, vel argentei celebratur; ut si dicerem: *sendo tibi domum meam viginti libris auri.* Georg. Widmann *de Contract. tit. 13. n. 4.* Joan. Fab. & Arietini ad d. §. 2. *Inst. h. t.* Minus, si conventum, vel loci pecuniæ res alia detur, vel factum aliquod præstetur, etiam si emptionis, ac venditionis vocabulo contrahentes uti sint. l. 6. §. 1. ff. *de Act. empt. l. 6. ff. de Præscrip. verb. Contractum* tamen emptionis nihil immutat, si ex postfacto alia res in solutum detur, modo ab initio de pecunia conventum sit. l. *pretii causa.* 9. *C. de Rescind. vend.* quia in distinctione contractuum initium, non exitum spectamus. l. 1. §. 13. ff. *Depositi.*

In *disquisitionem* venit: qualis sit contractus, si ab una parte res, & pecunia simul detur? & non incongruè responderi potest, ante omnia mentem contrahentium inspicendam esse, utrum permutationem, vel emptionem venditionem celebrare voluerint: si illud, permutatio est. & pecunia habetur instar additamenti, als eine Zugab, licet rem excedat: Si hoc, emptio, & venditio est. & res pro additamento habetur. arg. l. 6. §. 1. ff. *de Act. empt.* Quòd si simus in dubio, & de mente

contrahentium non constet, videndum an res, vel pecunia prævaleat. Si res prævaleat pecunia simul data, erit permutatio; si pecunia, emptio, venditio. arg. l. *quaritur*. ff. de *Situ hom. l. quicquid*. §. *fin.* ff. de *Acquir. rer. dim.* l. 6. C. de *Pañt. inter emptor. & vendit.* Denique si res, & pecunia ejusdem sint valoris, nec partes definiverint, qualem contractum celebrare voluerint, & vocibus ambiguis usæ sint, tunc denominationem faciendam esse à digniori, vult Bartol. in l. 1. C. de *Rer. permutat.* adeoque permutationem censendam, quæ dignior, quia antiquior, arg. l. 1. ff. de *Estimat.* Alii, tali casu emptionem venditionem præsumunt, utpote contractum frequentiore arg. l. 34. ff. de *R. J.* Nonnulli tale negotium partim emptionis, partim permutationis titulò dijudicant: in quorum sententiam inclinat Clariss. DD. Woller *lib. 9. tit. 1. n. 57.*

11 *Tertia*, quæ in pretio requiritur, qualitas est, ut sit certum: quia incertum pretium perinde est, ac nullum §. 1. *Inst. h. t.* Hinc non potest subsistere emptio ita contracta, ut emptio sit res iusto pretio, siquidem in eo nulla est certitudo. l. *fin.* C. h. 1. Gomez. *lib. 2. resol. 2. n. 9.* nisi Magistratus jam determinaverit iustum illius rei pretium. Vulten. *ad C. de Contrah. empt. n. 4.* Est autem pretium certum vel simpliciter, & per se, quando ipsæ partes illud taxant, ut si dicam: *vendo tibi equum meum*, 100. *Imperialibus*: vel per relationem ad aliud: cum nihil intersit, res verbò designetur, an verò sufficienter demonstretur. l. *certum* 6. ff. de *Reb. cred.* Et hæc relatio vel sit ad præteritum, vel ad præsens, vel ad futurum. Ad præteritum: ut si dicam: *quanti tu emisisti, tantum dabo*. l. 7. §. 1. l. 37. ff. de *Contrah. empt.* Ad præsens: ut si dicam: *quantum pretii in arca habeo*; d. l. 7. §. 1. etenim licet his casibus pretium vel utriusque, vel alteri contrahentium incertum, & incognitum sit,

est tamen ex se certum id, quod pro re datum est, vel quod habet in arca, & hoc satis est arg. §. 8. *Inst. de Verb. oblig.* non obstante l. 34. §. 4. l. 51. ff. de *Legat. 1.* quia voces usurpantur juxta materiam subjectam, & sic pecunia ita demonstrata, quam in arca habet, quandoque corpus, quandoque quantitatem designat. Clariss. DD. Weigler de *Obligat. ex consensu*. *lib. 2. q. 4.* Denique ad futurum; ut si dicam: *quo pretio illo die in foro vendetur*: vel quando pretium confertur in arbitrium tertii, ac nominati, ut si dicam: *pro tanto pretio, quanti Titius estimaverit*; quo casu emptio venditio intelligitur sub conditione contracta. Unde si ille, qui nominatus est, non definiat pretium, vel quia non vult, vel quia non potest, emptio corruit; sin definiat, omnino standum est ejus arbitrio; d. §. 1. *Inst. h. t. l. fin.* C. de *Contrah. empt.* ita tamen ut, si iniquum arbitratus sit, recursus ad Judicem detur, & reductio fiat ad arbitrium boni viri. l. 30. ff. de *Oper. libers.* l. 76. in *fin.* l. 78. & seqq. ff. *Pro socio.* Planè si pretii determinatio alterius contrahentium voluntati relinquatur: ut si venditor dicat: *quanti velis, quantum a. sum praestaveris, quanti estimaveris, habebis emptum*: nihil actum intelligitur, nec erit emptio venditio. l. *quod sape*. 35. §. 1. ff. l. in *venditis*. 13. C. de *Contrah. empt.* eò quòd nulla sit obligatio, quæ à voluntate obligandi dependet. l. 108. §. 1. ff. de *V. O.* l. 24. ff. *Locati.* Georg. Widman de *Contract. tit. 9. n. 6.*

Quarta qualitas pretii, quæ ad justitiam, emptionis venditionis pertinet, est, ut pretium sit justum, id est, rei venditæ æquivalens. Est autem pretium justum duplicis generis, scilicet legale, & naturale, seu vulgare. Legale est, quando lege, vel decreto Principis, aut Republicæ taxatum est. Et hoc consistit in indivisibili, & citra Injustitiam augeri, aut minui

nequit. August. Barb. ad l. 2. C. de Rescind. vend. n. 105. Mascard. de Prob. vol. 1. concl. 443. num. 10. ac omnes tam Clericos, quam Laicos, subditos, & forenses ad ejus observantiam obligat. Mart. Bonacin. de Contractib. disp. 3. q. 2. punct. 4. n. 10. & 11. Nec mercator illud augere potest, licet extraordinarias expensas, & labores fecerit. Idem Bonac. d. p. 4. n. 29. qui tamen ultra legem taxativam amplius quid exigi posse cum Reginaldo, Sabonio, Medina, & Lessio concedit. cit. loc. n. 8. & 12. si valor rei notabiliter variatus fuerit, & auctus, aut in bonitate ejus singularis reperitur excessus. *Naturale est, quod communi hominum æstimatione, ac judicio statutum est. Et hoc recipit latitudinem, infra quam solent tria pretia assignari: infimum, sive pium, medium, seu moderatum, & summum, seu rigorosum; germanicè dicitur geringe / mittlere / und höchste Anschlag.* Quanta autem inter hæc tria genera distantia sit, non potest certâ regula comprehendere. Quamdiu tamen non transiuntur fines summi, & infimi pretii, emptio venditio justa est; si secus, committitur injustitia obligans in conscientia vel ad restituendum excessum, quando ultra summum exactum est: vel ad supplendum defectum, quando infra infimum datum est. Clariss. P. Paulus Mezger in Theol. Schol. tr. 13. disp. 43. a. 1. n. 3. & 4. Sotus de F. & F. lib. 6. q. 2. art. 3. Cæsar de Panimoll. dec. 50. n. 4. Neque refragatur l. in causa. 16. §. 4. ff. de Minorib. ubi Pomponius ait, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire; hoc namque intelligendum est de circumventionem intra latitudinem pretii vulgaris. Covar. lib. 3. var. resolut. c. 3. n. 2. Porro pretium justum præsumitur, & qui se in æstimatione rerum deceptum dicit, injustitiam pretii probare debet. l. circumscripta. 5. C. Solut. matrim. Natta vol. 4. consil. 650. n. 8.

Roland. à Valle consil. 92. n. 17. vol. 2. Mascard. de Prov. vol. 3. concl. 1253.

Per mercens intelliguntur res vendibiles, circa quas traditur regula generalis in l. si in emptione. 34. §. 1. ff. de Contrah. empt. Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè fit. Quas vero natura, vel Gentium jus, vel mores Civitatis commercio exonerant, earum nulla venditio est.

Nec refert I. res præsentis sint, an futura: I. nam etiam futura, puta fructus nascituri, & fetus pecorum vendi possunt. l. 8. pr. ff. de Contrah. empt. Sed harum rerum venditio semper hæc tacitam conditionem conjunctam habet, si fructus nascantur; & si nihil nascatur, emptio nulla est, atque ob conditionis defectum pretium repetitur, & si venditor egerit, ne quid nasceretur, ex empto tenetur ad interesse. d. l. 8. pr. & ibi Struv. exerc. 23. ib. 27. Ab hac verò emptione venditione rei futurae penitus diversa est emptio spei, quando quis illud emit, quod non naturali ordine, sed per accidens percipitur, & fortunæ quis exponit, quod pertinet jactus retis, captus avium, vel missilium, d. l. 8. §. 1. ff. de Contrah. empt. l. si jactum. 12. de ff. de Actionib. empt. Quæ venditio pura est, & licet captum duplò excedat pretium, nihilominus debetur, d. l. 12. modò non aliæ res extractæ fuerint: hæc enim non sunt emptoris, nisi simpliciter jactus retis, non saltem piscium captura vendita fuerit. Zoëf. ad ff. de Contrah. empt. n. 26. Franzk. ibid. n. 22. ac contra, tamen si nihil captum fuerit, solvendum tamen integrum pretium: quia hic spes, vel alea locò rei vendita est. d. l. 8. §. 1. ff. de Contrah. empt. Molin. de F. & F. tr. 2. disp. 340. n. 14. Mantie. de tacit. & ambig. convent. l. 4. tit. 18. Quod & in conscientia foro justū esse docet Fagundes de F. & F. lib. 5. c. 24. n. 7. Stryck, de Cautel. contract. sect. 2. c. 8. §. 9. Nec

16 Nee refert II. siue res corporales sint, siue incorporales, aut nomina, & actiones, quæ etiam inuitis, & ignorantibus Debitoribus vendi possunt. l. 3. C. de Hæred. & act. vend. modò fiat ante litis contestationem: arg. t. t. C. de Litigios. & non fiat in potentioribus: l. 2. C. ne liceat potenterioribus. & jus sit certum, ac liquidum. l. per diversas. 22. (quæ Anastasiana dici solet) cum 2. seqq. C. Mandati. Quod si defacto aliquis debitum litigiosum emerit, & postmodum in iudicio causam obtinuerit, non poterit plus à Debitore petere, quàm pretium pro tali debito expositum iuxta cit. l. per diversas. 22. quod ordinariè longè minùs, quàm debitum, utpote adhuc valde dubium.

17 Frequens in foro quaestio est: utrum debita liquida, seu chirographa minori pretiò, quàm in se contineant, v. g. debitum mille Imperitalium, pro mille, aut octingentis florenis & relicat?

Ita passim fieri solet, nec injustè, si emptor nominis æquè ac venditor propter absentiam, potentiam, aut paupertatem debitoris difficultatem in acquirenda solutione debiti habiturus sit: quippe hæc difficultas exactionis iuxta communem omnium hominum æstimationem pretium rei notabiliter minuit. Idem dicendum, si expensæ, lucrum cessans, vel damnum emergens concurrant, veluti si emptor aliàs suam pecuniam aliter applicaret, cum probabili spe majoris lucri, & tantum in favorem venditoris ejusmodi debitum emat. Ita communis Dd. quam sequitur Molina tr. 2. de F. & F. disp. 361. Imò idem dixerim, si Emptor nominis seu actionis solutionem ob specialem suam industriam, aut favorem Principis, vel status sui facile consequi possit, Venditor autem vix, ac non nisi post longum fortè tempus, nec sine magnis impensis consecuturus sit, ne quidem cum pacto Emptoris, ut sæpè contingit in debi-

tis Provincialibus, vulgò Landschafft Schulden/ quia Prudentum arbitrio debitum, quod aliquo modo est difficilis consecutionis, tanti non valet, quanti in se ipso est per l. minus. 204. ff. de R. l. licet allàs de jure, qui actionem ad rem habet, rem ipsam habere videatur juxta l. is, qui. 15. ff. Eod. neque ex eo, quòd à parte emptoris nulla sit difficultas, cessat ratio detrahendi pretium: id enim ad bonam ejus fortunam pertinet, & propterea ejusmodi nominis pretium non crescit, ut quod non pendet à commòdo unius, vel paucorum, sed à publica æstimatione. Sanè si quis studiosè, se ad debita minoris emenda soleat applicare, & præsertim si ipsemet causa sit difficilis exactionis, & solutionis, aut cum Creditoribus integrum debitum facile posset procurare, impediatur, quò minùs consequi possint, ut ita divendere cogantur, talem ab illicito quaestu, palliataque usura haud excusarem, cum in effectu mutuet summam minorem, ut pro ea recipiat majorem. Confec. Molin. de F. & F. d. disp. 361. Less. eod. tr. lib. 2. c. 21. dnb. 9. & Clariss. P. Paulus Mezger in Theol. Schol. tr. 13. disp. 43. art. 3. §. I. per tot.

Neque refert III. res propriæ sint, an alienæ: etenim res alienas contractu vero, valido, ac utrinque obligatorio vendi posse, textus disertus est in l. 28. ff. de Contrah. empt. & ratio evincit: quia qui vendit, non habet necesse, ut rem emptoris faciat, sed ut ipsi habere liceat. l. 25. §. fin. ff. Eod. l. 30. §. 1. ff. de Actionib. empt. Quid juris sit, si res speciali vitio furti, vel rapiæ affectæ fuerint? Paulus Jctus in l. si in emptione. 34. §. 3. ff. de Contrah. empt. ita respondit: si & Emptor & Venditor scit, furtivum esse, quod vanit, à neutra parte obligatio contrahitur. Si emptor solus scit, non obligabitur Venditor, nec tamen ex vendito quidquam consequitur, nisi ultro, quod convenit, præstet. Quod si venditor scit, Emptor igno-

ignoravit: utrinque obligatio contrahitur. Illud addo, quod emens rem furtivam, cum primum sciverit ejus dominum, teneatur ex obligatione rei acceptæ eam non recepto pretio restituere, quanquam in nundinis, & mercatibus publicis emit, ita enim aiunt Imp. Severus & Antonius in l. 2. C. de Furtis. *in civilis rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum à Dominis.* nimirum res aliena pro Domino interpellat. Hostiens. in *Summ. de Penit. & remiss. §. quod de furibus.* Menoch. 3. *presumpt. 29. n. 31.* Farinac. q. 177. *de furtis. p. 3. num. 31.* Quod Dd. communiter ita limitant, ut is, qui bonâ fide rem furtivam emit, possit re cognitâ rem in eum statum, in quo fuerat, ante contractum, reducere, atque ita rem furi, à quo emerat, restituere, ut ab eodem pretium recuperet, cum admonitione tamen, ut eam Domino, cui sustulit, restituat. Sylvester *V. restitutio. 3. q. 7. Less. de F. & F. lib. 2. c. 3. dub. 3. n. 14.* Amplius: si quis ex quo pretio rem majoris valoris à fure redimit animò, ut eam domino redderet, ad restitutionem, rei furtivæ non aliter tenetur, quam si pretium ei refundatur, quasi utiliter negotium Domini gestum sit. arg. l. 11. C. de *Negotiis gest.* Menoch. *lib. 5. presump. 29. n. 17.*

29 Reperias tamen res plures, quæ emptio- nem venditionem effugiunt; quales sunt I. res, quæ neque in natura sunt, neque sperantur, ut hippocentaurus. §. 1. *Inst. de Inutil. stipul. l. 35. ff. de V. O.* II. res, quæ fuerunt, sed non amplius sunt, ut servus mortuus, domus combusta. l. 57. *ff. de Contrab. empt.* III. liber homo. l. 6. l. 34. §. 2. *ff. Eod.* nisi major viginti annis ad pretium participandum sese venditari passus sit. §. 4. *Inst. de Fure person.* IV. res sacre, sanctæ, religiosæ, & publicæ. l. 6. l. 22. l. 51. l. 72. §. 1. *ff. de Contrab. empt.* eò quòd res hujusmodi non recipiant alienationem, nec admittant usucapio-

nem. l. 9. C. de *Usucap.* si tamen Venditor sciat rem talem esse, obligatur Emptori ignorantiam interesse. l. 4. l. 45. l. 70. *ff. de Contrab. empt.* V. Res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosæ, quæ sine causâ, & solemnitate canonica vendi prohibentur c. 5. & *passim de Reb. Eccles. non alien. l. 14. & aut. hoc jus porrectum.* C. de *SS. Eccles.* VI. res minorum, furiosorum, & prodigorum, quæ non aliter rectè venduntur, quam servatis certis modis à lege præscriptis. t. t. C. de *Prad. minor. & ibi Dd.* VII. hæreditas nondum delata, sed quæ expectatur ab homine adhuc vivente, l. 1. *ff. de Hæred. vel act. vend. l. qui superstitis 94. ff. de Acquir. hæred. hæreditas, inquam, nondum delata: delata enim, ein angefallene Erbschaft* haud dubiè vendibilis est. t. t. *ff. de Hæred. vel act. vend.* VIII. res propria emptoris: siquidem nemo absolute rem suam rectè emit. l. 16. *ff. de Contrab. empt. l. 4. C. Eod.* cum quòd meum est, amplius meum fieri nequeat. §. *sic itaque 14. Inst. de Action. t. mere* tamen quis potest rem suam sub conditione, & in tempus, quo desinet esse sua. l. 61. *ff. de Contrab. empt.* IX. res litigiosa. t. t. *ff. de Reb. litig. l. 13. ff. Famil. hercisc. nisi alienatio esset necessaria. l. fin. C. de Litigios. Res dotales: t. t. C. de Fundo dotali. res feudales, & emphyteuticæ. 1. *Fend. 5. §. 1. 2. Fend. 5. du c. un. l. fin. C. de Fure emphyteut. iterum res* restitutioni obnoxie. l. fin. §. 2. & 3. C. *Communia de legat.* nisi certis casibus. *aut. res quas C. Eod. Eod. X. venena mala. l. 35. §. 2. ff. de Contrab. empt. Constitutio. Caroli V. art. 37. §. ult. annona militaris, & quodcunque genus armorum in ordine ad Turcas, & Saracenos. t. t. C. Quares vanire non poss. l. 1. & 2. C. Quares exportari non debent.**

Controversitur I. an officia publica vendere liceat?

Videtur negare Azor *Instit. moral. p. 2. lib. 29. l. 6. 6.* ubi ait, vendentes peccare. *Gloss. in*

hic. sicut causa l. q. 6. Cajetan. in *Summ. V. Officiorum venditio*. Moventur primò prohibitione juris civilis in l. 1. ff. *Ad Leg. Jul. de ambitu*. l. nemo. 6. C. de *Affiss*. l. 14. C. de *Re milit*. Novel. 8. & Constitutione Pii V. edità 1571. cujus meminit Navar. in *Man. c. 25. n. 7.* Secundo quia quæ sunt publici muneris, ut sunt officia publica juxta l. 1. §. *hujus studii* ff. de *F. & F.* non sunt pretiò æstimabilia. Tertio ratione detrimenti Reip. imminentis, tum quia, qui emunt officia, administrationem officii, ac justiciam vendere solent: tum quia sæpè non dignioribus, sæpissimè neque dignis, sed indignis officia publica venditione paterent, ut qui, quod non habent ex meritis, pecunià oblatà sibi acquirerent.

Navar. *consil. 2. b. t. num. 7.* Sotus de *F. & F.* lib. 3. q. 6. a. 4. Clariss. DD. Woller in *Quæst. select. universi juris. q. 11. n. 49.* sustinent, officia sæcularia autoritate Reip. aut supremi Principis vendi posse, non quidem, quatenus sunt obligationes ad certas functiones, quæ propriè officium nuncupantur: cum nemo mihi obligationem, ad quam obstrictus sum, vendere possit; neque quatenus habent justum stipendium, seu jus ad stipendium: cum hoc sit debitum ex justitia illudonus accipienti; sed quatenus dicunt quandam eminentiam, & habent occasionem lucrandi, aut excessum stipendii supra debitum involvunt: eatenus enim sunt pretiò æstimabilia, & res humanæ sæculares. Id quod usus comprobat: nam Romæ Officium Vice-Cancelariatus pro 8000. Scutatis, Thesaurarii pro 7000. Præsidis Camerae pro 40000. vendi, tradit Ernest. Gokelius c. 5. de *Regibus Europ.* Sed sic fides penes Authorem. Exploratum est, in Regno Galliæ, & Hispaniæ tales venditiones esse frequentissimas.

Non opinor ab hac opinione discedendum esse: utenim quod attinet leges Civiles, his inferiores quidem, sed non supremi Prin-

cipes obligantur, ut qui legibus subditi non sunt l. *princeps* ff. de *Leg. b.* Constitutio autem Pii V. recepta non est, ut monet ipse Azor. d. p. 2. lib. 8. c. 7. imò non obligat etiam, nisi in terris Ecclesiæ temporali dominio subiectis. Alterum argumentum duntaxat probat, officia sæcularia non esse venalia, quatenus sunt obligationes ad certas functiones, vel habent justum stipendium, non verò quatenus sunt honorifica, & utilia. Neque, quod tertio dicebatur, damna, quæ ex venditione officiorum Reip. timentur, hæc venditionem illicitam reddunt, sed solum evincunt, quòd non expediat, ut tradunt communiter Dd. Imò si officium indigno, aut inepto vendatur, venditio erit rescindenda, & damna secuta restituenda ab Emptore, vel à Principe locò ipsius. Vide Clariss. DD. Braun. in *Disp. de Magistratu. c. 7. §. 5. per tot.*

Planè officia Ecclesiastica, puta officium Visitatoris, seu Vicarii Generalis Episcopi, nullatenus vendi possunt, eorumque venditio in simoniam incidit. Sotus de *F. & F.* l. 3. q. 6. art. 4. idque merito extenditur ad officia jurisdictionis ecclesiasticæ, nempe Notariorum & similibus, cum proximè accedant ad spiritualia, juxta Trident. *sess. 24. c. 14. & Sess. 25. c. 1. de Reformat.*

Controversitur II. utrum, & cum quibus conditionibus census annui, jährliche Zins / Renten / und Gülden / sive perpetui, sive temporales sine labe usuraria emi possint? Pro cujus controversia resolutione.

Præmissis I. censum dupliciter sumi: nempe pro contractu censuali, qui nil aliud est, quam emptio juris percipiendi annuos redditus certæ pensionis, datà in pretium certâ pecuniæ quantitate; ut si quis mille florenis emat annuos redditus quinquaginta florenorum. Qui redditus vulgò interesse dicuntur, estque comunis taxatio pretii pro quinquaginta annis centum dari, ex consuetudine Germaniæ

recc

recepta, & Constitutione Caroli V. in Comitibus Augustæ Anno 1548. facta confirmata. Deinde pro ipso jure percipiendi redditus, quod ex dicto contractu resultat.

Præmissio II. censum alium esse realem, alium personalem. *Realis* est, qui constituitur super certis rebus immobilibus, puta super domo, prædio, aut ærariis Provinciæ, Cameræ Principis &c. arg. *tit. 1. Fend. 2. in fin. Personalis* est, qui fundatur super industria personæ sine certo respectu ad bona, quamvis forte propter securitatem hypotheca vel generalis omnium bonorum, vel specialis certæ rei sit adjecta. Layman in *Theol. mor. lib. 3. tr. 4. c. 18. n. 2.*

Præmissio III. censum tam realem, quam personalem esse vel *temporalem*; quod pertinet census vitalitius, qui constitutus est ad vitam ejus, qui jus percipiendi censum habet, & quo è vivis decedente statim extinguitur sine ulla obligatione restituendi sortem, vel capitale: vel *perpetuum*, eumque porro vel *irredimibilem*, qui revocari non possit; vel *redimibilem*, & vel ex parte solius venditoris, vel ex parte utriusque, scilicet tam Emptoris quam Venditoris, qui vocatur *utrinque redimibilis*. His præmissis distinctè respondeo. &

Dico I. Jure naturæ ad censum qualemcunque emendum conditiones requisitæ sunt: I. ut adsit intentio emendi, & vendendi, ne sub prætextu censûs inearur mutuum usurarium, quandoquidem contractuum vis, & obligatio dependet à contrahentium voluntate. II. ut interveniat justum pretium, hoc est, aut legibus, aut consuetudine approbatum, vel Prudentium arbitrio perspectis rerum, locorum, ac temporum circumstantiis taxatum. Quemadmodum autem non requiritur, ut pretium agri æquivalet omnibus ex eo futuris proventibus, si simul cumularentur, ita non exigitur, ut pretium censûs propriè adæquet pensiones persolvendas: non enim emun-

tur futuræ pensiones sed jus illas deinceps exigendi. Est tamen in æstimatione censuum habenda ratio pactorum appositorum, & leviorum aut graviorum onerum, quæ Emptori, sive venditori imponuntur. III. ut si persona, super cujus industria fundatur census, lucrari amplius nil possit, vel si res censita pereat, ac sterilis evadat sine Venditoris culpa sive in totum, sive pro parte, Emptor tanquam Dominus juris percipiendi annuatim pensionem damnum ferat, & obligatio censûs vel in totum, vel pro rata parte cessat; nisi forte adjectum fuerit pactum *asscurativis*, quo constituitur, ut Venditor censûs teneatur ad pensionem, etiamsi industria personæ, & facultas lucrandi deficiat, aut res censui subiecta casu pereat.

Dico II. Jure communi, & juxta constitutiones Pontificias, ut census legitime ematur, & contractus censualis à mutuo usurario purificetur, octo conditiones requiruntur. *Prima* est, ut census imponatur rebus certis immobilibus, & fructiferis, puta agro, vineæ, vel domui: *Secunda*, ut talia bona, & non persona maneat obligata solutioni censûs: *Tertia*, ut pretium sit justum, ac redditui proportionatum: *Quarta*, ut huiusmodi pretium integrum solvatur tempore contractûs: *Quinta*, ut Venditori semper liceat censum quo ad totum, aut membratim, & quod ad partem redimere: *Sexta*, ut nihilominus non maneat obligatus ad redimendum: *Septima*, ut census non excedat valorem fructuum fundi, super quo constituitur: *Octava*, ut rebus super quibus census fundatur, peremptis illicd pereat census, & cesset redditus: *ex rag. 1. & 2. h. t. inter Comm.* Quas omnes conditiones approbavit Pius V. in Motu proprio cum omnes Apostolica servivitis, & quibusdam adauxit, quarum, aut etiam unius earum defectu contractum censualem vult haberi pro usurario. Singulariter verò notanda est

illa conditio, quod census non debeat constitui generaliter super omnibus bonis, juribus, & emolumentis, sed super certa re immobili: item quod non nisi ex parte Vendoris debeat esse redimibilis; quod ipsum constitutum est ab Imp. Carolo V. ubi supra. Maximiliano I. ac Rudolpho II. teste Canisio de Usur. c. 11. n. 8. & habetur expressè in Ordinatione Polit. publicata Francofurti Annò 1577. c. 17. de Usurar. Contractib. §. viiesimol.

Dico III. de consuetudine non tantum census realis super omnibus bonis sed etiam personalis, & utrinque redimibilis probabiliter ab iniustitia, & usuraria pravitate excusari potest. Ita Covar. var. resol. lib. 3. c. 7. Canis. d. c. 11. n. 2. Less. de F. & F. lib. 2. c. 23. dub. 10. Laym. in Theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 18. §. num. 5. Clariss. P. Paulus Mezger in Theol. Schol. tr. 13. disp. 43. art. 2. num. 8. & ipsa Praxis piorum Virorum, quos omnes peccati, & usuræ arguere, panè temerarium foret: ex quo talis census, utut de jure positivo non admittatur, quia tamen rationi, & juri naturali non adversatur, saltem de consuetudine generali defendi potest. Et verò si potest dari census realis super certis rebus, cur non etiam super omnibus bonis? Si super rei immobilis redditibus, seu fructibus fundari potest, cur non etiam super industriâ personæ, cui hujus industriæ lucrum utique vendere licet? Si in omni alia emptione validè licitèque apponi potest pactum redimibilitatis, seu retrovenditionis, cur non etiam in emptione census, in qua concurrunt omnia substantialia, nempe consensus, merx & pretium? Ad hæc licet Emptor census, si capitale repetit, instar mutuantis simul habeat totam sortem, & lucrum supra sortem, quod videtur usurarium, attamen si periculum sit Emptoris, sicuti est secluso pacto securitatis, ut nimirum re pereunte, vel cessante omni lucro ex industria perso-

næ, cesset obligatio census, & reddendi capitale, facilè apparet differentia inter census, & mutuum, cum in mutuo totum periculum sit mutuatarii, non Creditoris. Imò

Dico IV. abstrahendo à prædictis constitutionibus tum Pontificiis, tum Imperatoriis, & insistendo consuetudini, census tam personalis, quàm realis etiam cum pacto securitatis, id est, salvo semper capitali contrahi potest, modò periculum, quod Venditor census in se suscipit, per augmentum pretii compensetur, propterea: quia in aliis contractibus, ut in commodato, aut deposito periculum ex speciali pacto contra naturam contractus ad alterum pertinere potest. c. un. de Commod. l. 1. §. 6. ff. Depositi. & nulla ratio occurrit, ob quam in emptione census diversum obtineat. Neque juvat; si dicas: census super bonis in communi, & præsertim redimibiles cum pacto securitatis à Pio V. in Constitutione supra cit. declarati sunt usurarii. Ergo nec per consuetudinem redduntur liciti, cum usura sit contra jus naturale, cui consuetudo derogare non potest. Quoniam declaratio illa non est absoluta, quasi S. Pontifex judicaverit, omnes illos census, qui carent conditionibus ibi expressis, esse jure naturali usurarios, sed tantum est præsumptiva, quatenus ad cavenda usuræ pericula, & ob præsumptionem quæstus statuit Pontifex, tales contractus jure positivo pro usurariis in foro externo haberi; quò positò talis declaratio, vel definitio, cum sit tantum juris positivi, consuetudine abrogari potest, & potuit. P. Engl. de Usur. n. 22. & 23. Laymann cit. c. 18. n. 10. & 11.

§. VI.

Forma emptionis venditionis est vel intrinseca, vel extrinseca.

Intrinseca consistit in consensu mutuo super merce cum pretio commutanda: ut primum enim de pretio, & merce conventum est,

U

est,

est. statim perficitur emptio venditio, ita ut mox reciprocam obligationem producat, quanquam pretium non sit numeratum, neque res actualiter tradita. *pr. Inst. h. t.* Quare minùs rectè aliqui ad substantiam hujus contractùs tria in recto requirunt, scilicet *consensum, mercem, & pretium*: ex quo in solo consensu de pretio, & merce consistit, horùmque actualis traditio tantùm executionem contractùs respicit, non verò substantiam.

Debet autem ille contrahentium consensus I. esse liber: nam invitus ut ullum contractum celebrare, ita nec emere, vel vendere quisquam cogendus est. *l. 11. C. de Contrab. empt.* & si ex metu injusto emptio, ac venditio facta fuerit, actione quod metus causà rescinditur. *l. 1. C. de Rescind. vend.*

23 II. Consensum illum oportet esse verum, non erroneum: quia si error circa corpus, sexum, ac qualitatem substantialem rei emptæ interveniat, excludit consensum. *l. si per errorem ff. de jurisdi. l. si vendas Stichum, ego verò putem, me emere Pamphilum: si vendas puellam, quam existimo puerum: si vendas æs, vel acetum, quod credo aurum, vel vinum, emptio est invalida. l. 9. l. 11. ff. de Contrab. empt. l. si sterilis §. quamvis. ff. de Act. empt.* Secùs est, si materia non est omninò diversa, sed non tam bona, vel etiam si ex diversis materiis corpus est conflatum, ut si res aenea aliquid de auro admixtum habet: quippe tunc error non operatur nullitatem. *l. 10. l. 11. l. 14. ff. de Contrab. empt. & ibi Zoës. n. 6.* Venditor tamen decepto Emptori tenebitur in id, quod ejus interest. *l. 62. ff. Eod.*

24 III. Requiritur, ut consensus sit purus. Quapropter non est perfecta venditio, consequenter nec periculum rei in Emptorem, transfert, si res sit sub conditione vendita, antequam conditio existat. *l. 7. ff. de Contrab. empt.* aut si ad numerum, pondus, vel mensuram facta

fit venditio, & res nondum fuit numerata, ponderata, aut admensa. *l. 35. §. 5. ff. Eod.* quippe sub eà conditione vendita censetur.

IV. Consensus in negotium præsens, non in futurum conceptus sit, necessum est: aliàs namque res in nudi pacti terminis subsistet, neque jure civili ullius effectùs erit, cum aliud sit vendere, aliud promittere de vendendo. Propterea non censeo emptionem contractam esse hisce verbis: *vendam tibi domum meam mille*, si alter dicat: *emam*. cum sit de futuro consensus, qui hunc contractum non constituit, nisi fortè etiam traditio accedat. *And. Fachin. lib. 2. controu. c. 5. Georg. Everhard. vol. 2. consil. 5. n. 13.*

Forma extrinseca, seu modus contrahendi emptionem & venditionem in eo est, quòd contrahi possit.

I. In scriptis vel sinè scriptis. Si in scripta fiat emptio venditio, tunc demum perfecta habetur, & poenitentiam excludit, si in scripturam redacta, ac scriptura sive publica sive privata omnibus partibus absoluta fuerit. *pr. Inst. h. t. l. ult. C. Eod. l. contractus. 17. C. de Fide instrum.* Intelligitur autem in scriptis contrahi, si partes expressè ab initio egerint, ut non valeat contractus, nisi scriptura omnibus numeris absoluta accesserit: vel si ambæ partes, vel altera earum dixerit, se velle contrahere in scriptis: *Sichard. ad d. l. 17. n. 3. C. de fide instrum.* vel etiam si paulò ante contractum, aut in actu ipso contrahendi partes petierint, ut calamus afferretur, aut ut accerteretur Notarius instrumenti conficiendi gratià: quam sententiam rebus judicatis confirmatam esse, asseverat *Frid. Andler ad Inst. h. t. n. 6.* Quòd si simpliciter facta fuerit rei venditio, & de pretio partes convenerint, ac postea dicant, in crastinum velle facere instrumentum venditionis, contractus non tam in scriptis initus, quam scriptus censetur, neque ante scripturam poenitentiae locus est

est, cum contractus jam sit perfectus; siquidem scriptura hic non tanquam essentialis consideratur, sed potius probationis causa adjecta est; quod in dubio regulariter factum præsumitur per l. 4. ff. de Fide instrum. l. 30. ff. de Rob. autb. jud. possid. Dd. communiter in d. l. 17. C. de Fide instrum.

II. Emptio venditio contrahi potest vel purè, vel sub conditione: illa statim perfecta est, hæc non prius, quam conditio impleta fuerit. pr. & §. 3. Inst. h. t. Solent autem variae conditiones, ac pacta adjici; ex quibus frequentissima additio in diem, Lex commissoria, & pactum de retrovendendo.

Additio in diem est pactum in continenti adjectum, quo id agitur inter Emptorem & Venditorem, ut liceat Venditori rem venditam addicere, seu vendere ei, qui intra certum tempus meliorem conditionem obtulerit. l. 1. ff. de in diem addit. Et hoc pactum fit aut purè, seu sub conditione resolutive, ubi hoc agitur, ut emptio statim perfecta sit, et tamen lege, ut allatâ meliori conditione ab ea recedatur, & res emptâ inempta sit. v. g. hoc modo: hic fundus tibi mille emptus esto, nisi quis intra annum meliorem conditionem attulerit, quo factô fundus inemptus esto; aut conditionate, seu sub conditione suspensiva, quando hoc agitur, ut emptio tunc demum perficiatur, si intra certum tempus non offeratur conditio melior. v. g. hoc modo: si nemo intra annum meliorem conditionem obtulerit, fundus Cornelianus centum aureis tibi emptus esto. Casu priore res statim habetur pro emptâ, & periculum protinùs est emptoris. l. 2. pr. ff. de in diem addit. isque fructus acquirit, & rem usucapere incipit. d. l. 2. §. 1. l. 4. §. 4. l. 6. ff. Eod. Quod si tamen conditio existat, hoc est, si conditio melior offeratur, emptio venditio solvitur, ita ac si nunquam fuisset facta. d. l. 2. pr. l. 9. l. 17. ff. Eod. adeoque Venditor à

priore Emptore rem cum omnibus omnino fructibus repetere potest. d. l. 4. §. 4. l. 6. l. 16. ff. Eod. Casu posteriore pendente conditione periculum est Venditoris. d. l. 2. nec Emptor fructus suos facit. d. l. 4. pr. sed recepto pretio existente conditione, eos cum re restituere tenetur; conditione autem deficiente retrò censetur purè facta, ita ut emptor ex tempore contractûs dominium, & omnia commoda acquisivisse intelligatur. Molin. tr. 2. de F. & F. disp. 379. in fin. Bonacia. de Contract. disp. 3. q. 2. punct. 7. n. 12.

Lex commissoria est pactum in continenti adjectum, quò agitur inter Emptorem, & Venditorem, ut si Emptor pretium intra certum diem non solvat, res sit inempta, & arbitrio Venditoris commissa. l. 1. l. 2. l. 4. pr. l. 5. l. 6. §. 1. ff. de Lege commiss. Et hoc pactum emptionem venditionem non conditionalem, sed puram reddit: ex quo conditio non emptioni, sed ejusdem resolutioni est addita. d. l. 1. l. 2. §. 3. ff. Pro empto. consequenter pendente hæc conditione resolutoria rei venditæ dominium, fructus, & periculum sunt Emptoris. l. 1. l. 2. l. 4. pr. & §. 1. ff. de Lege commiss. l. 3. C. de Pact. inter empt. Conditione existente, & si Emptor legi huic non pareat, ipso jure resolvitur emptio venditio, & Emptor non solum rem cum suis accessionibus, quæ ei adherent, v. g. per alluvionem, l. 6. §. 1. ff. de Lege commiss. sed etiam quoscunque fructus interim perceptos restituere tenetur. l. 5. ff. Eod. atque ob fidem fractam insuper amittit, quod arrhæ, vel alio nomine datum est. d. l. 6. pr.

Pactum de retrovendendo est pactum in continenti adjectum, quò id agitur inter Emptorem, & Venditorem, ut liceat Venditori, vel ejus hæredi rem venditam, pretio oblato vel intra certum tempus, v. g. intra decennium, vel quocunque tempore redimere, c. 5. h. t. l. 2. C. de Pact. inter empt. & vend.

vernaculâ dicitur ein *Wiberkauff*. Et hoc pactum sive ad certum, sive ad incertum tempus conceptum sit, sine usuraria, aut alia iniquitate emptioni venditioni adjici, communis traditio est, nisi concurrant conjecturæ, ex quibus contractus usurarius, & illicitus præsumitur, velut si concurrant pactum de retrovendendo, modicitas pretii, & quod Emptor solitus sit fœnerari; quæ tres conjecturæ à S. Pontifice perpenduntur in *d. c. 5. h. t. Covar. Var. resol. lib. 3. c. 3. n. 8. Tiraquel. de Retr. convent. in præfat. n. 5.* Effectus ejus est, quod Emptor ejusque hæres post oblatum pretium à Venditore per actionem ex vendito cogi possit ad rem retrovendendam. *d. l. 2. C. de Pact. inter Empt. & Vendit.* fructus tamen ex fundo cum pacto retrovenditionis empto perceptos ita suos faciat, ut Venditori eosdem restituere minimè teneatur: cum medio tempore sit dominus rei, suæque rei fructus lucratur. *l. 49. §. 1. ff. de Rei vindic. d. l. 2.* quæ tantum loquitur de rei restitutione, à qua distant fructus. Quod verum est ante oblationem pretii à Venditore factam, secus post, per text. in *l. 2. & l. 6. C. Eod.* Fructus pendentes tempore prioris contractus, si veniat idem pretium, quod datum, reddendum, videntur unà cum restituendi, aut saltem eorum pretium: quia fuerunt pars fundi, cum quo venditi. *l. Julianus 13. §. si fructibus. ff. de Act. empt. d. l. 2.* quæ vult oblatio pretii, quidquid ab Emptore, perceptum est, Venditori retrahenti restitui, ita ut hoc solum Emptori relinquatur, ut impensas in fundum colendum eò animò factas consequatur non solum exceptione doli, sed etiam actione ex empto: quandoquidem fructus intelliguntur deductis expensis. *l. 7. ff. Solutio matr. Zoël. ad ff. tr. de Retr. convent. n. 37.* cum citatis. Dissentit. Covar. *l. 1. Var. resol. c. 15.* cum aliis existimans, fructus pendentes pro rata temporis inter Emptorem, & Venditorem esse dividendos.

III. Contrahitur emptio venditio sæpe sine arrha; nonnunquam interveniente arrha ad majorem probationem. Ubi probè inquirendum: an arrha adjecta sit emptioni contrahendæ, vel contractæ? Si contrahendæ, est in arbitrio partium vel perficere contractum, & sic arrham recipere, aut in partem pretii computare: vel pœnitere seu à contrahendo abstinere, quo casu, si resilit, qui arrham dedit, perdit eam, & lucratur, qui accepit; si resilit, qui accepit, tenetur duplum restituere, *pr. Inst. h. t. l. contractus. 17. C. de Fide instr. Menoch. de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 2. cas. 187. Fachin. l. 2. controuv. c. 97.* Præter arrharum amissionem autem ad interesse non tenetur recedens, eò quod contrahens, dum arrham dedit, eam non tantum in argumentum emptiois contrahendæ, verum etiam locò interesse, si scilicet pœnitentiâ ducatur, dedisse, & Venditor hoc sine acceptis præsumitur per *d. l. contractus. 17.* quæ de sola arrharum amissione disponit, nullâ factâ mentione de interesse. Salicetus in *d. l. contractus. §. illud. Fachin. lib. 2. controuv. 28.* Si arrha adjecta sit emptioi jam contractæ, probabilis est, non licere ab ea recedere invito altero, etsi recedens velit vel arrham perdere, vel duplum restituere arg. *l. 35. pr. ff. de Contrab. empt. l. 5. C. de O. & A. l. 3. & 6. C. de Rescind. vend.* & ratio est: quia emptio sine arrhis celebratâ, ab ea sine communi consensu recedi non potest. *d. l. 5. C. de O. & A.* ergo multò minus, ubi arrhæ intervererunt, ut quæ confirmandæ, non infirmandæ obligationis causâ accesserunt, eòquetendunt, ut per eas contrahens fortius obligetur ad implendum contractum. *d. l. 35. pr. ff. de Contrab. empt.* Et sanè per absurdum foret, id, quod ad majorem contractus confirmationem additur, ad ejus infirmationem inflecti arg. *l. 19. pr. ff. de Legat. 1. l. 19. ff. de Instr. vel instr. legat.* Dissentit Richard. *ad cit. l. contractus. §. illud.* per

per illum textum. Ast hic de contractu nondum perfecto intelligendus est, ut insinuatur verba: *super faciendâ emptione.*

§. VII.

Finis emptionis venditionis est, ut necessaria res inter homines facilius commutentur, & perpetuâ pecuniâ æstimatione difficultatibus permutationum subveniantur. *l. 1. pr. ff. de Contrab. empt.*

§. VIII.

Effectus emptionis venditionis alius est proximus, alius remotus. Proximus est mutua, seu reciproca obligatio Emptoris, & Venditoris.

Emptor obligatur I. ad solvendum pretium, & quidem hoc effectu, ut nummos faciat Venditoris. *l. 11. §. 2. l. 13. §. 10. ff. de Act. empt.* Quamobrem si Emptor solvat nummos alienos, non liberatur, sed talis manet Venditori actio contra Emptorem, ut vel alios solvat, vel si soluti jam sint consumpti, ut se indemnem servet. *l. 7. C. Eod.*

II. Obligatur præstare usuras post traditionis diem, & moram: æquissimum enim est, cum Emptor, & pretio fruatur, eum usuras pretii Venditori solvere. *d. l. 13. §. 20. ff. l. 5. l. 13. C. de Act. empt.* An verò Emptor ante rei traditionem ad usuras pretii non soluti teneatur? meritò dubitatur: eò quòd citata *Leges* solum loquantur de mora post diem traditionis, & ratione perceptorum fructuum per Emptorem ex possessione rei, quam nactus fuerat. Unde complures eum Baldo ad *l. 1. C. de Bon. mater.* in negativam declinant. Sed rationi juris magis affirmativam convenire autumo: ex quo usurarum præstatio non tam in mora Emptoris post traditionem consistat, quam in æquitate illa, ne Emptor pretium retineat, & unâ lucretur fructus ex re vendita perceptos, qui etiam ante traditionem ejus sunt. Id quod innuere videtur Ulpianus in *d. l. 13. §. 21. ff. de Act. empt.* dum ait:

possessionem autem traditam accipere debemus, etsi precaria sit possessio: hoc enim solum spectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi. Covar. *Var. resol. lib. 3. cap. 11.* Zoël. *ad ff. de Act. empt. n. 24.* Clariss. DD. Weigler *de Oblig. ex Consens. q. 25.* Illud communiter conclusum est: quòd, si Emptor fructus ex re vendita, utpote sterili, nullos perceperit, nec usuras debeat per *d. l. 5. C. de Act. empt. l. 16. in fin. ff. de usur.* Fachin. *l. 2. c. 31.*

III. Emptor obligatur ad refundendas impen-34
sas necessarias, & utiles, quas verisimile est, etiam Venditorem fecisse, si ipse rem habuisset. *d. l. 13. §. 22. ff. de Act. empt. l. penult. C. Eod.* sicut & ad resarciendum damnum, quod Venditor ex re vendita propter moram Emptoris accepit *l. 1. §. 3. ff. de Peric. & com. rei vend.* Zoël. *ubi supra n. 26.*

Opportunè hic queritur: an & quando 35
periculum rei venditæ ad Emptorem spectet? In qua questione emptionem venditionem perfectam secerno ab imperfecta, &

Respondeo I. Emptione perfectâ statim transit periculum ad Emptorem, etsi nec traditio mercis, nec solutio pretii facta sit, adeò ut si domus empta in cineres abeat, equus Venditori auferatur, vel fundus terræ motu absorptus sit, Emptor nil petere, aut accipere possit, & nihilominus totum pretiû Venditori solvere teneatur, non secus, atque si rem accepisset. *§. 3. Inst. h. t. l. 7. 8. & 11. ff. l. 1. 4. & fin. C. de Peric. & comm. rei vend.* tum quia licet dominium rei venditæ ante traditionem non transeat ad Emptorem, naturali tamen æquitati consentaneum est, ut Emptor vovens habere compendia, & fructus rei venditæ, utut nondum traditæ, etiam sentiat incommodum, & periculum, ita ut sicut vult rem sibi, quasi esset dominus, fructificare, ita etiam ferat quasi esset dominus, sibi perire; tum quia Venditor solum tenetur actione per-

personali, & viceversa Emptor, si pretium nondum solvit; ergo si Venditori redditur impossibilis traditio rei, extinguitur obligatio tradendi; e contra verò quia manet emptori possibilis solutio pretii, hæc non extinguitur. Néque obstat regula definiens, *rem perire suo Domino*; ut quæ exceptionem patitur, quando Dominus rei idem est & debitor ejusdem, prout est Venditor in re vendita ante traditionem. Et hæc, quæ dicta, vera sunt, si certa species, seu individuum venditum sit; secus, si genus, arg. l. 8. ff. de Peric. & comm. rei vend. vel res aliqua indeterminata. l. 34. §. 6. ff. de Contrab. empt. Harp. Schneid. Hoppius, & alii Interpp. ad §. 3. Inst. h. t.

Respondeo II. Emptione Venditione nondum perfecta res regulariter perit damno Venditoris; tamen si pretium pro ea re solutum jam fuerit, quod in tali casu Emptori restituere tenetur Venditor. Censetur autem quoad materiam periculi emptio venditio imperfecta, si celebrata sit in scriptis, & instrumentum necdum sit absolutum; pr. & §. 3. Inst. h. t. l. 4. C. de Peric. & comm. rei vendit. Si adjecta sit conditio, eaque pendente res vendita perierit. l. 8. ff. l. 5. C. Eod. Sed hoc, si tota res perierit: nam particulare damnum, & deterioratio rei nihilominus ad Emptorem pertinet: d. l. 8. Harpp. ad §. 3. Inst. h. t. n. 9. Si res ad explorationem, v. g. vinum ad gustum, equus ad probationem vendatur, antequam gustatio, vel probatio fiat: l. 1. & 4. §. 1. ff. de Peric. & comm. rei vend. Si res empti sit ad pondus, numerum, vel mensuram, priusquam ad mensio, ponderatio, vel numeratio facta fuerit. l. 35. §. 5. 6. & 7. ff. de Contrab. empt. l. 2. C. de Peric. & comm. rei vend. Aliud est, si res per aversionem, vulgò *Uberhaupt*; v. g. integrum vini dolum, grex ovium, aut acervus tritici ematur: tunc enim periculum statim Emptoris est, quod Venditor in eum tali casu avertere dicitur. d. l. 35. §. 5.

Venditor obligatur I. ad rem venditam præcisè tradendam, nec præstando interesse liberatur, si rei tradendæ facultatem habeat. §. 2. Inst. de Donat. l. 2. l. 3. l. 11. §. 2. l. 30. l. 46. l. 50. ff. de Act. empt. l. 10. C. Eod. l. 6. C. de Rescind. vendit. Pro qua sententia ipsa æquitas militat, quæ non patitur, ut Emptor periculum rei sustineat, & rem consequi non possit, imò ob perfidiam Venditoris adstringatur ad difficillimam probationem ejus, quod interest. Frideric. Andler ad Instum. b. t. num. 5. Panormit. ad c. cum Joanni. num. 16. de Fide instr. Zoël. ad ff. de Act. empt. Néque contrariantur l. 1. l. 11. §. 9. l. 12. ff. l. 4. l. 10. & 12. C. de Action. empt. l. 17. C. de Fide instrum. aliique textus, qui statuunt, Venditorem præstando interesse liberari: illi siquidem, dum ad interesse obligant, non propterea liberant à traditione, sed loquuntur de casu, quo Venditor tradendi facultatem amplius non habet, ut si res morà, aut culpâ ipsius interierit, vel si Emptor amplius traditionem rei urgere nolit, sed præstatione interesse contentus esse præoptet, ut insinuat cit. l. 10. & 12. C. de Action. empt. Dissentiunt Fachin. l. 2. Controv. c. 30. Mynsing. cent. 1. observ. 53. Covar. Var. resol. lib. 2. c. 19. n. 1. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 28. l. 2. Lit. C.

II. Venditor Emptori rei venditæ vacuum possessionem unà cum fructibus tam pendentibus, quam post perfectum jure contractum perceptis, & reliquis commodis tradere tenetur, nisi de fructibus aliter expressè conventum fuerit. §. 3. F. h. t. l. 13. §. 10. & 18. l. 17. §. 2. ff. l. 2. l. 13. & 16. C. de Action. empt. Unde si vinea empti sit pendentibus adhuc uvis, traditio autem primùm facta post fructus collectos, eosque Emptor consecutus non fuerit, tantum de pretio detrahere poterit, quanti fructus pendentes estimabantur, per *jurâ citata*. Sumpcus tamen

men, si quos Venditor bonâ fide fecerit, ei restitui debent. *d. l. 13. §. 22. ff. & l. 16. C. de Act. empt.*

III. Venditor obligatur etiam tradere omnia rei appertinentia, quæ quasi partem rei constituunt, ac propter rem habentur. *l. 13. §. fin. l. 14. l. 15. l. 16. ff. de Act. empt. l. 71. & 76. ff. de Contrab. empt. uti sunt territorium, & jurisdictio Castro vendito annexa: Mantice. de Tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 14. à n. 5. pali vineæ lupuli: l. 17. §. fin. ff. de Act. empt. regulæ ædificii l. 10. §. 2. ff. Eod. taberna, conclave, stabulum, aut hortus ædibus venditis contiguus, præsertim si diu ad eas pertinuerit, aut illarum causa comparatus sit. *l. 91. §. 5. ff. de Legat. 3. Berlich. p. 2. dec. 191. n. 44. & seqq. sicut & alia annexa domui, secundum usum vendentis. l. 40. §. fin. ff. de Contrab. empt. item servitutes itineris, viæ, aliæve fundo vendito debitæ, quæ, ne per ignorantiam non utendo amittantur, Emptori indicari debent. *l. 66. §. 1. ff. Eod. Zapoll. in tr. de Servit. urb. præd. c. 38. n. 3. Boër. dec. 322. n. 6.***

IV. Venditor rem tradere debet cum effectu, saltem ut Emptori rem habere liceat. *l. 11. §. 8. l. 30. §. 1. ff. de Act. empt. Dominium in Emptorem transferre haud tenetur, *l. 25. §. 1. ff. de Contrab. empt. nisi Dominus sit: tunc namque, quia dominium vendidit, illud tradat, oportet, neque alia potest in hoc contractu esse intentio contrahentium, quam de dominio transferendo. l. 80. §. fin. ff. Eod. Quamvis verò Venditor dominium habeat, atque ex hac causa rem tradat, dominium tamen Emptori non aliter acquiritur, quam si Venditori pretium solverit, quandoquidem Venditor sub spe præsentis numerationis, & sic quasi sub conditione hac rem tradidisse censetur, consequenter si pretium solutum non fuerit, res maneat in dominio Venditoris. *§. vendita. 41. Inst. de rer. divis. l. 19. l. 53.***

*ff. de contrab. empt. & Venditor in concursu Creditorum præferendus est, atque rem venditam vindicare potest. l. 4. ff. de Pignorat. act. Nisi forsan fidem de pretio habuerit, sive expressè, ut si ita convenerit; sive tacitè, ut puta si fidejussorem, vel pignora acceperit, aut terminum ad solvendum assignaverit per jurâ allegata. Aliàs, quia fidem habere facti est, ex solo facto traditionis fidem habuisse non præsumitur, arg. *l. 12. §. 2. ff. de Captiv. & postlim. revers. Hoppius & alii ad d. §. vendita. 41. Inst. de Rev. divis.**

V. Si res aliena vendita, eaque vel tota, vel pro parte evicta fuerit, Venditor tenetur de evictione, etsi nihil de ea inter partes actum, vel cogitatum sit. *l. 11. §. 2. ff. de Action. empt. l. 60. ff. l. 6. l. 25. C. de evict. ita nimirum, ut Emptorem post litem motam in foro rei conventi quoad rem venditam defendere, liti assistere, & probationes afferre cogatur, *l. venditor. ff. de Judic. l. 1. C. Ubi in rem actio. & si res evicta fuerit, ipsi pretium rei, quo fuit emptâ, restituere, *l. 13. ff. de Eviction. nec non interesse particulare, quanti scilicet interest, rem non esse evictam, solvere debeat, *d. l. 11. §. fin. l. 43. in fin. ff. de Act. empt. l. 60. l. 70. l. 74. ff. de Evict. Hinc evictionis præstatio Germanis dicitur da Gewehr, vel Wehrschafft, item Schadloshaltung.****

Sunt autem casus aliqui, in quibus Venditor Emptori non præstat evictionem. Primus est, si Venditor bonâ fide existimavit, rem esse suam, & ne de evictione teneretur, cum Emptore convenit. Molin. de *J. & J. disp. 380. n. 20. Secundus, si Emptor rem alienam, aut alteri obligatam scienter emit: sibi enim imputet damnum, quod per evictionem patitur. *l. si fundum. 27. C. de Evict. l. 7. C. Commun. utriusque judicii. Tertius, si Emptor Venditorem non laudavit, hoc est, ei litem motam super re emptâ non statim,**

aut

aut saltem post lris contestationem ante publicationem testium, vel conclusionem in causa denunciavit, ut ad causam defendendam veniret. *c. 7. & ult. h. r. l. 53. §. fin. l. 74. §. mora. ff. l. 20. l. 11. l. 23. C. de Eviction.* Quæ denuntiatio probabilis necessaria est, licet Venditor litem Emptori motam aliunde sciat. Panorm. in *c. ult. h. r. Covar. var. resol. lib. 3. c. 17. n. 3. Fachin. lib. 2. c. 35.* eò quòd in mora non nisi interpellatus constituitur. *l. 32. ff. de Usur. l. 23. l. 84. ff. de V. O. Quartus*, si factò Emptoris evictio imputari potest; veluti si in arbitrium compromisit, aut in Judicem extraneum consensit, & hi contra eum pronuntiârunt: *l. 56. §. 1. ff. de Evict.* vel si ob ejus contumaciam sententia condemnatoria lata fuit. *l. 51. ff. & l. 8. C. Eod.* vel si eum potuisset rem usucapere non cœpit, aut præscriptionem, quam potuisset interrompere, non interrupit. *d. l. 56. §. 3. Quintus*, si res evicta, & adjudicata sit actori per errorem, imperitiam, sordes, aut aliam injuriam Judicis: quoniam ejusmodi evictio imputatur casui fortuito, quò illatum damnum non ad venditorem, sed emptorem pertinet. *l. 51. ff. de Eviction. Molin. cit. disp. 380. n. 20.*

VI. denique Venditor Emptori tenetur resarcire damnum dolò, culpâ latâ, vel levi datum. *l. 35. §. 4. l. 98. pr. ff. de Contrab. empt. l. 36. ff. de Act. empt.* Quin etiam ad instrumenta authentica ad rem venditam pertinentia tradenda. *l. 48. l. 52. ff. Eod.*

40 *Effectus remotus* emptionis venditionis est actio empti, & venditi. *Actio empti* datur Emptori, & ejus hæredibus adversus Venditorem, & ejus hæredes ad consequendum id, quod ex obligatione Venditoris debetur. *l. 11. ff. de Act. empt. Actio venditi* competit Venditori, & ejus hæredibus contra Emptorem, & ejus hæredes ad consequendum, quod Emptor debet. *l. 13. §. 19. & seqq. ff. Eod.*

Ubi illud monendum; ut si quis has actiones cum effectu movere velit, à sua parte contractum completum habeat; alioquin inutiliter aget. Itaque si Emptor actionem empti intendit, necessum est, pretium Venditori solutum esse: si enim hoc factum non fuerit, semper exceptione pretii non soluti repellitur. Pari ratione Venditor, antequam rem tradidit, inutiliter agit actione venditi: nam & ei obstat exceptio rei non traditæ. *d. l. 13. §. 8. & l. 25. ff. Eod.*

§. IX.

Contraria Emptionis - Venditionis sunt modi, quibus ea rescinditur. Rescinditur autem.

I. existentia conditionis, quæ resolutioni contractus est apposta, per ea quæ *supra n. 27. & seqq.* diximus.

II. mutuo dissensu contrahentium re integrâ, *§. fin. Inst. Quib. mod. toll. oblig. l. 23. & 5. ff. de Rescind. vend.* idque ob rationem *l. 35. ff. de R. l.* ubi nihil tam naturale esse traditur, quam unumquodque eo genere, & modo dissolvi, quo colligatum est. Addidi: *re integrâ*; enim verò si res non amplius esset integrâ, sed traditio rei, vel solutio pretii jam tum sublecuta, præter dissensum opus foret retrotraditione. *l. 58. ff. de Paell. l. 1. C. Quando lit. ab empt. reced.*

III. ob latens, & internum cujusvis rei vitium adminiculante *Adilitio edicto*, è quo duæ actiones promanârunt: una, quæ *redhibitoria* dicitur: altera, quæ *affimatoria*, seu *quanti minoris*. Illa venditionem in totum rescindit redditâ re morbosâ, & vitiosâ, refusòque pretiò, & cæteris omnibus in priorem statum restitutis: Hæc venditionem tantum pro parte solvit, & eò tendit, ut Venditor restituat excessum pretii, seu quanti minoris res ob vitium, cum vaniret, fuit. *l. 16. ff. de Edil. edict.* Illa tunc locum habet, quando vitium est ejusmodi, ut si ab Emptore

sollet cognitum, res non fuisset empta, nequidem pro minore pretio, quia forte nihil ad finem Emptoris conducebat: Hæc tunc quando cognito vitio res nihilominus fuisset empta, sed pro minore pretio. *l. 11. §. 3. l. 13. pr. ff. de Act. empt.* Illa per sex menses utiles à die contractus vel promissionis: Ista per annum utilem à die scientiæ datur. *l. 19. §. ult. l. 38. ff. de Edil. edict. l. 2. C. Eod.* Confer Clariss. D.D. Woller in *Quæst. select. univ. jur. q. 15. per tot.*

44. IV. Rescinditur emptio venditio ob læsionem ultra dimidium circa dolum factam, quam immodicam, enormem, aut enormissimam DD. vocitant. *l. 2. C. de Rescind. vend. c. 3. & 6. b. t.* quippe Venditor, si pecunia, quam accepit, non est tanti, quanti est rei suæ, quam alteri dedit, dimidium; ut si pro re sive mobili, sive immobili valente centum, minùs, quam quinquaginta accepit, actione ex vendito agere potest contra Emptorem, ut vel rescisso contractu rem emptam restituat, aut quod iusto pretio deest, suppleat, quanquam defectus ille contigisset in unico nummo. Bald. *ad d. l. 2. n. 16.* Georg. Widmann *tr. de Contract. tit. 11. n. 18.* Similiter Emptor, si res, quam accepit, non est tanti, quanti est pecuniæ suæ, quam alteri dedit, dimidium, ut si pro re sive mobili, sive immobili valente centum solvit ultra ducentos, rectè actione ex empto ager, aut ad corrigendam inæqualitatem, aut ad rescindendam venditionem: etenim licet in *citatis iuribus* solum Venditoris læsi, & rerum immobilium fiat mentio, æquitas tamen, & qualitas inter contractantes, seu correlativa, servanda exigit, ut sicut Venditori, ita etiam Emptori ultra dimidium læso succurratur, neque tam conditio rei, quam læsio, & gravitas damni attendatur. *Co. var. 2. Var. resol. c. 3. n. 8. Fachin. lib. 2. contr. c. 16. Clariss. DD. Gletle p. 3. quæst. select. q. 24. n. 6.* quidquid contradicat Cujas. *Obs. 16. n. 18.*

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

Verùm hoc beneficium, ac restitutio cessat, si Venditor pretii defectum, aut Emptor excessum donavit arg. *l. 21. C. Mand. l. 38. ff. de Contract. empt.* Id quod colligitur, si clausula adda ut donationis ejus, quod res pluris valet. Bald. *in d. l. 2. n. 10.* Sam. Stryk. de *Cautel. contract. sect. 2. c. 8. n. 28.* vel si læsus seivit valorem rei arg. *l. 53. ff. de R. J. de l. 38. & 57 §. 2. ff. de Contract. empt.* Quapropter si instrumento emptionis clausula inserta, quod Venditor ex certa scientia rem vendiderit, seu ut in vernacula sonant verba: *wolbewust/ und wolbedacht/ læsus* ultra dimidium contractum rescindi petere non potest, cum clausula illa Venditorem præsumptione scientiæ gravet. Menoch. *consil. 1. n. 952. & seqq.* Vel si Contractantes huic remedio non generaliter tantum, sed expressè & specialiter renuntiaverint arg. *l. 14. §. 9. ff. de Edil. edict. D.D. Gletle cit. q. 24. n. 27. & 28. P. Engel b. t. n. 6.*

V. Huc refertur *retractus gentilitius*, sive, ⁴⁵ ut vulgò appellant, *jus protomiseos*, germanicè *das Einstand Recht* quod nil aliud est, quam jus prælationis, quod proximo Venditoris consanguineo conceditur facultas rem immobilem extraneo venditam ad se intra certum tempus retrahendi, oblato eo pretio, quod extraneus exposuit.

Hæc definitio uno quasi fasciculo omnia hujus materiæ requisita complectitur, quorum primum est, ut retrahens sit consanguineus, & quidem proximus Venditoris, non primi acquirentis. Gail. *2. obs. 19.* Mynsing. *cent. 3. observ. 51. n. 1.* Zoël. *ad ff. de Retract. n. 48.* Clericus sit, an Laicus? non attenditur ex quo Clericus non exie de familia; nisi adjuncta essent talia servitia, quæ præstare non ferret dignitas Clericatus. Gomez. *ad L. Tanri 70. n. 7.* Religiosum, vel locò ejus Monasterium retrahere non posse, eò quod per talem retractum res non maneat

X

in

in familia, consequenter deficiat ratio retractus, docet Tiraquel. *de Retract.* p. 1. §. 1. gloss. 8. n. 19. & 20. P. Engel *h. t.* n. 24. Secundum, ut res vendita non solum sint immobiles (quibus connumerantur decimæ, aliæque jura. Tiraquel. *d.* §. 1. gloss. 7. n. 33. sed & avitæ Stammem Erbgieter / aut patrimoniales. Cothman *vol.* 1. *consil.* 38. n. 4. Quod si partim patrimoniales, partim non patrimoniales unâ venditione distrahantur, poterit retrahens res patrimoniales retrahere, omisso retractu rerum non patrimonialium. *c. constitutus.* 8. *de in integ. rest.* Gomez. *ad L. Tauri.* 70. n. 15. Tertium requisitum est, ut retractio fiat intra annum à die scientiæ, id est, à die, quò venditio retrahenti innotuit. *c. 8. de in integ. rest. tit. 9. §. fin. Feud.* 2. Gail. 2. *observ.* 19. n. 11. Welenbec. *consil.* 35. n. 87. Tempore elapso expirat hoc beneficium. arg. *l. de statu lib. §. Stichum.* ff. *de Legat.* 2. & non tantum proximus & Consanguineus, sed nec subsequentes retrahere queunt, siquidem à venditione consummata omnibus tempus currit. arg. *l. 4. ff. de Edil. edict.* Zoël. *loc. cit.* n. 123. dum his æquè, ac illis intra id temporis spatium agendi facultas fuit, Judicemque adire, & petere potuissent, ut proximiori tempus præfigat, intra quod aut ipse agat, aut alios ad agendum admittat. Gomez. *ad L. Tauri.* 70. n. 21. Quartum est, ut proximus Consanguineus primo Emptori offerat totum pretium cum omnibus sumptibus & expensis, ita ut servetur indemnitas per *l. 27. ff. de Edil. edict.* vel si Emptor accipere nolit, apud Magistratum deponat, petita rei restitutione arg. *l. 39. ff. l. 9. C. de Solut.* Tiraquel. *de Retr.* p. 1. §. 9. gloss. 3. Justum autem pretium est, non quod retrahenti videtur, sed quantum extraneus Emptor sine fraudis consilio solvere promisit, etiamsi justum pretium excedat. Bald. *in l. 2. in fin. C. de Rescind. vend.* Boët. *dec.* 143. Quintum, ut quis in

suum, non alterius commodum retrahat, cum jus hoc personale tantum ratione sanguinis competat, adeoque nullus extraneus ejus particeps fieri possit. P. Engel. *h. t. sub. n. 24.*

VI. Rescinditur emptio venditio, si Judent ex causa meius, doli, ætatis, vel alia restitutionem in integrum indulgeat. *l. 5. §. 8. l. 5. §. 18. C. de Rescind. vend.* Sed de his alibi.

•••••

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

Empitioni - venditioni sicut simillima, ita tractationis ordine proxima est Locatio Conductio, & quæ hujus species est, Emphyteusis.

Pars I.

De Locatione, & Conductione.

SUMMARIA.

1. Locationis definitio nominalis. 2. Definitio realis. 3. 4. 5. Divisio. 6. Origo. 7. Qui possint, & qui non possint inire hunc contractum? 8. usque 13. Quæ res? 14. Quæ opera locari queant, quæ non? 15. 18. Qualis debeat esse mixta? 17. Assignantur requisiti locationis conductionis. 18. Finis. 19. 20. Quæ sit obligatio locatoris? 21. Usque 23. Quæ conductionis? 24. Quæ inde competat actio? 25. Quibus modis rescindatur hic contractus?

§. I.

Locatio - Conductio unus quidem contractus est, distincta tamen pacta: nam ex parte Locatoris appellatur Locatio, Verlethung / Vermithung / Verpachtung / Verdingung / ex parte Conductoris verò Conductione, Bestand / Miethung / Zahlung / Verdingung. Sæpissimè tamen alterutro vocabulò totus significatur contractus. *l. 4. ff. h. t. l. 20. ff. de Action. empr.*

III. tit. XVIII. Tit. XVIII. §. II.

§. II.

Definitur locatio conductio, quod sit contractus bonæ fidei consensualis de rei usu, vel operis personæ pro certa mercede concedendis. Clariss. D.D. Gletle ad Inst. b. t. n. 1.

§. III.

Dividitur Locatio conductio I. in regularem, & irregularem. Illa est, quando species, hæc, quando res fungibilis locatur. Dicitur autem irregularis, quia mutuum sibi admixtum habet, & contra naturam locationis non tantum usum, sed etiam dominium in Conductorem transfert, de qua vide l. 31. ff. b. t.

II. Dividitur in locationem rerum, seu fruendi, & in locationem operarum, seu faciendi.

Locatio rerum, seu fruendi est, quæ usus rerum, v. g. adium, fundi, libri, &c. conceditur. l. 9. pr. ff. b. t. Quod refertur I. admodio, quæ redditus alicujus Provincie æstimantur, & Conductori percipiendi conceduntur, certò pretiò, seu mercede constitutâ:

Wann ein Herr einem Ampt. Mann das Einkommen eines Districts, oder Amtes um eine gewisse Summa Gelds admodio verpachtet, oder verarrestirt. Besold. Thesaur. pract. V. admodio. II. Contractus affictus quò prædium rusticum non pro pecunia, sed pro parte fructuum, videlicet umb die Helfft/ umbs Drittel impensis, & periculo conductoreis locatur, qui propterea colonus partiaris, aut dimidiarius, Halbbauer/ nuncupatur, l. 35. in fin. ff. l. 21. C. b. t. Panormit. in c. 3. n. 14. h. t.

III. Conventio, quæ oves, & vacca certò pretiò æstimatæ solent eâ lege locari, ut Conductor quot annis de singulis certam quantitatem lanæ, butyri, vel casei solvat; quæ conventio socida ab Italia vocitatur, & germanicè das Bieh bestellen/ austhun/ in Pacht thun/ verlesphen. Jo. Or. Tabor, qui peculiarem tractatum de jure socida scripsit.

Locatio operarum, seu faciendi est, cum

quis operas suas alteri pro certa mercede promittit. Quam duplicem communiter faciunt Interpp. aliam operarum in specie sic dictam. cum quis operas suas locat ad certum aliquod opus faciendum v. g. ad pingendam tabulam aut ædes extruendas. l. 22. §. 2. ff. b. t. hoc discrimine, quod in locatione operarum, sicut in locatione rerum, is locator salutetur, qui mercedem accipit, qui verò dat, Conductor. l. 21. C. Eod. in locatione autem operis uterque & locator, & conductor sub diverso respectu, operarum, nimirum, & operis, appellari consueverit. l. 2. ff. ad Leg. Rhod. de fact. d. l. 22. §. 2. ff. b. t. Hoppius ad pr. Inst. Eod. ubi advertit in ordine ad actionem locati aut Conducti eum locatorem dici, qui inchoat contractum, seque priùs alteri obtulit; conductorem verò eum, qui placitum offerentis suscipit.

III. Locatio conductio alia est, quæ fit ad tempus modicum, puta ad triennium, quinquennium. Alvar. Valasc. de Jure emphyt. q. 29. n. 1. Et hæc ad modicum tempus locatio nullum dominium, nec possessionem transfert. Idem q. 20. n. 6. & d. q. 29. num. 1. Alia, quæ fit ad longum tempus, puta decennium, & plures annos. Et hanc locationem Conductori jus reale, ac dominium utile tribuere, credunt Practici Carpov. l. 5. Resp. 17. num. 10. Carl. de Expens. c. 14. n. 1. & seqq. Matth. Steph. de Jurisd. l. 3. p. 1. c. 17. n. 12. At in puncto juris per locationem nullum jus reale transire ad Conductorem, perspicuè insinuat l. 24. §. fin. l. 29. ff. l. 10. C. b. t.

§. IV.

Causa efficiens Locationis conductionis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus Gentium, quod necessitas & usus efflagitavit, & non simplici ratione, sed per discursum tacitâ quasi conventionione ab omnibus pene Gentibus receptum, usurpatumque est. S. 2. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. ff. b. t.

X 2

Pro-

- 7 Proxima sunt contrahentes, Locator, & Conductor; qui si conduxit prædium urbanum, *inquilinus*; l. 19. §. 4. & 5. ff. h. t. si prædium rusticum, *colonus*; l. 35. & 6. ff. Eod. si opus, *redemptor*; l. 60. §. 3. ff. Eod. si vectigalia, *publicanus* indigitatur. Possunt autem contractum locationis, & conductionis inire omnes, qui emendi, vendendique facultatem habent, nisi specialiter prohibeantur. Molina, Filiucius, & alii apud Bonacin. de Contract. disp. 3. q. 7. punct. 1. n. 9. Sunt verò in prohibitorum numero I. Clerici, & Monachi, quibus non licet conducere prædia Laicorum. c. 1. causa 21. q. 3. c. 1. Ne Clerici vel Monach. intellige, si conductio fieret in ordine ad lucrum, & quæstus causâ. secus, si ex causa necessitatis domesticæ. d. c. 1. Ne Clerici vel Monach. Cæsar de Panimoll. dec. 71. n. 26. & seqq. II. Milites, & Curiales, qui obstructi, & obligati sunt Curia: his enim vetitum est conducere prædia ad colendum, l. 30. l. 31. C. h. t. III. Tutores, & Curatores, qui quam diu administrant, aut rationes tutelæ, vel curæ non reddiderunt; non admittuntur ad conducenda prædia fiscalia, ne pupillus, vel fiscus damnum sentiat. l. un. C. Nator. vel curat. vectig. conduc. l. 1. §. 9. ff. Ad Leg. Cornel. de fals. Escobar. de Ratioc. c. 4. n. 26. IV. Fabri, Vietores, alique Artifices, qui artem streperam exercent; quippe hi prohibentur conducere domum vicinam habitationi Magistrorum, aut Professorum, quando alioquin eorum voces confunderentur, arg. l. un. C. de Stud. liberal. Urb. Roma. Quæ tamen prohibitio hodie in usu non est, nisi Magistri reclamant, ut notat Bonacin. d. q. 7. punct. 1. n. 2.
- §. V.
- 8 Materia, sive objectum locationis conductionis ex parte Locatoris est ulus rei, vel operæ, ex parte conductoris merces.
- Res regulariter omnis rectè locatur, & con-
- ducitur, sive mobilis sit, sive immobilis: sive corporalis, sive incorporalis. arg. l. 34. §. 1. ff. de Contrah. empt. Georg. Widmann de Contract. tit. 12. n. 11. Et non solum res propria, sed etiam aliena, ex quo per hunc contractum non transferitur in Conductorem jus aliquod reale, sed tantum personale. l. 7. l. 8. l. 9. §. 6. ff. h. t. Sic conductor rem sibi locatam potest locare alteri, si nihil aliud convenit. d. l. 7. ff. & l. 5. C. h. t. & multo magis Vallus rem feudalem, Emphyteuta rem emphyteuticam, usufructuarius rem usufructuariam per l. arboribus l. 2. §. 2. ff. de Usufr. d. l. 9. §. 1. ff. h. t. Sed ex sententia Mynsingeri cent. 6. observ. 30. Herman. Vult. in r. de feud. lib. 1. c. 10. n. 65. & Georg. Widmann loc. cit. n. 19. absque consensu Domini locare possunt ad tempus duntaxat modicum, quod est infra decennium, non ultra, de quo tamen haud immerito dubitaveris propter dicta n. 5. Porro si quis rem plane alienam, in qua nec dominium utile, nec ulum, aut usufructum habet, alteri locet, eatenus valet locatio, ut Conductor ad totum id, quod suâ interest, re conductâ uti, aut frui non possit, Locatorem convenire possit, sive deinde bonâ, sive malâ fide rem talem locaverit per cit. l. 7. 8. & 9. pr. ff. h. t. quanquam hic à præstatione interesse liberetur, si rem similem æquè commodam præstet, d. l. 19. pr. vel justam ignorantiam doceat. l. 33. ff. Eod. Franch. ibid. n. 46.
- Excipiuntur I. servitutes prædiales, ut sunt iter, actus, via, jus pascendi oves, vel pecora. l. 44. ff. h. t. ibi: locare servitutem nemo potest propterea: quia locatio fit ad tempus, hæ autem servitutes ad tempus constitui nequeunt l. 4. ff. de Servit. Godofr. in vox. ad d. l. 44. lit. C. Aliud dicendum de servitutibus personalibus, usufructu scilicet, & habitatione, excepto usu. §. 1. & 5. Inst. de Usu. & habit. l. 8. l. 11. & 12. §. fin. ff. Eod. l. 13. §. usufructuarius.

rim. ff. de Usufruct. l. 6. C. h. t. Quoniam vero usufructus (idem est de habitatione) in iure usufructuario extinguitur. §. 3. Inst. de Usufr. eò ipso etiam expirat locatio, adeò ut hares Locatoris non interesse, sed solam mercedem pro rata temporis remittere teneatur, licet primo locationis conductionis anno nondum finito decesserit usufructuarius. l. 9. §. 1. ff. h. t.

10. *Excipiuntur* II. res fungibiles, ut sunt vinum, oleum, frumentum; quæ ideo locari nequeunt, quia in locatione regulari res conceditur ad usum absque translatione domitii, & eà lege, ut elapso locationis termino eadem numero res reddatur, quod non potest fieri in locatione rerum fungibilium, ut quantum usus consistit in abusu. Possunt tamen locari locatione irregulari l. 31. ff. h. t. imò etiam ad pompam, vel ostentationem arg. l. 3. §. fin. ff. Commodati. & in isto casu licet Locator à Conductore locum aliquod, seu mercedem recipit, cum usus rei sit à dominio separatus. Bu. lat. *Consil.* 204. col. fin. Clariss. D. D. Weigler *de oblig. ex consens.* lib. 16. lit. D.

11. *Excipiuntur* III. res propriæ Conductoris: harum namque conductio nullius firmitatis est. l. 9. §. fin. ff. l. 20. & 23. C. h. t. l. 45. ff. de R. J. siquidem is, cujus est res propria, rem illam sibi animo, & jure domini, non jure alicujus obligationis possidet, ac proinde Locatoris, vel alterius nomine in hac ipsa possessione esse nequit: cum nemo sibi causam possessionis mutare valeat. d. l. 27. C. h. t. Verum hæc exceptio cessat quando dominus res suas pignoris, aut alio jure in alium translata ab eo conducit. l. 35. §. fin. l. 37. ff. de Pignorat. act. l. 37. ff. de Acquir. vel amitt. possess.

12. *Excipiuntur* IV. res immobiles, ac prædia Ecclesiæ: quæ juxta Clem. 1. de Reb. Eccles. non aliter ad longum tempus, & hodie juxta

extravag. *ambitiosa*. Eod. inter Comm. ultra triennium sine canonica solennitate locari non possunt, ita ut nec valeat locatio facta in novem, aut duodecim annos, cum hac adjecta clausula, ut tot sint locationes, quot sunt triennia, id est, tres, aut quatuor, ne alioquin fraus legifiat. Molina de F. & F. *tr.* 2. disp. 466. n. 11. Valquez de Redd. c. 2. §. 2. num. 5. Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 17. contra Bald in l. 5. C. de Fidei commiss. Debet tamen hoc triennium accipi formaliter hoc est, pro utili, ac fructuoso. Unde fundus, qui alternis tantum annis est fertilis, ad sexennium; & si tertio quoque anno ex eo integri fructus percipiuntur, ad novennium sine solennitate locabilis est, ex quo annus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum. Covar. *Var. resol.* lib. 2. c. 16. n. 5. Georg. Widmann *de Contract.* tit. 12. n. 20. Jacob. Pignat. *tom.* 4. *consult.* 223. cum Rotæ decisionibus allegatis.

Illud in *incipitem* erupit *diffensionem*: an locatio conductio prædii Ecclesiastici, quæ ad plures annos facta est, licet valeat ad triennium?

Affirmant Clarus §. *donatio* q. 17. n. 2. Card. Tusch. *Pract. conclus.* V. locatio *concl.* 406. n. 2. Molina de F. & F. *tr.* 2. disp. 467. n. 3. & alii per rationem, quod pensio unius anni possit separari à pensione alterius anni, & tempus permissum dividi à prohibito, in dividuis autem utile per inutile non vitiatur. c. 37. de R. J. in 6. quemadmodum donatio facta absque insinuatione non vitiatur, tamen si excedat quingentos aureos, nisi in excessu. l. *sancimus*. l. *penult.* C. de Donation.

Negant Covar. *lib.* 2. *var. resol.* c. 16. n. 5. Navar. *de alien. rer. Eccles.* n. 21. Rota *dec.* 709. n. 6. p. 1. *dir. nrj.* & *dec.* 30. n. 3. p. 1. *recent.* partim propter textum in d. *Extravag. ambitiosa*. ubi locatio ultra triennium sine præ-

præscripta solennitate facta nullius omnino roboris & momenti esse dicitur: partim quia solennitas illa in huiusmodi locatione pro forma requiritur, forma autem, cum sit individua, evitari non potest dividendo per plura tempora. Rot. d. dec. 30. n. 3. partim quia intrat vulgare dictum: *quod potui, nolui, & quod nolui, non potui*. Merlin. dec. 826. n. 3. ubi asseverat, Rotam hanc opinionem rejectâ contrariâ constanter tenuisse.

Mihi videtur media via ineunda, ut prior sententia obtineat, si mens contrahentium talis fuit, ut eatenus voluerit valere locationem, quatenus per leges valere potest. Contra, ut posterior procedat, si intentio contrahentium ita fuit alligata ad tempus trienniô longius, ut noluerint locationem aliter valere, quam si ad tantum tempus valere posset, ut si pro toto tempore non nisi unam mercedem constituisent. Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 95 n. 11. Donat. tom. 1. Prax. Regul. p. 2. nr. 14. q. 24. n. 2. P. Engel supra de Reb. Eccles. non alien. n. 12.

13 V. Excipitur jus cudendæ monetæ, quod, qui habent, alteri vendere, locare, vel cedere prohibentur, & qui contra fecerunt, gratiâ Casareâ, & jure monetæ excidunt, atque Conductores quoque decem auri marcis multantur. Recess. Imper. de Anno 1551. §. fo haben wir uns auch. 46. de Anno 1559. §. ferner als sich auch. 175. & de Anno 1570. §. alsdann. 1; 2. Sed utinam hi Recessus non negligerentur!

14 In operis, ut locari possint, duo requiruntur; Primum est, ut sint honesta: generaliter enim facti turpis nullus est contractus, nulla obligatio. §. 7. Inst. Mandati. l. 26. ff. de V. O. l. 5. C. de Legib. Alterum, ut sint astimabiles, seu mercenaria; quales sunt fossam fodere, tabulam pingere, domum ædificare, & reliquæ operæ rusticæ, ac mechanicæ. l. 5. §. 2. ff. de Præscript. verb. Operæ non mer-

cenaria, seu liberales; quales sunt, quæ viribus potius ingenii, seu animi, quam labore corporis expediuntur, veluti docere, causas orare, mederi &c. locari non solent, & quod pro his solvitur, non solvitur ut merces, sed ut honorarium, vel salarium, l. 1. §. 5. ff. de Extraord. cognit. nec petitur actione conducti, sed vel conditione certi, si certum quid promissum sit, vel ex stipulatu, si in facto consistat, quod est promissum, vel conditione ex moribus, si nudô pactô tantum promissum sit, vel officio Judicis. Azor. in Summa C. h. t. Cariff. D.D. Weigler disp. de Oblig. ex consens. th. 16. lit. G.

Merces, cujus synonyma sunt pensio, locatum, ac pretium, nil aliud est, quam æstimatio usûs rei, vel operarum. Et hæc I. debet esse vera, non simulata, atque ideo locatio unô nummô facta est nulla, si tamen seriô quid voluerint agere contrahentes, donationis vim obtinet. l. 20. §. 1. l. 46. ff. h. t. II. debet esse certa certitudine vel absolutâ, qualis est, cum contrahentes ipsi mercedem designant, vel relativâ, quando eô referunt, unde certificari potest. §. 1. Inst. h. t. l. 25. pr. ff. End. Unde si quis alteri equum, fundum, vel ædes suas non expressâ certâ mercede locaverit, aut adjectum sit, se rem Conductori locare pro mercede justa, vel pro ea, de qua postea inter contrahentes conveniet, non locatio & conductio, sed contractus innominatus censeri debet: d. §. 1. Inst. h. t. neque actio bonæ fidei, sed præscriptis verbis competit. l. si tibi 22. ff. de Præscript. verb. nisi lege, vel moribus certa merces jam sit determinata. arg. l. 37. ff. de Contrab. empt. Gomez. tom. 2. var. resol. c. 3. num. 4. III. merces debet esse justa, hoc est, æquivalens usui rei, vel operæ hominis; si injusta sit, etiam locatio injusta est; sed non irrita, irritabilis tamen, si vel dolus alterutrius intervenerit. l. 1. ff. de Dolo malo, vel alteruter ultra dimidium laus

lesus fuerit: nam beneficium l. 2. C. de Re-
sind. vend. in hoc quoque contractu locum
habet ob paritatem rationis, & arg. pr. Inst.
h. t. c. l. 2. ff. Eod. Molin. de F. & F. disp.
249.

16 Gravi apparatu in utramque partem dispu-
natur: utrum sicut pretium in emptione, ita
merces, seu pensio tantum in pecunia nume-
rata, an etiam in aliis rebus fungibilibus con-
sistat?

Gomez. 2. Var. c. 3. n. 3. Fachin. 1. con-
trou. c. 83. & alii pro mercede requirunt pec-
uniam numeratam; quibus suffragantur,
in primis l. 1. §. si quis. 9. ff. Depositi. ubi di-
citur, si pro seruo custodiendo pecunia detur,
vel accipiatur, locationem esse; secus, si ope-
rae serui cum custodia compensentur. Deinde
l. 5. §. ut cum do. ff. de Praescript. verb. ubi
inter locationem, & contractum innomina-
tum do, ut facias, haec constituitur differen-
tia, ut si pecunia intervenerit, sit locatio, si
vero res detur, contractus do, ut facias. Item
l. 25. §. 6. ff. h. t. ubi si Colonus partiaris
non pro pecunia, sed pro parte fructuum
volum frundi obtinet, contractus speciem so-
cietatis induisse refertur.

Vultejus ad pr. Instit. h. t. n. 14. Zoës. ad
ff. Eod. n. 5. & cum his Georg. Widman. de
Contract. tit. 12. n. 3. volunt, mercedem con-
stitui posse non solum in pecunia numerata,
sed etiam in quavis alia re fungibili, puta vi-
no, oleo, frumento &c. Quibus patrocinatur
l. spolei 21. C. h. t. in qua fructus annuos sub
olei certa ponderatione locari, rescripserunt
Imp. Diocletianus, & Maximianus. Nec
juvat, si dicas, hanc legem de contractu inno-
minato accipiendam, & verbum locare ibi
idem significare, ac usui concedere: siquidem
cum Rubrica inscripta sit de locato & conducto
facit, ut constitutiones omnes insertae de eo-
dem contractu accipiantur. Praeterea non
agillic de contractu innominato, inde pa-

lam est, quod in l. spolei. Imp. constituent,
in ea specie contractus non posse partes por-
nitere, quod est contra naturam contractuum
innominatorum, in quibus permittitur alteri
contrahentium à contractu per poenitentiam
recedere. l. 5. ff. de Condit. causà datà, causà
non sec. Rursus in d. l. si olei. dicitur esse con-
tractus bonae fidei, ergo locatio: contractus
enim innominatus do, ut des: est contractus
stricti juris. Pro hac sententia quoque expen-
di possunt textus in l. 35. in fin. ff. h. t. in qua
Africanus Jctus respondit, tunc etiam condu-
ctionem esse, quando fructus mercedis nomi-
ne pensantur, & in l. 8. C. Eod. ubi proponitur
fundus certis annis quantitativis locatus con-
ductus.

Ego in hac jurium, & opinionum discre-
pantia existimo, distinguendum esse inter lo-
cationem operæ & rei; & quoad hanc in-
ter locationem rei frugiferæ & non frugiferæ.
In locatione operæ & rei non frugiferæ merce-
ces precisè debet esse pecuniaria per l. 1. §. 9.
ff. Depositi & l. 5. §. 2. ff. de Praescript. Verb.
suprà pro prima sententia citatas. Econtra
in locatione rei frugiferæ v. g. vineæ, agri,
oliveti &c. merces etiam in certa parte fru-
ctuum consistere potest per jura pro secunda
sententia allegata. Ita fermè Bachov. ad
Trentl. vol. 1. disp. 29. th. 3. lit. G.

§. VI.

Forma locationis conductionis stat in con-
sensu mutuo de rei usu concedendo, vel ope-
râ personæ præstandâ, operæve faciendo, pro
certa mercede, pr. Inst. h. t. l. 1. ff. Eod. & ita
duo requiruntur ad hunc contractum.

Primum est consensus mutuus. Sufficit au-
tem ad locationem veterem renovandam
consensus etiam tacitus: & ideo si Condu-
ctor finito conductionis tempore sciente, &
patiente Locatore in re conducta permaneat
censebitur tacito consensu renovata locatio
usq; ad annum, si prædium conductum rusticum
sit;

fit; si verò urbanum fuerit, usque ad tempus, pro quo, & ad quod prima locatio facta est. *l. 13. §. fin. l. 14. ff. h. t. l. 15. C. Eod. Menoch. lib. 3. præsumpt. 85. n. 1. & seqq.* & quidem cum iisdem qualitatibus, pignoribus hypothecis, cautionibus, aliisque necessariis, quæ erant appositæ primo contractui per *juracit. Gomez. var. resol. tom. 2. c. 3. n. 17. Mascard. de Prob. concl. 93. n. 3. Paris. vol. 1. consil. 23. n. 24. & consil. 43.* Excepto fidejussore, qui absque novo suo facto non obligatur ultra tempus expressum. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 85. Carpzov. p. 2. const. 37. def. 1.*

Alium requisitum est, ut merces detur pro usu rei, vel opera hominis: alioquin locatio in alium contractum degenerabit. Ita enim si artifex v. g. Aurifaber ex suo proprio auro mihi pro certa pecunia conficiat annuum, vel poculum; Sutor mihi ex proprio corio conluat calceos, non locatio, sed venditio est, §. 4. *Inst. h. t. l. 2. ff. Eod. l. 20. & 65. ff. de Contrab. empt.* Aliud dicendum, si convenias cum ædili, ut ex suis materialibus Tibi in fundo tuo pro centum aureis ædificet domum: vel cum fabro, ut ad tuam januam pro Imperiali novam aliquam applicet clausuram: quippe talis conventio, cum per eam in te rei duntaxat accessoriaræ, non principalis, fundi scilicet, aut januæ dominium transeat, locationi adscribitur per *d. l. 20. ff. de Contrab. empt. l. 22. §. 2. ff. h. t. Georg. Widmann de Contract. tit. 12. n. 7. & 8.*

§. VII.

18 *Finis* Locationis conductionis est commoditas mercedis Locatori: & commoditas rei vel operarum Conductoris acquirenda.

§. VIII.

19 *Effectus* Locationis conductionis alius est proximus, alius remotus. *Proximus* est mutua ac utrinque principalis locatoris, & conductoris obligatio; & quidem.

Locator obligatur I. ad præstandum liberum rei locatæ usum, vel ad exhibendas operas juxta modum, & ad tempus conventum. §. 3. *Inst. h. t. l. 15. l. 24. §. 4. ff. l. 22. Cod. Eod.* ideoque etiam ad amotionem impedimentorum per *l. 25. §. 1. ff. h. t.* Ubi

Quæres I. quid juris, si Conductor impediatur, quò minus liberè re conductâ uti possit? R. plures casus esse distinguendos: nam I. si Conductor impeditur impedimento veniente à sua persona; veluti si propter morbum equo conducto uti nequit, tenetur nihilominus ad solvendum totam pensionem. *Pantschm. p. 1. q. 13. n. 12. & seqq. II.* Si impeditur impedimento veniente à Locatore, refert, num illud impedimentum sit justum, an injustum? si justum sit, tenetur Conductor tantum ad mercedis remissionem, vel mercede jam receptâ, ad restitutionem faciendam pro rata temporis, aut saltem ad præstandam rem aequè commodam ad usum intentum. *l. 30. pr. l. 35. pr. ff. h. t.* si injustum hoc est, dolosum, vel culposum sit, Conductor statim agere potest, ut liberetur à pensione totius temporis. & etiam ad interesse lueri, quod percepisset, si non fuisset impeditus: nec audietur Locator ab impedimento cessare volens, si res non est amplius integra, puta si Conductor alium fundum, vel domum jam conduxit. *l. 15. §. 8. l. 24. §. 4. & ibi Bruneman. n. 8. l. 33. in fin. ff. h. t.* III. Si Conductor à libero rei usu impediatur impedimento veniente à tertio, interest, an locator illum tertium potuerit prohibere, ne impeditur, an non? Si potuit, & non fecit, aequè tenetur ad interesse, hoc est, lacrum cessans, & damnum emergens, ac si ipse impeditisset. *l. 9. §. 1. l. 25. §. 1. ff. h. t.* Si non potuit, in tantum excusatur, ut non nisi ad remissionem mercedis pro rata teneatur. *l. 33. in fin. ff. Eod.* Quod quoque procedit, si res locata evicta fuerit sine culpa locantis. *d. l. 9. ff. h. t.*

IV. li

IV. si impeditur impedimento veniente à casu fortuito, puta ab incendio, aut occupatione hostili, Locator ad nihil, nisi ad remissionem mercedis pro rata obligatur. *l. 9. §. 1. l. 15. §. 2. l. 24. §. penult. in fin. l. 33. §. 3. & 34. ff. Eod.*

Quæres II. quid statuendum, si quis operas, ad quas se per contractum locationis adstrinxit, non exhibeat? Et iterum distinguo: enim verò I. si Operarius conductus ideo non exhibeat operas, quia per Conductorem stat quò minus eas exhibere possit, tenetur Conductor ad integram mercedem, modò interim Operarius ille alteri operas suas non locaverit, nec ab alio mercedem receperit. *l. 19. §. 9. l. 38. ff. h. t.* Quare communis DD. sententia est, quòd famulus, si Dominus limites permixtae correctionis excedat, ante finitum locationis tempus impunè aufugere, & nihilominus mercedem integram exigere possit. Bald. in *l. 11. C. h. t.* DD. in *l. penult. ff. Solus. mar.* Bonacoss. *tr. de Serv. & fam. q. 79. n. 5.* Putarem tamen, priùs Judicem adendum, & ad eum querelas deferendas esse arg. *l. 1. C. in quib. caus. colon. censit. dom. accus. poff. & l. 2. ff. de his, qui sui, vel alien. jur.*

II. si per locatorem operarum stet, ita ut is culpà suà operas non præstet, tenetur Conductor, quantum interest, operas non esse præstitas, vel opus non esse factum arg. *d. l. 15. §. 6. & l. 33. ff. h. t. l. fin. C. de Condict. ob caus.* Hinc si famulus servitio ante tempus elapsum invito Domino exeat, damnum ex fuga datum resarcire tenetur. per *l. 1. C. de Serv. fugit.* ac insuper totum salarium perdit etiam pro præterito tempore, quòd servivit, & solutum repeti potest per *cit. l. 15. §. 6. & l. 55. §. 2. ff. h. t.* Sichard. *ad l. 14. C. Eod.* Bonacoss. *tr. de Serv. & fam. q. 213. & 241.*

III. si operarius vel famulus ad notabile tempus iusta de causa impeditus locatas operas exhibere non potuerit, ad mercedis remissio-

nem pro rata temporis, quò operari non potuit, tenetur arg. *l. 15. §. 6. ff. h. t.* An verò famulo infirmo merces debeatur pro tempore ægritudinis, in quo servire non potest? incertum est. Negant Panorm. in *c. cum pro causa n. 4. de Procurat. Navar. in Man. c. 17. n. 107.* Ancharan. in *c. propter sterilitatem. h. t. arg. d. l. 15. §. 6.* Affirmant Hostiens. in *Summ. h. t. §. tam diu.* Joan. Andr. in *d. c. propter sterilitatem.* Bald. in *l. fin. C. de Condit. inser.* eò quòd servire nobis intelligantur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes servire, propter adversam valetudinem impediuntur. Text. in *l. 4. §. 5. ff. de Statu lib.* Certè æquitatis, & commiserationis ratio efflagitat, ne ad breve tempus decumbentù merces imminuatur.

II. Locator obligatur ad resarciendum damnum Conductor illatum vel vitio rei locatæ, si Locator vitium rei scire potuit, aut res tanquam ab Artifice locata est. *l. 19. §. 1. ff. l. 20. C. h. t. vel dolo, latâ, aut levi culpâ Locatoris. d. l. 19. §. 1.*

III. Tenetur Locator ad restituendas impensas Conductor, modò sint necessariae ad conservationem rei locatæ, vel utiles ad meliorationem factæ. *l. 55. §. 1. & l. 61. ff. h. t.* Inde Conductor equi expensas pro soleis ferreis, vel in ejus curationem factas repetere potest, easque vel de mercede nondum soluta deducit: *d. l. 61. pr. vel rem locatam tam diu retinere, donec eas recipiat. arg. l. 14. ff. de Dol. mal. except. l. 5. pr. ff. de Impens. in rem dot. fact.* Planè impensas factas in ordine ad colligendos fructus, puta in arationem in stercorationem, sationem, messem &c. ad Conductorem pertinere, communiter placuit, cum ipse Conductor eam ob causam uberiores fructus percipiat. Paulus Castr. *lib. 2. consil. 270.*

IV. Locator pati cogitur, ut liceat Conductor tollere, & auferre ea, quæ rei conductæ à

Conductore utiliter inædificata, vel adjecta sunt, ita tamen ut Conductor damni infecti caveat, ne, dum aufert, in aliquo deteriore causam ædium faciat, sed ut pristinam faciem ædibus reddat. *Sape d. l. 19. §. 4. ff. h. t.*

21 Conductor obligatur I. ad solvendam Locatori integram mercedem. *l. 25. l. 28. l. 58. ff. h. t.* & quidem post moram cum usuris. *l. 32. §. 2. ff. de Usur. l. 17. C. h. t.* etiamsi intra locationis tempus rem locatam dereliquerit sine iusta causa. *l. 27. §. 1. l. 55. ff. Eod.* Est autem merces illo tempore solvenda, de quo inter partes conventum est. *l. 34. ff. de R. J. vel quo consuevit eo in loco solvi. d. l. 34. l. 8. C. h. t.* Quodsi nulla sit, vel varia consuetudo, solutio fieri debet vel in fine anni vel temporis ipsi locationi præfixi: quamvis enim statim nata sit obligatio, & actio ad integram pensionem, agens tamen ante finem conductionis exceptione repellitur, siquidem prius pro sua parte non dicitur adimplevisse contractum. *Bald. in l. divorzio. in pr. ff. Solutio matrim.* & alii complures.

Controversitur I. an, & quando Conductor à Locatore conventa pensio, seu merces ob sterilitatem remitti, aut diminui debeat?

Pro ratione dubitandi in primis allegari potest *l. 13. §. 5. ff. h. t.* in qua disertè statuitur, exiguitatis fructuum quò ad remissionem mercedis rationem habendam non esse. Deinde, quòd sicut in Emptorem, simul atque venditio perfecta est, transit omne rei venditæ commodum, & incommodum. *l. 1. §. 8. ff. de Peric. & comm. rei vend.* sic quoque in locatione conductione, damnum è sterilitate veniens ad Conductorem spectare debeat, neque ea propter remitti merces semel promissa cum locatio conductione similis sit emptioni venditioni, iisdemque juris regulis consistat. *pr. & §. 1. Inst. h. t. l. 2. ff. Eod.*

Verum explorati juris est mercedem propter sterilitatem remittendam esse, vel ex toto,

si Conductor nullos omnino fructus percipiat, vel pro parte, seu rata, si paucos & exiguos. *c. 3. h. t. l. 15. §. 2. l. 25. §. 6. ff. l. 8. C. Eod.* Ratio punctualis est: quia pensio, seu merces locationis constituitur in compensationem fructuum ex re conducta percipientium. Ergo naturali rationi quàm maxime convenit, ut si nulli, vel pauci fructus percipiuntur, nil etiam, vel parùm mercedis præstetur ne periculum damni penes solum Conductorem maneat, Locator verò semper securus sit.

At sunt nonnulli casus, in quibus remissio mercedis locum non habet. *Primus est*, si ob præcedentium, vel subsequendum annorum, sive mediatam, sive immediatam fertilitatem præsentis anni damnum Conductori illatum compensetur. *d. c. 3. h. t. l. 8. C. Eod.* Imò si ob præsentis anni sterilitatem Locator precibus Conductoris commotus pensionem eisdem remiserit, potest nihilominus elapso illo pensionem remissam repetere, si annis sequentibus magna ubertas eveniat. *d. l. 15. §. 4. ff. l. 18. C. h. t. Lest. de J. & J. lib. 2. c. 24. dub. 3. n. 19.* Interim Conductor si conventit cum Locatore de pensione in singulos annos remittenda, prospicere sibi potest specialiter pacto, ut si sterilitas contingat, non competatur fertilitate aliorum annorum. *Stryk. de cautel. contr. sect. 2. c. 9. §. 15.*

Secundus casus est si damnum ex sterilitate proveniens sit modicum: etenim cum hoc facile compensari possit commodo alias percepto, haud opus est remissione mercedis. Quodnam autem damnum modicum, aut immodicum dicatur: non convenit inter DD. Aliqui volunt immodicum esse damnum, si pars tertia fructuum deperdita, quòd tantum attendendum putat *Ruin l. 1. consil. 81. n. 3.* vel cum semen jaçtum non recipitur, vel etiam quando Colono detractò semine, & deductis impensis tot fructus non supersunt, ut dimidiam partem solvendæ pensionis adæquent. *Henric.*

Hentic. Canif. ad c. 3. h. t. Brunn. ad l. 25. ff. Eod. Verior sententia est, quod circa estimationem sterilitatis communis, & circumcoletium opinio consideranda sit. arg. l. 1. ff. de Jure delib. Gail. 2. observ. 23. num. 1. Menoch. de Arbitr. Judic. lib. 1. casu 66.

Tertius est, si Conductor speciali pacto periculum sterilitatis in se suscipit: hoc quippe pacto frustra contra pactum remissionem desiderat. l. 9. §. 3. ff. h. t. quia pacta dant legem contractui. l. 23. ff. de R. F. & si per se imputa non sint, ad amulsum sunt servanda. Gail. 2. observ. 23. n. 17.

Quartus, si non certa, & determinata pensio, sed quota fructuum, puta quarta, tertia, aut dimidia pars pendenda est: tunc namque Colonus partiaris quasi jure societatis & damnus & lucrum sine sua culpa contingens cum Locatore, seu domino fundi partitur. l. 25. §. 6. ff. h. t. l. 52. §. 3. & 4. ff. Pro socio. Menoch. consil. 669. n. 12. & seqq. Mantica. de Tac. & ambig. convent. l. 5. tit. 2. num. 29. & seqq.

Quintus casus exceptus est, si sterilitas culpa Conductoris contingat. d. l. 15. §. 2. ibi: cui vestigi non potest, & l. 25. §. 3. ff. h. t. Molin. de F. & F. tr. 2. dist. 495. n. 13. Hinc ille, qui vites non debitò modo, aut tempore intorto stramine vestivit, remissionem petere non potest, licet illo anno sterilitas, vel similis calamitas secuta sit, per d. l. 15. §. 3. Porro culpa Conductoris & illud annumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores exciderit. d. l. 25. §. 4. Gail. 2. obs. 23. n. 21.

Sextus casus est, si sterilitas sit consueta, vel oriatur ex vitio ipsius rei, ejusque intrinseca qualitate. saepe d. l. 15. §. 2. ff. h. t. nam sibi imputet Conductor, qui futuram sterilitatem scit, vel scire debet, neque tamen de illa sibi prospicit. arg. l. 9. §. 1. ibi: quia hoc evenire posse. ff. Eod. Franck. ibid. n. 101.

Allatae rationes dubitandi ejus momenti

non sunt, ut quem in assensum movere possint. Ad l. 15. §. 5. ff. h. t. respondet Canif. ad h. t. n. 5. eam de modica exiguitate, non verò de laesione immodica accipiendam esse. Quod attinet comparationem locationis cum emptione, ea non est universalis per tradita DD. ad pr. Inst. h. t. Et verò cum in Venditione hoc inter partes agatur, ut Venditor rem Emptori ita tradat, ut eam habere liceat non solum quò ad usum ejus, sed etiam quò ad ipsam rem, id est, possessionem, & dominium, omne quoque commodum, & incommodum ad ipsum pertinere debet. §. 3. F. de Empt. & vend. non etiam ad Conductorem, siquidem ad hunc ex natura locationis solum ulus transfertur, non dominium, aliudve jus in re. l. 39. ff. h. t. l. 32. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess.

Controversitur II. an è contratio ob fertilitatem solito majorem, & notabile lucri incrementum pensio, seu merces conventa augeri possit?

Affirmativa quidem aequitatis speciem habere videtur ideo: quia ob sterilitatem, & notabile decrementum fructuum pensio est imminuenda. Ergo etiam ob insperatum fructuum incrementum est augenda: cum contrariorum eadem sit ratio. arg. l. 1. ff. de his, qui sui vel alien. jur. sunt. Everhard. in loco à contrariis. n. 40. & natura dicitur, comoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. l. secundum naturam. 10. ff. de R. F. Accedit textus in l. 2. C. de Alluv. & paludib. ubi pensio praestari jubetur pro modo agri, eoque nomine resolvitur, si beneficio alluvionis incrementum fundo accesserit, quòd plus pensionis à possessore sit praestandum. Hinc Bartol. in l. si merces 25. §. vis major. ff. h. t. scribit, ob amplio-rem redditum mercedem majorem exigi posse si molendinum quis conduxerit, & impetu aquarum vicina alia sint destructa. Cui consentiunt

sentiant Gomez. 2. var. resol. c. 3. n. 18. Si-
chard. in l. 8. C. h. t. Bonacin. sr. de Contract.
disp. 3. q. 7. punct. 3. n. 11.

Negativam propugnat Canis. h. t. num. 9.
Zoel. ad ff. Eod. num. 22. Bachov. ad Treutl.
vol. 1. disp. 29. th. 7. lit. E. Molin. de F. & F.
disp. 495. n. ult. & alii, quibus subscribo fre-
tus l. 25. §. 6. ff. h. t. ubi J. C. t. ait, quòd mo-
dicum damnum æquo animo ferre debeat
Colonus, cui immodicum lucrum non au-
feratur. Deinde quia de uno saltem casu in
jure legitur, quòd augmenti sit habenda ratio
nempe si propter calamitatem annorum præ-
cedentium remissa fuerit pensio. l. 15. §. 4. ff.
l. 8. C. h. t. ergo extra hunc casum augmenti
nulla planè habenda est ratio, quandoquidem
inclusio unius est exclusio alterius arg. l. 12.
pr. ff. de Judic. Surd. dec. 133. num. 11. Et
hanc sententiam verissimam censeo, si aug-
mentum lucri, ac fructuum provenierit, non à
natura, nempe à benignitate temporis, vel be-
nevolo cœlorum influxu, aut fortuna clementia,
sed ab industria Conductoris, fortè quia
majore diligentia rem conductam coluit, aut
melioramentis insignibus eam instruxit: ex
quo illud incrementum fructuum est fructus
propriæ industriæ, adeoque ad eum pertinet,
qui industriam adhibuit. Molin. de F. & F.
disp. 719. num. 4. Less. eod. sr. lib. 2. c. 14.
dub. 2. n. 8. & plures alii.

Nec inflector argumentis contrariis: ete-
nim primum nihil concludit, quia diversa est
causa ubertatis & sterilitatis, nec eadem in
Conductore quæ in Locatore favoris & æqui-
tatis ratio: nam Conductore ob magnam ste-
rilitatem ingens damnum subit, fertilitas verò
& lucrum notabile nemini præjudicat, cum Lo-
cator pensionem sibi debitam non amittat;
inde æquitas suasit, ut Conductori de damno
certanti subveniretur, non verò Locatori so-
lùm lucrum captanti juxta l. 33. ff. de R. F. ubi
dicitur: in eo, quòd vel is, qui petit, vel is, à

quo petitur, lucri facturus est, durior causa
est, petitoris. Ad l. 2. C. de Alluv. & palud. re-
spondetur, eam non de pensione locationis,
sed de tributis loqui, à quibus ad pensionem
ex locatione debitam non ducitur idoneum
argumentum: quoniam tributum est onus
agri: merces verò onus personæ; tributa pen-
duntur à Possessoribus pro modo agri, adeoque
si hic augmentum recipiat, ipsa quoque au-
gentur: merces verò præstatur à Conducto-
re juxta modum, seu formam, & legem in
contractu dictam, quæ non mutatur, licet bo-
nitas rei conductæ incrementum sumserit.

II. Conductore re uti tenetur, ut bonum pa-
trium - familias decet. §. 5. Inst. l. 25. §. 3. ff.
l. 3. C. h. t. & inde si culpâ Conductoris seræ,
fenestræ, fornaces, & similia fracta sint, vel
domus culpâ illius combusta, aut res condu-
cta deterior facta fuerit, damnum rearsit de-
bet. l. 43. ff. h. t. l. 2. ff. In quib. caus. pig. vel
hypotheca. contrah. Nec refert, sive damnum
illud ex culpa propria Conductoris, sive ex
culpa suorum famulorum, vel domesticorum
acciderit. l. 11. §. fin. l. 30. §. fin. ff. h. t. l. 27.
§. 9. ff. Ad leg. Aquil. Tenetur autem Con-
ductore non nisi de culpa lata, & levi. l. 9. §. 3.
l. 13. §. 1. ff. h. t. l. 28. C. Eod. l. 23. ff. de R.
F. non obstantè §. 5. Inst. h. t. qui diligentiam
talem, qualem diligentissimus pater - familias
suis rebus adhibet, in Conductore desiderat:
nam ibi superlativus diligentissimus positus est
pro positivo, vel textus loquitur de tali Con-
ductore, qui se obligavit ad custodiam rei
exactissimam. Clariss. DD. Weigler in disp.
de Oblig. ex consensu, q. 37.

III. Conductore intra tempus conductionis
non potest à contractu recedere, & si recedat,
tenetur nihilominus ad totius temporis pen-
sionem: nisi fortè domum conductam ha-
bitare non possit, quia aut ruinam minatur,
aut à spectris infestatur. l. 18. C. h. t. vel aliam
justam, & probabilem causam habuerit, defe-
rendi

rem conductam, ut est metus belli, contagionis &c. quibus casibus tantum obligatur ad pensionem pro rata. *l. 27. §. 1. l. 55. §. 2. ff. Eod. Gail. 2. observ. 23. n. 7.*

IV. Tenetur Conductor finitâ locatione rem conductam restituere, nec quæstionem dominii refricare valet, ut ad literam disponit text. in *l. si quis. 25. C. h. t. ibi: si quis conditionis tempore agrum, vel aliam quamcunque rem accepit, possessionem prius restituere debet, & tunc de proprietate litigare.* Celsus *dec. 358. n. 2.* Quodsi Conductor nolit rem restituere, cum tamen possit, juratur contra eum in litem, & tanti condemnatur, quanti Actor in litem juraverit. *l. 48. §. 1. ff. l. 34. C. h. t.* Sin verò non possit rem restituere, interest, an dolo desierit posse? & idem dicendum est; an culpâ? & tunc saltem tenetur, quanti interest. *l. 2. §. 1. ff. de in litem jurando.* aut denique casu; & ad nihil obligatur.

24. *Effectus remotus* locationis conductionis est actio locati, & conducti. *Actio locati* datur Locatori, & ejus hæredibus contra Conductorem, & ejus hæredes ad mercedem solvendam, & præstandum omne id, quod præstari æquum est. *Actio Conducti* datur Conductori, & ejus hæredibus contra Locatorem, & ejus hæredes ad concedendum liberum usum rei, & præstandum omne id, quod æquum est.

§. IX.

25. *Contraria* Locationis conductionis sunt causæ, ac modi, quibus finitur, aut dissolvitur quod fit I. mutuo consensu. *§. fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.* non morte unius contrahentis, cum locatio ad hæredes transeat. *l. 10. 29. & 34. C. h. t.* II. Lapsu temporis præfiniti: quia ad tempus concessa post hoc elapsum censentur negata. *l. 13. §. fin. ff. h. t. III. ex l. 2. C. de Rescind. vend.* cujus beneficium ob lætionem ultra dimidium in hoc contractu obtinere. *supra n. 15.* insinuavimus IV. si res

locata ante finitam locationem vendatur juxta tritum illud: *Kauf gehet vor Miethe;* Emptor enim, aut quivis alius successor singularis præcisè locationi ab alio factæ stare non tenetur, nisi eo pacto rem acquisierit. *l. 9. C. h. t. l. 32. ff. Eod. Covar. 2. Var. rasal. c. 15. n. 1.* licet Venditor Conductori ad interesse maneat obstrictus. *l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 9. C. Eod. Berlich. p. 2. concl. 45. n. 10.* V. si Locator, vel hæres ejus probaverit, rem locatam propter supervenientem, & ante non prævisam causam propriis usibus esse necessariam; ut si domus, in qua habitabat, incendio perierit, vel si uxorem duxerit, & familiam habere incipiat: quippe tunc Conductorem remissâ pro rata temporis pensione expellere licet, nisi Locator juri expellendi expressè renuntiaverit. *c. 3. in fin. h. t. l. ade 3. C. Eod. & ibi Interpp.* VI. Idem juris est, si domus locata indigeat reparatione necessariâ, nec illa fieri queat, nisi inquilino expulso, ac emigrante. *d. c. 3. h. t. l. 35. ff. & d. l. 3. C. Eod.* Finitâ tamen refectione domus Conductori ad finiendum locationis contractum restituenda est. *Joan. Frid. Rhetius ad Inst. dissert. 21. tit. 25. posit. 25.* VII. si Conductor re locatâ male utatur, vel eam culpabiliter, & notabiliter deteriorando, vel inducendo in domum conductam lenones, scorta aut fures. *d. c. 3. h. t. & l. ade 3. C. Eod. Sichard. ibid. n. 10. Menoch. de Arb. Jud. casu 78. per tot.* Quo casu nihilominus integram mercedem solvere tenetur per *auth. qui rem ejusmodi C. de SS. Eccles. Bocet. class. 2. D. 4. lb. 35.* VIII. si Conductor Locatori mercedem conventam constituto tempore, vel si certum solutionis tempus non fuit adjectum, intra biennium non solverit: tunc namque Locator poenitere, & Conductor expelli potest. *d. c. 3. in fin. h. t. l. ade 3. C. Eod. & hoc, tamen si pactum de non expellendo interpositum fuerit l. 54.*

§. 1. l. 56. ff. h. t.

PARS II. De Emphyteusi.

SUMMARIA.

26. Emphyteusis etymologia. 27. Homonymia. 28. Definitio. 29. 30. 31. Divisio. 32. Origo. 33. 34. 35. Quinam concedere, qui accipere possunt emphyteusim? 36. 37. In quibus rebus constitui debeat? 38. An scriptura sit de substantia emphyteusis? 39. Quis sit ejus finis? 40. usque 47. Quinam effectus? 47. & seqq. Quibus modis finiatur?

§. I.

26 **E**mphyteusis Græcis idem est, quod *insetio*, aut *implantatio*, notatione à causa finali delumpta, eoque synecdochica est, scilicet à præcipua agriculturæ parte. Vult. ad §. adeo 3. *Inst. h. t. n. 2.* Dissentiunt Accurf. & Schneidew. *ibid.* qui emphyteusim interpretantur *meliorationem*.

§. II.

27 *Acceptionem* emphyteusis quoque variam incurrit. Aliquando sumitur pro ipsa re emphyteutica: Sæpius pro jure in re emphyteutica constituto, quod vocatur jus meliorationum, vel eponematum. l. 2. C. de Jure emphyt. jus perpetuarium. l. 1. C. de Offici. Comit. sacri palat. jus vectigalis, aut jus agrorum vectigalium. r. r. ff. Si ager vectigal. l. 15. §. 1. ff. qui satisd. cog. vernaculâ eim Erb, Lehen / Erb, Bestand / Erb, Recht / Erb, Zins Gut / Baur, Lehen / Hof, Gut. Nobis potissimum denotat contractum, den Erb, Zins Contract. in quo sensu.

§. III.

28 *Definiuntur* emphyteusis, quod sit contractus consensualis, bonæ fidei, quo prædium alteri utendum fruendum conceditur pro certo canone in recognitionem directi domini annuatim solvendo. P. Engel h. t. n. 11.

§. IV.

29 *Dividitur* emphyteusis I. in Ecclesiasticam, & civilem, seu sæcularem. Ecclesiastica

dicitur, cum bona Ecclesiæ; *sæcularis*, cum res profanæ seu publicæ, seu privatæ in emphyteusim conceduntur. l. 14. & aurb. perpetua. C. de SS. Eccles. l. 1. C. de Jure emphyt. Et hæc divisio ex rerum, non personarum qualitate desumpta est, neque enim omnis, quam Ecclesia concedit, emphyteusis Ecclesiastica dici potest, sed necessum est, ut de rebus ad Ecclesiam pertinentibus constituatur.

II. *Dividitur* emphyteusis in perpetuam, & temporalem: enimverò quamvis emphyteusis ex sua naturâ exigat perpetuitatem, ita ut quàm diu pensio solvitur, nec ab Emphyteuta, nec ab hæredibus auferri possit, §. 3. *Inst. h. t.* proinde in dubio, ubi simpliciter emphyteusis conceditur, neque pactis specialibus naturam ejus alteratam esse constat, omnino perpetua, & ad quoscunque hæredes transitoria judicari debeat juxta Harp. ad d. §. 3. *Inst. h. t. n. 94.* id tamen de essentia non est, sed ex conventionione contrahentium fieri potest, ut emphyteusis ad certas duntaxat generationes, & pro solis descendentibus ex primo Acquirente, exclusis hæredibus extraneis, vel etiam ad dies vitæ, aut ad certos annos duret, ac constituatur. *Novel. 120. c. 5. & 6.* Imò emphyteusis Ecclesiastica, nisi expressè de hæredibus mentio fiat, præsumitur tantum ad vitam constituentis; vel certe non nisi usque ad tertiam generationem data juxta *Novel. 7. c. 3.* quam quoad hoc per *Novel. 120. c. 6.* correctam non esse, solide demonstrat. P. Engel. h. t. n. 14.

III. *Dividitur* emphyteusis in hæreditariam, & non hæreditariam, seu familiarem, quam Itali appellant *ex pacto*, vel *providentia*. *Hæreditaria* est, in qua solum possunt succedere hæredes, sive ii filii sint, sive extranei. *Non hæreditaria*, seu *familiaris* nuncupatur, in qua succedunt solummodo filii, seu liberi, e si ii hæredes non sint, sed patris hæreditatem repudiaverint. Bartol. in l. ut

jurisjurandi §. si liberi n. 4. ff. de Oper. libert.
Jalon. in l. 2. C. de Fure emphyt. num. 210.
Covar. 2. Var. resol. c. II. n. 2. Censetur au-
 tem Emphyteusis hereditaria, si Emphyteuta
 concedatur pro se, & heredibus; ex quo hære-
 dum nomen generale est, & extraneos quo-
 que hæredes continet, pr. & §. I. *Inst. de Hæred.*
qualit. & differ. Familiaris verò, seu de provi-
 dentia, quando conceditur pro se & filiis, &
descendentibus, non facta mentione hæredum.
Julius Clar. §. emphyteusis. q. 16. Covar. cit.
lib. 2. c. 18. n. 4.

§. V.

12 *Causa efficiens* emphyteusis est duplex: re-
 mota, & proxima.

Remota est jus: sed quale, an jus Gentium,
 vel Civile.

Plerique contractum emphyteusos ad jus
 Civile referunt: partim quia naturam suam à
 Jure Civili habet. §. 3. *Inst. h. t.* ibi: *lex Ze-*
noniana lata est, qua emphyteusos contractus
proprium statuit naturam: partim quia per
 legem Zenonis Emphyteusi nova forma est
 superaddita. l. 3. §. 1. *C. de Fure Emphyt.* ibi:
sed hoc jus tertium constitutum. Georg. Wid-
 mann de contract. tit. 13. n. 3.

Alii e contra Emphyteusin attribuunt juri
 Gentium, eò quòd non solum apud Roma-
 nos, verum alias quoque Gentes ante consti-
 tutionem Zenonis emphyteusis usus receptus
 fuerit. Sic Aristot. lib. 2. *æconom.* scribit,
 Bizantios, cum exhausto ærario pecuniis in-
 digere, fundos publicos certâ mercede lo-
 cante, fertiles ad tempus, steriles in perpetu-
 um. Quin id ipsum satis ostendit emphy-
 teusis affinitas cum contractu emptionis &
 locationis tanta, ut alterius species videretur,
 cum alijs, si Emphyteusis fuisset Juris Civilis,
 discrepantia facile patuisset. Clariss. DD.
 Weigler in *Dispr. de Oblig. ex consens. hb. 22.*
in C. cum Harp. ad d. §. 3. n. 17. Inst. h. t.
 Mihi sub distinctione utraque opinio placet:

Prima, si naturam contractus emphyteusici
 consideres: *Alterâ*, si hujus contractus sub-
 stantiam contempleris: quandoquidem in ju-
 ridica acceptione se inter discrepant, *natura*,
 & *substantia*: *Natura* enim mutari potest re
 integrâ manente. l. 23. ff. de R. J. *Substantia*
 verò, quia ponit rem in quidditate. l. 72. pr.
 ff. de contrab. empt. non recipit mutationem
 absque rei interitu, l. 27. ff. de R. J. Zeno
 itaque emphyteusim solummodo distinxit, &
 separavit ab alijs contractibus, eique nomen
 appellativum tribuit, ac accuratius, quàm an-
 te factum, illius naturam explicatam dedit.
 d. l. 1. *C. de Fure emphyt.* substantiam tamen
 & formam longè ante Zenonis tempora ha-
 buit.

Causa efficiens proxima emphyteusos ea 33
 est is, qui eam concedit, & qui eam accipit.
Concedens salutatur *Dominus emphyteusos*, vel
Dominus directus, Grund, Herr, vel Zinse
 Erb, Herr. *Accipiens* indigitatur *Emphy-*
teuta, aut *Emphyteutarius* germanicè Zinse
 Mann / Erb, Rechte / Erb, Bestander /
 Hiebner. l. 1. & 3. *C. de Fure emphyt.*

Porro concedere emphyteusim in genere 34
 possunt omnes, quibus præter dominium
 competit libera rerum suarum administratio,
 & alienandi facultas: in specie id possunt Ci-
 vitates. l. 1. pr. & §. 1. ff. si ager veftig. item
 Collegia Ecclesiastica, & Ecclesiarum Prælati,
 sed cum Canonum solennitatibus. c. 5. de Reb.
 Eccles. non alien. Novel. 7. c. 3. & privatus
 quilibet. l. 1. 2. & 3. *C. de Fure emphyt.* Econ-
 tra Pupilli, & minores, quia liberâ alienandi
 facultate non possent, non adhibitâ Tutoris,
 vel Curatoris autoritate, & decreto Magi-
 stratus non interveniente, prædia sua in
 emphyteusim alicui dare prohibentur. l. 3. §.
 5. ff. de Reb. eor. qui sub tutel. l. 4. l. 13. &
 t. 1. *C. de Prad. mix. sine decr. non alien.*

Accipere emphyteusim possunt omnes 35
 quibus non est interdictum commercium
 five

sive sint mares, sive foeminae, cum ea, quae emphyteusis requirit, & foeminae praestare possunt. Zoëf. ad ff. h. t. n. 59. Georg. Widman. de Contract. tit. 13. n. 17. Pupilli tamen & Minores, Tutorum, ac Curatorum suorum auctoritatem, & consensum adhibeant, oportet, ne pactis, & conditionibus addi solitis fortè nimium obstringantur. arg. l. 18. §. 2. C. de Fure delib. l. 32. ff. de Acquir. vel amitt. possess.

§. VI.

36 *Materia, seu Objectum* emphyteusis est ex una parte res, quae in emphyteusim conceditur; ex altera pensio, quae frequentius *Canon*, vulgò ein *Stift/* oder *Grund-Dienst/* ein *jährliche Güldt/* vocitatur.

37 *Res*, in qua constituitur emphyteusis, debet esse immobilis, puta ager, sive fundus, primitus quidem tantum incultus; sive sterilis, & desertus: siquidem hoc sine initio contrahebatur, ut res steriles & incultae culturâ, & satione fructuosae, aut meliores redderentur. l. 2. & 3. C. de Fure emphyt. & ibi DD. postea verò etiam cultus, & fertilis, ut probat textus in §. 3. *Inst. h. t.* in illis verbis: *de prædiis, quae perpetuo quibusdam fruenda dantur*; & declarat optima legum interpretatio consuetudo. Præterea non tantum prædia rustica, ut olim, sed & urbana in hunc contractum veniunt, utpote quibus finis emphyteusis, qui melioratio est, competere potest. l. si finita 15. §. 26. & 27. ff. de Dam infect. aut h. si quas ruinas. C. de SS. Eccles. Novel. 120. c. 1. §. 3. Nec refert, si prædia ejusmodi secularia sint, sive Ecclesiastica, ita tamen, ut Ecclesiastica de novo non aliter, quam concurrente cum justa causa canonicâ solennitate, in emphyteusim dari queant, cum emphyteusis sit quaedam species alienationis. c. hoc jus. §. perpetua causa. o. q. 2. cap. 13. causa 17. q. 2. c. nulli. §. de Reb. Eccles. alien. Extravag. ambitiosa Eod. inter comm. Sanè

in rebus mobilibus vix est, ut emphyteusis constitui possit: ex quo usu non meliorantur, sed aut pereunt utendo. aut sunt deteriores. Zoëf. ad ff. h. t. n. 60. Perez. ad C. de Fure emphyt. n. 3. nisi fortè sint res solo emphyteutico cohaerentes, ut sunt fructus pendentes, servi glebae adscripti, &c. Harp. ad d. §. 3. *Inst. h. t. n. 143. & seq.*

Canon, seu annua pensio I. debet esse vera, II. certa, & III. debet solvi in recognitionem dominii directi; in quo ultimo differt emphyteusis à locatione conductione, in qua merces non ita solvitur, sed in compensationem usus rei, vel operæ hominis. IV. aliqui requirunt, ut pensio ista consistat in pecunia arg. l. 1. §. 9. ff. Depositi. l. 25. §. 6. l. 46. l. 51. & 58. ff. h. t. Sed malè; quamvis enim emptio & venditio sine pretio & pecunia valere nequeat, ut dictum. idemque de locatione & conductione, quippe quae iisdem juris regulis innititur, haud improbabilius non pauci sustineant, nihilominus de Emphyteusi id nullibi constitutum reperitur, sed contrarium potius ex cit. §. 3. *Inst. h. t. & ex l. 2. C. de Fure emphyt.* colligitur, ubi mentio fit pensionis, seu redditus, quod vocabulum generale est, omne, quidquid ex re venit, complectens. Canon itaque etiam in vino, tritico, ovis, gallinis, aliisque rebus rectè constituitur, neque opus est, ut fructibus rei proportionetur, videmus enim interdum valde exiguum, v. g. pro integro fundo duntaxat aliquot ova, vel gallinas dari. Imò pro uno nummo emphyteusim concedi posse, docet Jason in l. 1. n. 3. C. de Fure emphyt.

§. VII.

Forma Emphyteusis stat in consensu multo tuo super prædio concedendo ad utendum fruendum, & canone eo nomine in recognitionem dominii directi solvendo.

Hic multorum ingeniiis agitata se offert *questio*: an instrumentum, seu literæ emphyteusis

reueos, Erb, Zins, Brief, sint de substantia huius contractus.

Affirmativam communiter teneri, & in iudicando tenendam esse, asserit Jul. Clar. §. *emphyteusis*. q. 4. & 15. ob l. 1. C. de *Fure emphyteus*. in qua Zeno imperator rescriptit, quod *cuncta, qua inter utrasque contrahentium partes super omnibus, vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scripturâ interveniente habitis placuerint, firma, illibatâque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri*. Ecce! Imperator vult contractum valere *scripturâ interveniente*. Ergo nisi scriptura intervenit, contractus non valet: etenim duo illi ablativi absolutè positi important conditionem: *si scriptura intervenit*. l. à testatore 109. ff. de *Condit. & demonstr.* & DD. in §. *fin. Inst. de Nupt.* conditio autem implenda est in forma specifica. l. 44. & 55. ff. de *Condit. & demonstr.* & nihil ponit in esse, sed contractum suspendit, donec existat. l. 169. §. 1. ff. de *R. F.*

Negativam tumentur Panorm. in c. *potuit*. 4. h. t. Zoëf. ad ff. *Eod. n. 55*. Perez. ad C. n. 2. Clarif. D. D. Weigler *disp. de Oblig. ex consensu*. q. 43. & plures alii, eò quòd Emphyteusis sit ex ordine contractuum consensualium. §. 3. *inst. h. t.* quorum nullus per se loquendo ad sui valorem exigit scripturam. l. 4. ff. de *Fide instrum.* Neque Zeno Imp. in cit. l. 1. C. de *Fure emphyt.* definivit, scripturam necessariò intervenire debere tantquam formam essentialem, sed respexit ad id, quòd frequentius contingit. Illa autem regula de *duobus ablativis absolutè positis* non est lex, sed procardicon DD. nec universaliter obtinet, sed tunc solum, si id patiat subjecta materia, id quòd arguitur ex recitato textu d. l. 1. nam *pactionibus habitis* etiam sunt duo ablativi absoluti: quis verò dixit, vel dicit, eos hic importare conditionem, & facere, ut pactiones requirantur ad substantiam

emphyteuseos. Accedit, quòd emphyteusis 30. vel 40. annorum præscriptione acquiri possit arg. l. 3. 4. & 6. C. de *Præscript.* 30. vel 40. ann. ad præscriptionem autem scripturâ opus non esse, notius est, quàm ut dici debeat.

Alii distinguunt inter Emphyteusim Ecclesiasticam, & sæcularem, & quò ad hanc inter emphyteusim privatorum, & Civitatum. In emphyteusi sæculari privatorum nullam requirunt scripturam; secus in emphyteusi Civitatum. Mevius p. 3. dec. 289. Struv. *exerc. 11. tit. 66.* sicut & in emphyteusi Ecclesiastica, cum omnes alienationes Ecclesiasticæ in scriptis fieri debeant. c. *ea enim*. 2. §. *bov jus. causâ 10. q. 2. c. sine exceptione. § 2. causâ 12. q. 2. Novel. 7. in fin. præfat. Nov. 120. c. 5.*

Ego cum primis attendendum statuo ad locorum consuetudines, & statuta, utpote quæ juri communi derogant; prout in statutis Bavaricis tit. 21. a. 3. expressè provisum & constitutum est, emphyteusim non aliter, nisi documentis literariis probari posse, teste Georg. Widman. *tract. de Contract. tit. 13. n. 20.*

§. VIII.

Finis præcipuus emphyteuseos est, ut agri inculci, & steriles per culturam mellorentur, vel jam aliquo modo exculci conserventur. Welensbec. in *Parat. ff. Si ager veſtig.*

§. IX.

Effectus emphyteusis est vel proximus, vel remotus. Proximus est obligatio tum concedentis, tum suscipientis emphyteusim.

Concedens, seu Dominus directus obligatur I. ad præstandam Emphyteuta rei emphyteuticæ possessionem, & dominium utile retentò dominò directò. §. 3. *Inst. h. t. l. 2. C. de Fure emphyt.* II. ad resarcienda damna quæ ex vitio rei, quòd ipse scivit, & reticuit, passus est Emphyteuta. Ludwel. ad *Inst. disp. 13. sb. 8. lit. D.*

Z

Acci-

- 41 *Accipiens, seu Emphyteuta obligatur I. ad meliorandam rem, ac fundum in emphyteusim concessum, ita ut finitâ emphyteusi nec impensas meliorandi causâ factas repetere possit, hoc ipsò quòd ex natura contractûs eas facere debuerit. l. 2. C. de Jure emphyte. Novell. 7. c. 3. §. scire autem junctâ l. 55. §. fin. ff. h. t. & ibi Zoëf. n. 114. In quo differt Emphyteuta à Conductore, qui repetit, si quid in rei meliorationem, non fructuum duntaxat gratiâ, impendit. l. 15. §. ult. l. fin. ff. Eod.*
- 42 II. Obligatur Emphyteuta ad annuum canonem, si hunc anticipatò tribus, aut quatuor annis offerat, Dominus directus non cogitur talem solutionem recipere, sed potest præcisè inhærere contractui, & in fine cujusque anni pensionem exigere. *Speculator. tit. de Emphyteusi n. 44.*
- 43 *Scrupulò non caret: utrùm ob sterilitatem, aut alium casum fortuitum Emphyteutæ exemplo Conductoris remittenda sit pensio? Negat Jafon. in l. 1. n. 18. C. de Jure emphyte. per illum textum, & communiter DD. eò quòd regulariter in emphyteusi canon solvatur, in recognitionem dominii, quod manet; in locatione verò pensio præstetur ob utilitatem rei, & ratione fructuum. Ego referre existimem, an canon impositus sit exiguus, an magnus, & fructibus correspondens: Priori casu non remittitur; secus casu posteriori, siquidem tunc emphyteusis proximè accedit ad locationem conductionem. Struv. Syn. tagm. jur. Civil. exere. 24. sb. 34. Gail. 2. obs. 23. Carpz. p. 2. c. 38. def. 19.*
- 44 III. Emphyteuta, si emphyteusim alienet, Domino directo pro susceptione novi Emphyteutæ laudemium, den An- oder Zufall/vel, ut alibi vocatur, das Pfund, Geld solvere tenetur, veluti in compensationem ejus damni quod dominus ex immutatione personæ sentire posset. *Carpzov. p. 2. c. 39. def. 11. cujus quantias in l. 3. C. de Jure emphyte.*

est quinquagesima pars pretii, quòd assignatur emphyteusis, ut scilicet de singulis quinquaginta florenis unus, & de singulis centenis duo pendantur; secundùm consuetudinem autem variat, & alibi vigesima, alibi decima pars solvenda est, in dubio tamen recurrendum est ad jus commune. *Vid. P. Engel. h. t. n. 12.*

IV. Emphyteuta finitâ emphyteusi obligatur ad restituendam rem emphyteuticam, & ad refarcienda damna dolo, aut culpa ejus facta, aut levi in emphyteusi data per l. 7. §. 2. ff. *Commod. & l. 23. ff. de R. F.*

Effectus remotus emphyteusis ex parte utriusque est *actio emphyteuticaria*, quâ uterque contrahentium agit ad consequendum id, quod ex pacto, vel natura hujus contractûs debetur.

§. X.

Contraria emphyteusis sunt modi, quibus finitur. Finitur autem

I. *Lapsu temporis*, ad quod concessa est: quia ad tempus concessa, eò lapsò censetur denegata. *l. 1. in fin. l. fin. ff. Si ager vestig. Zoëf. ad ff. h. t. n. 73.* At transactio tempore an emphyteusis ad instar conductionis ex ceteritate utriusque partis renovata videri debeat; *ambigitur*; probabilior tamen est negativa, quòd hic majus versetur præjudicium, quàm in locatione: & in juris illius, seu utilis dominii continuationem Dominum consentire, non facile præsumendum sit. *Fachin. 1. Controvers. 84.*

II. *Extinctâ generatione*, ad quam emphyteusis data est. Quo casu emphyteusis ad Dominum directum pleno jure, & ita revertitur, ut de ea liberam facultatem disponendi habeat, eamque vel pro se retinere, vel cuiunque pro arbitrio concedere valeat: neque enim tenetur proximo prioris Emphyteutæ cognato potiùs, quàm extraneo eam deferre, seu, ut loquuntur refirmare: utpote cum hoc

fine terminus adjectus sit, ut res ad Dominum revertatur, qui jure suo liberè uti potest arg. l. 11. C. h. t. l. in re mandata 21. C. Mandati. Novel. 7. c. 3. Clariss. D. D. Weigler Diss. de Oblig. ex consens. q. 46.

49 III. Totali ipsius rei emphyteuticæ interitu, ut si ager casmate, vel diluvio pereat l. 1. in fin. C. de Jure emphyt. ideo: quia res, quæ non est, non potest habere accidentia. Partis interitus nocet Emphyteuta, qui nihilominus canonem conventum integrum præstare cogitur. §. adeo 3. F. h. t. d. l. 1. in fin. Ex quibus aperte colligitur, infortunia, quæ rei accidunt, nec omnino eam destruunt, ad Emphyteutam spectare, atque adeò propter illam non eximi à solvenda pensione. Quod ipsum hanc vulgares illi richmi:

Si perit res tota, non dolet Emphyteuta

Sed si pro parte, nullà se liberat arte.

47 IV. Dilatà solutione canonis, seu pensionis annuæ: etenim si Emphyteuta in emphyteusi Ecclesiastica per biennium, in sæculari per triennium continuum in solutione canonis cessaverit, à toto jure, quod in re emphyteutica obtinet, cadit. c. fin. h. t. l. 2. C. de Jure emphyt. licet nunquam fuerit interpellatus per juram citr. & tantum unus nummus solvendus fuisset: quandoquidem solutio non in quantitate pensionis, sed in recognitione dominiis sita est, in qua cessatio longior posset inducere oblivionem emphyteuseos. Clarus §. Emphyteusis. q. 8. n. 3. in fin. In emphyteusi tamen Ecclesiastica moram celeri satisfactione purgare permittum est. d. c. fin. h. t. ex eo, quod jus in ea ob brevitatem temporis durius agat. Fachin. 1. controu. c. 98. Covar. 1. Var. resol. c. 14. num. 14. P. Engel h. t. num. 18. Ceterum caveat Dominus, si ad caducitatem agere velit, ne canonem futuri temporis postea oblatum recipiat; si enim recoperit, caducitati renuntiàsse censetur. l. penult. ff. de Lega Commissi. etiamsi protestatus fuerit, se ca-

nonem salvò jure suo recipere. Besold. p. 2. consil. 45. n. 33. Surdus consil. 86. n. 14. Rosenthal. de Feud. c. 6. concl. 62. lit. H. Aliud dicendum, si receperit, vel exegerit canonem temporis præteriti. Brunneinan. ad d. l. 2. C. de Jure emphyt. Zoëf. ad ff. h. t. n. 82.

V. Finitur emphyteusis, si Emphyteuta eandem Domino itrequisito contra prohibitionem c. fin. h. t. & l. fin. C. de Jure emphyt. vendiderit, subsecutà tamen traditione, quâ intermissâ res non dicitur alienata. l. alienatum 67. ff. de V. S. Necquicquam autem juvat emphyteutam, si factâ venditione, rem statim redimat. arg. l. 10. & 21. ff. de Fideic. libert. 2. Feud. 44. c. un. Satis namque est, jus Domino semel apertum esse, nec emphyteuta, accedente pœnitentiâ, nocens esse desinit. l. 16. ff. de Furtis. Harpr. ad Inst. h. t. n. 450. Dissentiunt valde probabiliter alii per c. fin. h. t. & c. 6. de Reb. Eccles. non alien. Pro parte alienatâ emphyteusi, quoad illam saltem Emphyteutam privatione puniri posse arbitror per text. 2. Feud. 38. cap. 1. quia pœna commensuranda est delicto. l. sancimus. C. de Pœn. Zoëf. ad ff. h. t. num. 98. Planè si Emphyteuta Domino venditionem denuntiaverit, & ille emere recusaverit, vel post denuntiationem per bimestre tacuerit, circa metum commissionis emphyteusi vendi posse, textus est in l. fin. C. de Jure emph.

VI. Culposâ, & insigni rei deterioratione, utpote ob quam Emphyteuta omni suo jure cadit; Novel. 120. c. 8. & auth. qui rem. C. de SS. Eccles. ut si arbores fructiferas etiam, quas ipse posuit, incideret, aut sylvas extirparet, & in locum earum vineas supplantaret, vel agros substitueret. Gail. 2. obs. 67. n. 7. & 11. Clariss. D. D. Weigler diss. de Oblig. ex consens. q. 54. Et quamvis cit. Novel. & auth. de sola emphyteusi Ecclesiastica loquatur, à DD. tamen ob rationis paritatem ad sæcularè quoque extenditur, cum in utraque res utenda,

utenda, non abutenda, melioranda, non deterioranda detur. Zoëf. ad ff. h. t. n. 110. Sed hoc ita, si deterioratio facta sit latâ, aut levi culpâ, non levissima, arg. l. 5. §. 2. ff. Commod. & ut tota emphyteusis non amittatur, si pars tantum deterioretur. Mynsing. centur. 6. obseru. 86.

VII. Finitur emphyteusis per consolidationem dominii utilis cum directo per §. finitur. Inst. de Usufr. In domino autem, an in Emphyteuta, vel etiam tertia persona dicta consolidatio contingat, parum refert.

TITULUS XIX.

De rerum permutatione.

SUMMARIA.

1. Permutationis diversa acceptio. 2. Definitio. 3. origo. 4. quinam permutare possint? 5. usque 10. Quae res permutari possint, quae non? 10. 11. Adducuntur requisita permutationis. 11. Quis sit permutationis finis? 13. 14. Quinam effectus?

Etiam per permutationem dominium transfertur, eaque proximè accedit emptioni - venditioni, imò ejusdem species esse dicitur in l. 2. ff. l. 2. C. h. t.

§. I.

1. *Permutatio accipitur vel generaliter, vel specialiter. Generaliter accepta plerosque contractus involvit, & reducit ad contractum innominatum do, ut des, Gloss. & Sitchard. ad Rubr. C. h. t. n. 3. Specialiter verò sumpta denotat peculiarem contractum innominatum, vulgò ein Tausch. In qua acceptione.*

§. II.

2. *Definitur permutatio, quòd sit contractus innominatus, bonæ fidei, per quem una certa species pro altera vicariâ præstatione commutatur. l. 1. pr. & §. 2. ff. l. 5. C. h. t.*

Dicitur, quòd sit contractus innominatus:

esse contractum, probat §. 2. Y. diversa. Inst. de Empt. & vend. & l. 1. §. 2. ff. h. t. Etat igitur Ant. Faber lib. 6. conject. c. 9. qui negat, permutationem esse contractum, & dicit, tantum esse causam contractus, ac rerum permutationis contractum fieri. Esse autem contractum innominatum, apertè colligitur ex cit. l. 1. §. 2. & docent Surdus consil. 433. n. 30. Welenbec. in Parat. ad ff. h. t. num. 10. Vult. lib. 3. jurispr. c. 41. quidquid contradicat Corrausius 1. Miscellan. 23. n. 4. Quamvis enim permutatio non solum generalissimum nomen do, ut des, sed etiam proprium nomen habere videatur, hoc ipsum tamen nomen permutationis nimis generale est, & plerisque contractibus accommodari potest non minus, quam nomen reliquorum contractuum innominatorum.

§. III.

Causa efficiens permutationis alia est remota, alia proxima.

Remota est Jus Gentium: cum sit contractus antiquissimus, ita ut origo emendi, vendendique ab illo caperit: unusquisque enim secundum necessitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabat, quoniam evenit, ut, quod alteri superest, alteri desit. l. 1. ff. de Contrah. empt.

Proxima sunt permutantes, Possunt autem permutare, qui alienare: aut qui vel sunt veri & liberi Domini rerum permutandarum, vel dispositione juris locò Domini habentur. Ratio hujus regulæ est: quia permutatio est species alienationis. arg. c. nulli de Reb. Ecclæs. alien. Tiber. Decian. vol. 3. consil. 55. n. 53. cum per illam transferatur dominium. l. 4. C. h. t. si id penes permutantes fuit. l. 1. §. 3. ff. Eod. c. 6. §. ad hoc de Except.

§. IV.

Materia, seu objectum permutationis sunt res permutandæ. Possunt autem permutari species, seu res certæ, usque non consumptibiles,

bles, temporales, propriae, non alienae. Pro pleniori intellectu.

Dico I. permutari posse species, seu res certas usu non consumptibiles: nam si species detur pro pecunia, erit *venditio* l. 1. ff. h. t. Si detur quantitas, id est, res fungibilis pro alia quantitate, v. g. frumentum pro frumento, oleum pro oleo, vinum pro vino, erit *mutuum* princ. Inst. Quib. mod. re contrab. oblig. Si genus commutetur cum genere, & quantitas cum quantitate diversi generis, aut species seu res certa usu non consumptibilis cum genere, vel re incerta, aut fungibili; puta si detur frumentum pro vino, Bucephalus pro aliquo equo, vel bove in genere, aut pro certa mensura vini, vel frumenti, non erit *permutatio*, sed contractus innominatus, do, ut des: ut ut enim hoc non adedò clarè in iure expressum sit quòd solummodo inter duas species permutatio esse possit, id tamen receptior DD. sententia sustinet, indeque constat, quòd in l. 5. C. h. t. & passim alibi duarum specierum mentio fiat, ut observat Hostiens. in Summa. h. t. n. 2. Neque autem, in re unum, & idem esse, sive contractus do, ut des: sive *permutatio* celebretur, nam licet uterque sit contractus innominatus, tamen *permutatio* est contractus bonae fidei, non item contractus, do, ut des per text. in §. 28. Inst. de Act.

Dico II. permutari non posse res spirituales pro re temporalis, puta jurisdictionem spirituales pro summa pecuniae, Ecclesiam pro castro, vel praedio, jus patronatus, eligendi, aut decimandi pro re alia pretio aestimabili: siquidem generaliter permutatio de spiritualibus ad temporalia tanquam simoniaca reprobata est in c. fin. h. t. & in c. fin. de Pactis. Addidi: pro re temporalis: quoniam duo Monasteria, quae habent Ecclesias sibi incorporatas, possunt easdem permutare. c. ad quaestiones 6. b. t. Similiter si una Ecclesia habeat jus decimandi in agro alterius Ecclesiae, aut vic-

no, & haec vicissim, possunt invicem propter maiorem commoditatem haec sua jura commutare, servatis tamen solemnitatibus ad alienationem rerum immobilium requisitis per c. nulli. §. de Reb. Eccles. non alien. Et generaliter res spirituales pro aliis etiam spiritualibus, vel his annexis permutare licere siue labe simoniae, tradidimus ad c. de Simonia. sub. n. 16. Verùm hic

Dubitar I. An, & quae beneficia commutari valeant? Sanè ne Clerici privata auctoritate beneficia sua permutent, sub poena privationis ipsò factò incurrendae (nisi permutantis simplicitati veniam tribui aequitas suadeat. c. 8. h. t.) prohibetur c. 5. & 7. Eod. attamen cum consensu & auctoritate Superioris ea non modò inter se conformia, sed etiam difformia, v. g. beneficium simplex cum curato, dignitatem cum personatu, commendam ad vitam cum titulari, aut etiam unum cum pluribus & validè & licitè commutant. c. un. h. t. in 6. Panormit. in c. cum olim 7. Eod. Rebuff. in Prax. p. 3. tit. de Permutatione. n. 51. Federic. in tr. de permut. benefic. q. 6. & seqq. dummodo beneficia sint permutantium, & permutantes in illis jus in re adepti sint: nam expectantiam, mandatum, vel nominationem ad beneficium cum praesenti beneficio mutare non licet per c. fin. h. t. & ibi Imol. Petr. de Perus. & Florian. in c. quaesitum 5. Eod. Matthæus de Afflictis decis. Napol. q. 17. Amplius: aliquando Episcopus rectè cogit ad permutanda beneficia, ut si fortè Clericus pro uno beneficio minus sit idoneus, vel aliàs necessitas, aut utilitas Ecclesiae id exigat. Panormit. in d. c. quaesitum. §. h. t. Non tamen potest Episcopus beneficia ex causa permutationis resignata alteri, quam ipsis permutare volentibus conferre, etiamsi adsint Expectantes, quibus vi gratiae Papalis beneficium primò vacans conferri deberet, vel etiamsi in mense Papali dicta resignatio

tio in manus Episcopi fieret, eò quòd ejusmodi beneficia non simpliciter vacant, aut resignentur, sed sub conditione tantum, si reciproce unius compermutantis beneficium alteri conferatur. *c. nn. h. t. in 6. Clem. un. Eod. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloss. 14. n. 32.*

§ *Dubiratur* II. an in permutatione beneficii pinguis cum tenui excessus proventuum pecuniã, vel aliã re temporalipretio aestimabili compensari possit? Videtur, beneficia incorporata secernenda esse à non incorporatis sive ab iis, quæ in titulum concessa sunt. In beneficiis incorporatis id licet. Ut ecce! si duo Monasteria volunt inter se permutare Parochias, quarum una ampliores possessiones, & majores redditus temporales habet, licitum est alteri hunc excessum pecuniã compensare, & Ecclesiam pauperiorem unã cum mille aureis pro altera ditiore dare. Optimã ratione: quia fundi, & possessiones beneficiorum sunt in dominio Monasteriorum, & aliquid separabile à jure spirituali, ideòque pro illis, tanquam rebus merè temporalibus, pecunia absque simonia accipi potest. *c. ad quæstiones 6. & ibi DD. h. t.* Econtra in beneficiis non incorporatis, ut si duo Parochi ita velint inter se Parochias suas permutare, minimè licebit redditus inæquales pecuniã, vel aliã quavis re temporalis compensare, quidquid contradicant Panormit. Cajetan. & nonnulli alii citati à Barb. in *Collect. DD. ad d. c. 6. n. 1.* qui generaliter ex eo textu concludunt, quoties beneficia commutanda quoad redditus inæqualia sunt, posse excessum pecuniã compleri. Sed malè: cum enim tales Beneficiati, seu Parochi non habeant dominium possessionum, & fundorum ad Ecclesiam pertinentium, sed titulum duntaxat, seu jus percipiendi exinde fructus, non possunt dare & accipere pecuniam pro fundis, seu possessionibus Ecclesiarum, sed tantum pro titulo, seu jure exigendi ampliores redditus, quod jus spirituale est, vel sal-

tem spirituali principaliter annexum, & consequenter non potest sine vitio simoniæ pretio aestimari, vel pro re aliqua temporalis commutari. arg. *c. si quis objecerit causã 1. q. 3. Barb. loc. cit. Covar. 1. Var. resol. c. 5. n. 8.* An illi, qui beneficium pinguis pro tenui, maxime ex causa utilitatis Ecclesiæ, dimittit, annua pensio ab Episcopo assignari possit? diximus *supra ad tit. ut Ecclesi. benefi. sine dimin. n. 43.*

Dico III. non posse permutari res alienas, sed proprias. *l. 1. §. 3. ff. h. t. ubi Paulus JCeus scribit: Pedius ait, alienam rem dantem nullam contrahere permutationem.* Ratio est: quia permutatio præfert proprietatis, ac domini translationem; quod autem alterius est, ei ignorantia, & invito auferri, & in alium transferri non potest: ideòque si res aliena data sit, permutatio revera non contrahitur, nec actio præscriptis verbis, sed actio duntaxat in factum inde nascitur, & si res ante completam ulucapionem evincatur, aut si ante evictionem is, qui accepit, alienam esse nesciverit, quasi permutatio nulla intervenerit, quod à se est datum, ac si nihil sibi traditum fuisset, *condictione causã datã, causã non secutã, repetere: l. 1. §. 3. junctò §. 4. ff. h. t. ult. ff. de Condict. causã datã, causã non secutã.* aut verò, si mavult, ad contractus implementationem, hoc est, rei propriæ traditionem, agere poterit. *l. 1. & ibi Sichard. n. 5. l. 4. l. 5. l. fin. C. h. t. Bachov. ad Trentl. vol. 1. disp. 30. th. 10. in fin.*

Cæterum cum debitis solemnitatibus permutari possunt etiam res Ecclesiarum: *c. 1. h. t. & ibi Barb. c. nulli 5. & ibi Gloss. de Reb. Eccles. non alien. res Minorum: l. 4. & 1. C. de Præd. Minor. res Civitatum & Universitatum. l. fin. C. de Vend. reb. civil. Surdus consil. 28. num 82. item res feudales 2. Feud. 55. cap. Imperialem. Latè Mantic. de Titul. & ambig. convant. lib. 25. à 6. 3.*

§. V.

10 *Forma permutationis est vel generalis, vel specialis.*

Generalis consistit in eo, ut conventionem factam de commutanda specie cum specie, id est re individua cum alia, res ipsa tradatur. *l. 4. §. 1. C. h. t.* etenim permutatio, sicut omnes alii contractus innominati, non solo *consensu*, sed re, id est, *actuali traditione* perficitur: hinc quantumvis duo de rebus suis mutuo commutandis tractent, & conveniant, nondum erit contractus permutationis, sed nudum pactum, ex quo non datur actio saltem de jure civili, ac proinde, si alteruter resilire velit, per nullam actionem ad præstandum interesse compelli potest, juxta textum expressum in *l. ex placito. 3. C. h. t. Mantic. cit. lib. 25. tit. 1. n. 1. §. 2.* verum tunc primum commutationis contractus esse incipit, si unus saltem rem suam alteri tradat sub spe aliam recipiendi *l. 7. ff. de Præscript. verb. d. l. 4. §. 6. & fin. C. h. t.* & quamvis permutatio magnam cum emptione & venditione similitudinem habere videatur, in hoc tamen summopere discrepat, quia, ut loquitur *Jctus in l. 1. §. 2. ff. Eod. emptio, ac venditio nuda consentientium voluntate contrahitur, permutatio autem ex re tradita in initium obligationi præbet; ex ratione dicta, quod sit contractus innominatus: nam nudo consensu obligationem constituit, in his duntaxat receptum est, qui nomen suum habent, ut *ibid.* dicitur, & expendit *Bartol. in d. l. 3. C. h. t.**

11 *Forma specialis*, seu propria permutationis beneficiorum insuper exigit I. ut Clerici ea resignent in manus Superioris exprimentes, quod id causam permutationis faciant. *c. un. h. t. in 6.* Prius tamen de permutatione faciendâ inter se tractare, & convenire poterunt, non quidem ut talis permutatio statim pro rata, & firma habeatur, sed dirigendo se in consensum Superioris, in cujus deinde mani-

bus hac de causa beneficia resignare velint. *Gloss. in Clem. un. V. volentibus h. t., Panorm. in c. quasitum. num. 10. Eod. II.* Ut requirant consensum illorum, qui jus conferendi, eligendi, aut præsentandi habent in talibus beneficiis: alias hi de contemptu agere & permutationem annullare poterunt. Imò si hujusmodi permutatio fiat Patronis, vel Collatoribus contradicentibus & invitis, nisi in maximam Ecclesiæ utilitatem vergat, ipso jure nulla erit. *Garc. de Benefic. p. 11. c. 3. n. 19. & 21. Barb. de Offic. & potest. Episcop. alleg. 69. num. 16. Henric. Canil. in Summ. lib. 3. tit. 8. §. 2. III.* Ut justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, aut saltem ipsorum permutantium interveniat; ut si Parochus propter infirmitatem, Parochianorum aversionem, vel imperitiam linguæ in loco beneficii utiliter commorari nequeat. *Garc. cit. p. 11. c. 3. n. 47.* An autem causa justa, vel injusta sit? Superior arbitrabitur. *P. Engel h. t. n. 5. IV.* Ut accedat autoritas Superioris, *c. 5. 7. & 8. h. t.* scilicet Papæ, aut Episcopi, in cujus Diocesi beneficia sita sunt *d. c. 5.* Inferior hæc prærogativâ nullatenus utitur, nisi eam præscriptione adeptus fuerit, aut jurisdictionem quasi Episcopalem obtineat. *c. Ab-bates. in fin. de Privil. in 6. Gloss. in Clem. un. h. t. Rebuff. in Prax. p. 3. tit. de permutatione n. 20.* Quòd si beneficia compermutanda in diversis Diocesibus sita sint, necessum erit intervenire utriusque Episcopi autoritatem. *Pirrhing. h. t. n. 15.* Sed ad majus commodum, ac facilitatem alter eorum poterit vicem suam, & potestatem admittendi, ac conferendi alteri Episcopo committere, ut omnia procedant coram uno, eodémque Collatore. *Gloss. in c. un. de Rer. permut. in 6. V.* requiritur, ut, si fiat permutatio coram S. Pontifice, ut simul cætera compermutantium beneficia exprimentur. *Rebuff. loc. cit. num. 34.* ubi asserit, ita à Rota Romana judi-

judicatum, & à pluribus DD. traditum esse. Quapropter, etsi id neget Federicus *tr. de perm. benefic. q. 18.* tutius erit, aut cuncta exprimere, aut clausulam inferere, ut tacita pro expressis habeantur.

§. VI.

- 12 *Finis permutationis est, ut subveniatur humanis necessitatibus, & is, qui animò permu- eandi rem suam dedit, aliam sibi magis utilem recipiat. l. 4. in fin. C. h. t.*

§. VII.

- 13 *Effectus permutationis est duplex: proximus & remotus.*

Proximus est obligatio accipientis: dans enim ex sua parte jam sustulit omnem obligationem, habetque jus, antequam pars altera impleat, ut possit liberè pœnitere, remque datam repetere conditione causà datà, causà non secutà, esto, qui accepit, neque in mora sit, neque in culpa; imò licet paratus sit ex sua quoque parte implere contractum. l. 1. 4. §. 7. C. h. t. Ubi obiter adverto, hoc jus pœnitendi ei tantum competere, qui dedit, non etiam hæredi ejus: quia hoc jus, cum pœnitentia sit voluntatis, personæ defuncti cohæret, nec ad hæredem ejus transit. arg. l. 8. §. 3. ff. de Libert. legat.

- 14 *Remotus est actio præscriptis verbis: quæ est personalis, bonæ fidei, & ei competens, qui rem suam animo permuanti alteri dedit, ut ipse aliam rem in specie ab eo ex permutatione recipiat. l. 6. C. h. t. & si fides contractus non servetur, interesse præstetur. l. 1. C. Eod.*

†

TITULUS XX.

De Feudis.

SUMMARIA.

1. 2. 3. *Feudi onomatologia.* 4. *Definitio.* 5. *Usque 19. Divisio.* 19. 20. *Origo.* 21. *Usque.* 25. *Adm-*

cuntur persona, qua dare. 25. usque 33. Qua acci- pere possunt feudum. 33. usque 43. Quibus mo- dis acquiratur feudum? 43. Assignantur res, qua in feudum dari possunt. 44. Forma feudi stat in peti- tione investitura. 45. In ejus solemnitate. 46. Et juramento fidelitatis. 47. Quis sit finis feudi? 48. usque 51. quoniam effectus. 51. Et seq. Quibus mo- dis feudum amittatur?

CUM per contractum feudalem utile do- minium transferatur, sicque res quo- dammodo alienetur præcedentibus titulus de Feudis subjicitur.

§. I.

*De etymo feudorum tanta inter DD. est va- rietas, ut ferè dicere queas, tot hic esse senten- tias, quot capita; probabilior tamen est, feu- dum ab Itolorum vocabulo *fede*, quod Latinis *fides*, seu *fidelitas*, est, denominari, atque id ipsum titulus Vasallorum, quò insigniuntur, *liebe / getreue / probat.* Rosenthal c. 1. de Feud. concl. 7. l. 1.*

§. II.

*Synonymicè feudum sæpius beneficium nun- cupatur. 1. Feud. 1. §. 2. & 4. 1. Feud. 14. in pr. unde & Vasallus beneficiarius, beneficia- tus, aut inbeneficiatus salutatur. Interdum feudum appellatur etiam *gratia.* Stryk in Exam. jur. feud. c. 2. q. 10. Germanicè dicitur ein *Lehen* à verbo *lehen*, quod signifi- cat aliquid utendum fruendum concedere, ut ut alii aliunde derivent. Ludwel, Synops. feud. c. 2.*

§. III.

*Quoad homonymiam vox feudi aliquando sumitur pro ipso negotio, seu actu, quò jus feudi contractu feudali interveniente inter dominum & Vasallum constituitur, *Lehen* Contract, *Lehen* & *Geding.* 2. Feud. 3. §. 1. 2. Feud. 23. Nonnunquam pro ipsa re, quæ in feudum datur, *Lehen*; *Gut.* 1. Feud. 4. juncto 2. Feud. 8. *print.* Hinc passim legimus, feudum mutari, alienari, oppignorari. Nec iste modus loquendi insolitus est: nam servi-*

servitutes, census, & jura prædiorum prædia indigitat Celsus in *l. quid aliud* 86. ff. de V. S. Sæpius pro jure feudali, quod Vasallo à Domino in suis rebus conceditur, cum obligatione fidei, & obsequii ein Lehens-Berechtigter. Vult de Feud. lib. I. c. 1. n. 9. Ita in præsentia accipitur, &

§. IV.

Definitur feudum, quòd sit jus in re aliena immobili, vel æquipollenti perpetuò eâ utendi fruendi, sub conditione fidei, & obsequii benevolè concessum. Colligitur ex §. ult. 2. Feud. 23. junctò §. 1. Inst. de Usufr. Stryck. in Exam. jur. feud. c. 2. q. 11.

§. V.

Summa feudi *diviso* est in feudum proprium, seu rectum, & in improprium, seu non rectum, vel obliquum.

Proprium est, quod nulla in parte à communi, ac consuetæ feudi ratione recedit, sed naturalia sua ubique salva, nec ullâ pactioe restricta retinet. 1. Feud. 7. & 2. Feud. 2. videlicet, quod constituitur in re immobili, vel æquivalente, ita ut dominium utile in accipientem transeat, & quidem in perpetuum, ut in hæredes (non tamen fœminas, legitimos tantum, vel naturales tantum, aut ascendentes) transmittatur: ut fidelitas jurata, servitiâque præstentur personalia, investitura post mortem Domini renovetur: alienatio non nisi Domino contentiente fiat. Quæ, & nonnulla alia feudi naturalia exponit Wurmser de Feud. impr. class. 3. sect. 1. num. 16. Contra Feudum improprium dicitur, quod aliqua sui parte à communi feudorum ratione degenerat arg. e. 1. tit. 21. Feud. 1. ut si naturæ feudi vel ipsâ Juris feudalis dispositione, vel pacto & conventionem, vel etiam statuto, aut locali consuetudine quid detrahatur; quando enim salvis feudi naturalibus aliquid adjicitur, quod regulariter feudo non cohæret, id improprium feudum non efficit,

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

Ludwel Synops. feud. c. 4. Porro in dubio, an feudum proprium sit, vel improprium? præsumitur proprium. §. hoc autem. 1. Feud. 1. §. præterea. 2. Feud. 2. in tantum, ut licet feudum naturam suam propriam in uno, atque altero deposuerit, in cæteris tamen eam retinere dicatur. 2. Feud. 48. §. qualitercumque Vult. de Feud. lib. I. c. 8. n. 94. Zasius p. 12. n. 19. & alii.

Feudum proprium multifariam dividitur. 6

I. Ex persona Domini feudum dantis in nobile, & ignobile, seu plebeium. 2. Feud. 10. & 53. Nobile ex, quod ex conferentis potestate, & voluntate nobilitat. Ignobile, cujus concessio est defectu vel potestatis, vel voluntatis in concedente accipienti non confert nobilitatem. Vult. de Feud. c. 8. n. 9. & seqq. Ut tamen feudum nobile censeatur, interdum voluntas tacita, & præsumpta sufficit, tum nimirum, ubi Princeps aliquem de Ducatu, Marchionatu, Principatu, vel Comitatu investierit: eò ipsò enim cum Ducatu Ducem, cum Marchionatu Marchionem, cum Principatu Principem, cum Comitatu Comitem, adeoque Nobiles fecisse præsumitur arg. tit. 10. Feud. 2. Vult. d. c. 8. Obrecht. de Feud. disp. 2. th. 17. & seqq.

Nobile rursus subdividitur in regale, & non regale. arg. tit. 14. pr. Feud. 1. Regale (Germanicis ein Hahnen, Lehen / eò quòd investitura vexillò fieri soleat, dictum) est, quod à S. Principe cum dignitate regali conceditur; cujusmodi feuda sunt Regnum, Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Principatus, Comitatus, & hodiernis Germaniæ moribus Patronatus, qui Comitatu æquiparatur. Zas. in Epit. feud. p. 5. n. 29. Non regale est, quod dignitatem vel omninò nullam, vel saltem regali inferiorem annexam habet, sive deinde ab Imperatore, sive ab inferioribus Principibus jus nobilitandi habentibus detur. Vultejus de Feud. d. c. 8. n. 10.

Aa

II. Ex

8 II. Ex persona Vasalli acquirentis feudum fâpescitur in *novum*, & *vetus*. arg. *tit. 3. feud.*
 2. *Novum* est, quod Vasallus possessor ipse-
 mer primùm, & novâ investiturâ, vel præscri-
 ptione acquisivit. *Vetus* autem, quod ab alio
 acquisitum per successionem ad eum pervenit.
 Et siquidem venerit à Progenitoribus intra
 quatuor gradus agnationis, scilicet à Patre,
 Avo, Proavo, vel Abavo, vocatur feudum
paternum ein *Väterliches Lehen*. 1. *Feud.*
 8. Si verò à Majoribus ultra quartum gradum
 v. g. à Tritavo acquisitum sit, propriè *anti-*
quum, seu *avitum* ein *Stammen Lehen* oder
alt Väterliches Lehen / indigitatur. Bor-
 cholt. *de Feud. c. 4. n. 2.* Sed quoniam feu-
 dum *paternum* & *antiquum* promiscuè ponun-
 tur, ut 1. *Feud. 4. §. 2. & 12. 2. Feud. 11. §.*
his verò. neque quoad effectus uris differunt,
 idèò subdivisionem hanc, tanquam inutilem
 rejicit Vult. *tit. c. 8. n. 12.* cum aliis. Illius
 autem distinctionis inter *novum*, & *vetus*, seu
antiquum maxima est utilitas, ut enim alias
 omittam, quas refert Gail. 2. *observ. 50.* in
 feudo *novo* nulli collaterales, sed soli filii, &
 nepotes succedunt, in *antiquo* autem etiam
 fratres, & omnes collaterales respectu ultimi
 possessoris, dummodo ex primo acquirente
 descendant, succedere possunt. 1. *Feud. 1. c.*
un. §. 2. Deinde feudum *novum* à Vasallo
 renunciatum, vel absque Domini consensu
 alienatum redit ad Dominum, *antiquum* ve-
 rò devolvitur ad filios, vel agnatos, qui alias
 post mortem Vasallo renuncianti, aut alienan-
 ti succederent. 2. *Feud. 26. c. 1.* Zasius in *Epit.*
feud. p. 9. num. 29. in fin.

9 III. Ratione materiæ, seu objecti feudum
 dividitur in *Ecclesiasticum*, & *seculare*. 2. *Feud.*
 35. *c. un. Ecclesiasticum*, germanicè ein
Krumbstäbisch / vel *Krumbstabs Lehen* /
 propriè dicitur, quod ab Ecclesiarum Præ-
 latis in bonis ad Ecclesiam spectantibus
 constituitur, sive deinde accipientes Cle-

rici sint, sive sæculares. Bocer. *tr. de qualis*
 & *differ. feud. c. 2.* Vult. *lib. 1. c. 8. n. 19.* Et
 contra sæculare est, quod à Principibus, & Do-
 minis sæcularibus, aut etiam Ecclesiasticis,
 de bonis tamen patrimonialibus, & tempo-
 ralibus, datur, etiamsi detur Episcopis, vel
 Monasteriis arg. *c. ex transmissa. de Fors*
comper. ubi Pontifex *seculare* feudum appel-
 lat illud, quod Clericus à Domino *seculari*
 possidet. Bocer. *d. c. 2.* Interim communi-
 ter feuda Ecclesiastica dicuntur, & contra feu-
 da sæcularia distinguuntur tam feudum ab Ec-
 clesia *acceptum*, quam ab Ecclesia *datum*, eò
 quòd utrumque in jure feudali specialiter pri-
 vilegiatum reperitur: quandoquidem feu-
 dum propriè *Ecclesiasticum*, sive ab Ecclesia
datum illud peculiare obtinet, quod coram
 quibuscunque testibus concedi possit, cum ex
 adverso in feudo sæculari investitura non nisi
 coram Paribus Curia, ist est, coram Vasallis
 ab eodem Domino feudum habentibus, fieri
 nec per alios testes facta probari queat. 1.
Feud. 26. pr. Feudum ab Ecclesia *acceptum*,
 sive Ecclesie datum, licet à Domino sæculari
 illud speciale habet, quòd propter delictum,
 & infidelitatem Episcopi, vel Abbatis amit-
 tatur quidem, & ad Dominum redeat, quam
 diu delinquens in prælatura manet, verùm eò
 mortuò, aut deposito Successori illius resti-
 tuendum est: cum delictum Prælati non de-
 beat nocere Successoribus, vel ipsi Ecclesie. 2.
Feud. 40. & DD. ibid.

IV. à forma dividitur feudum proprium
 in *ligium*, & *non ligium*. Cujac. 2. *Feud. 55.*
 Rolenthal *de Feud. c. 2. concl. 4. n. 6.* *Ligi-*
um, quòd à *ligando*, seu *ligâ* dictum, illud est,
 quò Vasallus Domino fidelitatem præstat
 contra quemcunque alium, nemine prius
 in toto orbe excepto. 2. *Feud. 99. c. un.* Quia
 propter hujusmodi feudum non nisi à sum-
 mis Principibus superiorem non recognoscenti-
 bus dari potest, cum alias dantis superius
 necesse

necessario excipi deberet. Item nemo potest à duobus Principibus hujusmodi feuda ligia accipere, ut in *cod. c. un. habetur*, & arguitur ex *l. r. §. ff. Commodati*. Ratio est, quia impossibile est, duobus promittere fidelitatem contra omnes alios, sed dum uni promittit, necessario alterum, cui similiter jam obligatus est, excipere debet. Feudum *non ligium* vocatur, ex quo Vasallus Domino ita fidelitatem debet, ut tamen alteri ex eadem, vel alia causa similem fidelitatem præstare valeat: nam exceptò feudò ligiò non repugnat, aliquem duo, vel plura feuda à diversis Dominis recognoscere, & ita plurimum Dominorum Vasallum esse per text. in *cit. c. un. 2. Feud. 99. P. Engel b. t. n. 11*. ubi notat, feudum non censerì ligium, nisi expressè de hoc conveniatur, etiamsi à Principe datum sit, eò quòd singularis ista obligatio sit præter naturam feudi.

V. Ab effectu quidam feudum proprium dividunt in feudum *familia*, seu *ex pacto & providentia*, & in feudum *hereditarium*, seu *parimoniale*. Feudum *familia*, vulgò *Stamm* seu *Lehen* illud dicitur, in quo tantum Masculi per legitimum matrimonium à primo acquirente descendentes jure agnationis, & sanguinis succedunt; cujusmodi sunt omnia feuda propriè dicta, & esse præsumuntur, ubi de specialibus pactis non constat per *tit. 2. in fin. Feud. 2. Bocer. de qualis. & different. feud. c. 5. n. 36. Vult. de Feud. d. c. 8. n. 32.* Feudum *hereditarium*, ein *Erbs und Erbschafts Lehen* est, in quo per specialia pacta receditur à providentia, & dispositione juris communis feudalis, nec solum filii, & agnati à primo Acquirente descendentes, sed etiam quicumque hæredes extranei in testamento instituti succedere possunt; cujusmodi censetur, si in investitura dicatur: *Tibi, & hæredibus quibuscunque feudum concedo*. Fachin. lib. 7. *controv. cap. 6.* Sed hoc ad feuda

impropria spectat, cum non ex propria feudi natura, sed ex pacto convento ad hæredes extraneos descendat, arg. *tit. 13. §. est clientulus. Feud. 1.* Porro ex his duobus constitui potest feudum *mixtum*, si v. g. in investitura dicatur: *Tibi, & filiis tuis hæredibus &c.* quo casu non poterit filius repudiata hæreditate paternâ petere feudum: ex quo copulativè ad successionem in tali feudo mixto requiritur, aliquem & filium, sive agnatum, & hæredem esse, quod aliàs in feudo familiae propriè dicto necessarium non est. Vide text. in *tit. 45. Feud. 2. & ibi DD. Vult. c. 8. n. 30. Fachin. lib. 7. Controv. c. 5.*

Improprii feudi species variae occurrunt, 12 Potissimæ & præcipuæ sunt sequentes.

Prima est feudum *fœmineum*, ein *Weibers oder Künckls Lehen*, quod fœmina primitus acquisivit, sive cujus primus acquirens fœmina fuit arg. *tit. 30. & 50. Feud. 2.* Et hoc opponitur feudo masculino, ein *Mannss Lehen*, quod à masculo primùm acquisitum est, seu cujus primus acquirens fuit masculus. Sunt tamen, qui etiam illud feudum *fœmineum* appellant, quod masculo eo pacto collatum est, ut etiam fœminæ succedere possint. Sed displicet hæc opinio: cum feudum fœmineum in *c. un. 2. Feud. 50.* in verbis: *nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum*; expressè illi feudo opponatur, quod ex pacto ad fœminam transit. Vult. lib. 1. *de Feud. c. 8. n. 3.* Rosenthal in *synops. feud. cap. 2. concl. 7.* Quia verò ad feudi naturalia pertinet, ne fœminæ succedant. *1. feud. 8. in pr.* utrumque tam fœmineum, quàm in quo ex pacto fœmina succedere potest, *improprium* est, & de utroque notabile, quòd, licet etiam fœminæ capaces sint hujusmodi feudi, semper tamen masculi præferantur, & fœmina nunquam admittatur, nisi masculis omnino deficientibus, per textum expressum in *c. un. 2. feud. 30.*

Altera

Altera

13 Altera improprii feudi species est feudum francum, ist est, liberum ein Frey Lehen / in quo Vasallus nulla servitia præstare tenetur. Vult. de Feud. lib. I. c. 8. n. 50. Borcholt. c. 4. n. 20. & 32. Propterea autem hoc feudum improprium salutatur, quòd naturale feudi sit, ut illius ratione Domino servitia præstentur. 2. feud. 23. Illud verò feudum, quod certi servitii est, id est, de quo Vasallus Seniori certum & determinatum servitium præstare tenetur; veluti ut Domino bellum gerenti duos, tresve equites mittat: ut mensæ Domini inserviat: ut Dominum vel Dominam comitetur, quamvis feudis impropriis accenseant Rosenthal. cit. c. 2. concl. 65. num. 3. Zaf. p. 12. n. 13. Schard. p. 2. c. 4. n. 12. & alii; magis tamen est, ut feudum certi servitii feudum proprium statuam: cum enim d. i. 23. Feud. 2. feudum proprium definiatur, & tandem hæc subjiçitur qualitas, sive servitium illud nominatim, quale esse debeat, expressum sit. utique apparet, naturam feudi hanc esse, ut vel ad certum & determinatum, vel incertum servitium constituatur. Quod ipsum colligitur ex tit. 51. Feud. 2.

14 Tertia improprii feudi species ponitur feudum emptivum arg. tit. 23. Feud. 2. ubi feudista feudum per beneficium definit; quæ sanè definitio illi feudo, quod pretiò emitur, non videtur competere. Vult. lib. I. c. 8. n. 45. Borcholt. c. 4. n. 26. Nihilominus existimem cum Sam. Stryck. in Examin. jur. feud. c. 4. q. 14. feudum emptivum potius proprium, quam improprium esse: tum quia non est illa vera feudi definitio, sed qualiscunque descriptio: tum quia beneficium etiam emi posse, dicitur apertè in tit. 20. feud. I. sicut & beneficium illi rei, quæ pretiò comparata est, adhærere dicitur in l. 3. in fin. ff. de Obsequiis parent. & patron. præst. tum quia nullo juris feudalis textu hoc requisitum necessariò exigitur, ut feudum gratuitum esse debeat, sed in arbi-

trium Domini concedentis confertur, quamvis honore, & amore Domini potius, quam sub prætextu pecuniæ feuda acquirenda esse minimè negem. arg. tit. 27. Feud. I. tum demum, quia aliàs vix in tota Germania reperietur feudum proprium, cum omnia sint emptitia, testa Bocer. de Qual. feud. c. 4. num. 62.

Quarta species feudi improprii est feudum pignoratitium, ein Pfand, oder wiederloslich Lehen / quando Dominus pro credita sibi summa pecuniæ cum reservata sibi relucendi facultate aliquem investit. Vult. de feud. c. 8. n. 46. & seqq. Scharder. de feud. p. 2. c. 4. n. 57. Ideò autem improprium feudum dicitur, quia non conceditur hæc intentione, ut perpetuò apud Vasallum maneat, sed donec Dominus pretium restituerit: hinc & à quovis hærede, etiam sæmina, tam diu, donec pretium restitutum sit, detineri potest. Struv. de feud. c. 4. Aphor. 14. Klock. tom. 3. consil. 150. n. 56.

Quinta species est feudum hæreditarium, germanicè ein eigenthumlich Lehen / Gut / quod ita datum est, ut in eò jure hæreditario, atque secundùm dispositionem Juris Civilis, non verò ex providentia Juris feudalis succedatur; quò de paulò ante n. 11.

Sexta est feudum de camera, & de Camera: quorum illud est beneficium, quod alicui ex arario, seu silco Domini pro sustentatione, quamdiu vivit, assignatur, ein Cammer Lehen. tit. 1. feud. 2. hoc verò, quod Dominus alicui è cella sua, horreo, vel penuario constituit, Kuch, oder Keller Lehen. Rosenthal. c. 2. concl. 30. impropria autem dicuntur partim quia solùm ad tempus constituuntur; cum tamen feudi natura sit, ut in re immobili constituatur. tit. 1. & 23. in fin. Feud. 2. nec ad tempus, sed in perpetuum concedatur. tit. 1. Feud. I. Zasius p. 12. n. 31.

Septima est feudum soldata, cum scilicet alicui non ex certa Camera, vel Cavena, sed simpliciter annua pecunia, vinum, aut frumentum sub obligatione fidelitatis, ac servitiorum conceditur: quippe hoc non solum morte accipientis, sed etiam morte dantis expirat, ac propterea feudum personalissimum dicitur; de quo est textus 2. feud. 10. Sam. Stryck. in Exam. jur. Feud. c. 4. q. 61.

18. *Postrema improprii feudi species sunt feudum guardia, & gastaldia: Illud dicitur, quod Dominus alicujus castri, vel territorii pro custodiendo illo castro, vel territorio alicui ad dies vitæ, vel ad certum tempus concedit. 1. Feud. tit. 2. Hoc verò, quod procuratori, vel gubernatori domus, aut aliarum rerum pro gubernatione assignatur. d. tit. 2. Feud. 1. Borcholt. de feud. c. 4. divis. 8. Hujus feudi Gastaldia species sunt feudum Advocatia Bogten, Lehen / Decania Zehend, Lehen / & cujuscunque officii publici jure feudi collati Hof, Lehen / Struv. in Exam. jur. feud. 4. q. 30. Schrader. de feud. p. 2. c. 3. n. 24. Recedunt autem à natura feudi in eo, quòd non fiat perpetua, nec transmittantur ad hæredes, sed tamdiu durare solent, quamdiu illorum officia, quorum intuitu constituuntur. Zasius p. 12 c. 1. ubi bene notat, hac in parte observandam esse loci consuetudinem; nam in Ducatibus, & Principatibus Germaniæ passim officia Pincerna, Dapiferi, Marschali, & camerarii cum feudis annexis perpetua esse, & ad hæredes masculos transire, adeoque juri communi in hoc per consuetudines derogatum fuisse, in propatulo est.*

§. VI.

19. *Causa efficiens feudi duplex est: remota, & proxima.*

Remota est jus feudale, quod ex consuetudinibus, seu moribus Longobardorum, non ex jure Romano, aut alio antiquiori ab incer-

tis Authoribus conscriptum est. arg. tit. 10. Feud. 1. & tit. 1. Feud. 2. Clariss. D.D. Wolfer in quest. select. jur. q. 4. per tot. Unde hodieum jus consuetudinarium censetur, & Libri feudorum consuetudines feudorum; 2. feud. 2. usus feudi: 2. Feud. tit. 10. & 101. usus regni: 1. Feud. 15. 2. Feud. 82. usus curiarum: 2. Feud. 103. & usus feudorum passim à DD. in allegationibus indignantur. Excipiuntur quædam constitutiones Lotharii, Conradi II. & III. & Friderici I. Imp. quas Hugolinus Jctus Libris feudorum adjecisse dicitur, quæque ad jus scriptum pertinent.

Interrogari hic solet: quam auctoritatem Libri feudales in Imperio obtineant?

Equidem extra dubitationis aleam est, constitutiones Imp. juris auctoritatem habere, cum quod Principi placuit, legis habeat vigorem. §. 6. Inst. de F. N. G. & C. Fuerunt tamen olim, qui cæteris consuetudinibus omnem auctoritatem denegârunt: tum quòd majori ex parte complectantur decisiones Gerhardi Nigri, & Oberti de Orto, qui Doctores ac Consules Mediolanenses fuerunt, & legis condendæ potestate caruerunt; tum quòd consuetudines illæ sint particulares, Itolorum maximè Mediolanensium, adeoque legibus Romanis nihil præjudicare, nec in foro Romano obligare possint. Ita relati apud Fachinæum lib. 7. controv. c. 2.

Verùm communi Recentiorum calculo Libri feudales authentici reputantur, & in Imperio eadem in causis feudorum, quâ leges scriptæ in aliis, auctoritate pollent: sine dubio ideo: quia Imp. quorum est leges generales condere, decisiones feudales multis in locis, illic detrahendo, hic addendo, alibi ratificando haud obscurè confirmârunt, ut patet ex tit. 13. Feud. 1. tit. 44. & 53. Feud. 2. ipsique SS. Pontifices in pluribus Decretalibus comprobârunt, veluti in c. cæterum de Judiciis.

c. c. verum. c. ex transmissa de Foro comper. præcipue verò, quia à sæculo decimo quinto consuetudines illæ in Germaniæ foris, & Academiis sine contradictione allegatæ, atque usu Germanis communes factæ sunt; siquidem consuetudo, quæ iudiciò populi recepta, & frequenter in eodem controuersiarum genere seruatæ est, pro lege custoditur. l. 2. §. 1. ff. de Legib. l. 1. c. quæ sit longa consuet. Clariss. D.D. Woller in *Quæst. select. jur. q. 8. n. 10. & seqq.* Struv. in *S. F. F. s. 1. th. 7. n. 4.* Vult. de *Feud. lib. 1. c. 1. n. 6.* P. Engel. *h. s. n. 1.* ubi concludit jus feudale non tantum sæculares, sed & Clericos, qui feuda possident, ratione illorum bonorum feudalium obligare per *c. 6. & 7. de Foro comper.*

Planè, quòd Libris feudorum plenam auctoritatem attribuerimus, id accipiendum est de capitibus ordinariis, quæ occurrunt in *Libro I. & II. feudorum* usque ad titulum 58. inclusivè. *Capita enim extraordinaria*, quæ operâ Cujacii, & aliorum adjecta sunt, dubiæ sunt auctoritatis, cum non perinde ut priora, usu sint recepta. Clariss. DD. Gletle in *Jurispr. fundam. dissert. præamb. §. 3. num. 2.* Hinc quoties cum capitibus ordinariis conveniunt, vel ad ordinariorum explicationem faciunt, vel casum in ordinariis non decisum continent, allegari possunt, non verò, si ordinariis contrarientur. Clariss. D.D. Woller *cit. q. 8. n. 15.* Struv. *cit. th. 7. n. 10.* Samuel Stryck. in *Exam. jur. feud. c. 1. q. 22.*

21 *Causa efficiens proxima feudi spectatur partim in personis dantibus & accipientibus feudum: partim in modis, quibus acquiritur.*

Circa dantes regula traditur, quòd omnes feuda dare possint, quibus libera rerum administratio competit. *tit. 3. Feud. 2.* Unde

Inter personas Ecclesiasticas feuda dare, & constituere possunt I. S. Pontifex, qui non solum sua, & Apostolicæ Sedis, sed etiam

omnium Ecclesiarum inferiorum bona infeudandi potestatem habet: ex quo penes S. Pontificem rerum, bonorum, & iurium ad quasunque Ecclesias, aut religiosa loca pertinentium suprema, & generalis administratio existit. Bald. *ad tit. 1. Feud. 1. S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1.* Zasius in *Epit. Feud. p. 5. num. 44.* & quidem interveniente iustâ causâ sine omni solennitate Felin. *ad c. ad audientiam de Rescript.* quamvis teste Matthæo de Afflict. *ad tit. 1. Feud. 1. n. 19. & 20.* ut in aliis rebus arduis, ita etiam in majoris momenti infeudationibus Cardinalium consilium adhibere soleat.

II. Inferiores Prælati, & Clerici, qui de bonis suis patrimonialibus æquè ac laici aliis quocunque modo feudum conferre possunt, *2. Feud. 35.* de rebus autem Ecclesiæ: citra contentum Capituli tum demum, si antiquitus consuetudo fuerit, eas in feudum concedere *1. Feud. 1. in pr.* aut olim infeudati sollicitæ fuerint. *c. fin. b. t. 2. Feud. 35. Gail. 2. observ. 161. n. 3.* & alii laudati à Rosenthal de *Feud. c. 4. concl. 21.* eo saltem casu, quo eadem causæ, propter quas res talis primitus in feudum dari cœperit, adhuc perdurant. Text. & DD. in *c. fin. b. t. Extravag. ambitiosa. de Reb. Eccles. non alien. inter Comm.* & Nos supra *Eod. tit. n. 12.*

Inter personas sæculares, eminet Imperator Romano Germanicus, qui non solum de bonis propriis, & patrimonialibus, sed etiam de feudis Imperii vacantibus alios in vestire potest; ita tamen, ut hodie regalia, & majoris momenti feuda Imperii, sive etiam mercatoribus emittantur, als Fürstenthümer / Graffschafften / Städte und bergleichen / sine præcæto, & consensu Electorum ohne Not wissen der Chur / Fürsten / in feudum dare, aut eo nomine expectantias, ut vocant, concedere nequeat, sed illorum redditus ad Imperii usus, si quando vacent, servandi sint. Ca.

Capitulatio Caroli V. art. 24. Ferdinandi II. art. 28. Ferdinandi III. art. 23. Ferdinandi IV. art. 20. Leopoldi. art. 30. & Josephi art. 29. Certè Ditionum hæreditiarum, det Erb. Ländt. feuda majora rectè etiam citra consensum Electorum concedit.

22 Præterea Principes, Marchiones, Comites, & Barones, item Civitates Imperiales, bona sua in feudum dare posse, expeditum est. 1. Feud. 1. in princ. Num verò etiam Plebeii, & Rustici de bonis suis feuda constituere, & vassallos acquirere queant? rationem dubitandi suggerit tit. 1. & 7. Feud. 1. & tit. 10. Feud. 2. ubi certæ personæ enumerantur, quibus feuda dare licitum, nec tamen Plebejorum fit mentio. Nihilominus quòd possint, intrepidè assero: quandoquidem textus præallegati abrogantur tit. 3. Feud. 2. nec etiam JCorum propositum fuit, illis in locis personas hábiles recensere, sed tantum ostendere, quis dicatur Dux, Marchio. ut rubrica, & textus ostendunt. Ad hæc cum Vasalli minimi (qui plebeii sunt tit. 10. §. ceteri. Feud. 2.) feudum, quod ab alio tenent, alii rursus in feudum dare possint, ratio nulla apparet, ob quam de bonis propriis feudum dare prohibeantur.

23 Circa personas feuda accipientes regula est: omnes feuda accipere posse, quibus non est interdictum rerum commercium, non obstante ullâ sexûs, ætatis, ac conditionis ratione, nisi nominatim repeccantur prohibiti. 2. Feud. 3. & 26. Hinc

45 Non refert I. Mas sit, qui accipit feudum, an foemina: quamvis enim foemina in feudo succedere nequeat, feudum tamen de novo eidem concedi poterit. 2. feud. 30.

47 Non refert II. sive sit majorennis, sive minorennis: quoniam Minorem, & Pupillum, etiam sine Tutore, vel Curatore sibi feudum acquirere, & suam conditionem meliorem reddere posse, textus est in tit. 26. in fin.

Feud. 2. juncto §. 1. Inst. de Authorit. tut. Est tamen inter Minorem, & Pupillum hac in parte notabile discrimen: etenim feudum instar aliorum contractuum cum Pupillo initiorum claudicat, & Pupillus quidem feudi utilitatem percipit, à servitiis autem, & oneribus sive realibus, sive personalibus eximitur. Aliud est de Minorenni, ut qui sine consensu Curatoris se ad servitia personalia obligare potest, cum Curator rebus tantum detur, non personæ, sicut tutor, & ideo in iis, quæ personam concernunt, Minorennis à Curatore non dependet, ut communiter notant DD. in l. puberes. ff. de V. O. & l. obligari. ff. de O. & A.

Nec refert III. Superior sit accipiens, an inferior: nam & Superior ab inferiore feudum accipere potest; quoad servitia tamen in hujusmodi feudo, maxime quando Ecclesiastici Prælati ab aliis Nobilibus feudum recipiunt, communiter est receptum, sub-vassallum constituere, qui à Domino investituram recipere, eique pro re data inservire debeat. arg. l. 14. ff. de Jurisdic. Schrader. de Feud. p. 4. c. 3. Vult. eod. ty. c. 4. n. 9. & 10.

Grandis semper fuit altercatio: utrum Clerici & Religiosi feuda acquirere, vel in eis succedere valeant?

Negativam colorare videntur speciosi textus in tit. 21. tit. 26. §. qui Clericus. tit. 30. & 36. in fin. Feud. 2. in quibus Clerici & Religiosi simpliciter, & absolutè feudorum incapaces pronuntiantur ex ratione, quòd denierint esse milites hujus sæculi, qui facti sunt milites Christi; quæ ratio eò magis in Religiosis obtinet, quò in perfectiori statu sunt constituti.

Affirmativam commendant textus in tit. 40. 30 §. fin. Feud. 2. & etiam c. 6. & 7. de Foro comper. ex quibus DD. communiter concludunt, Clericos & Religiosos bona in communi possidentes capaces esse feudorum, in primis si ea

ex primæva institutione Ecclesiasticæ dignitati annexa sint, prout in Germania Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates feuda majora dignitatibus annexa possident. Fachin. lib. 7. *controv. c. 34. in fin.* Deinde si statuto, vel consuetudine receptum sit, ut Clerici præsertim sæculares, feuda, quæ ante Clericatum obtinuerunt, retineant, aut in iis succedant. Vult. lib. 1. *de feud. c. 9. n. 67.* Tertio si feuda sint franca, sive libera ab obsequio personali; vel si servitium sit tale, quod Clericus honestè obire possit; vel si reale duntaxat, v. g. pensio pecuniaria, non verò personale servitium debeat, vel personale quidem, seu militare, sed quod per substitutum præstari possit. Rosenthal. *de feud. c. 30. num. 20. & 23.* In hanc sententiam inclinant Herman. Hermes in *Fascic. Fur. publ. c. 29. n. 24.* qui docet, S. Ordinis Equites v. g. S. Joannis Hierosolymitani, Rhodienses, Melitenses &c. die *Johanniter, Maltheser Ritter* / utut Regulares sint, feudorum nobilium capaces, & tanquam proximos agnatos ad successionem feudi antiqui admittendos esse: & P. Engel *h. t. n. 24.* qui tamen *in fine* subjungit, feudum, in quo Monasterium locò Religiosi succedit, solum ad vitam ejus penes Monasterium manere, eò verò mortuò ad Agnatos, vel Dominum directum redire.

- 31 Textus, qui contra hanc opinionem initio allegati sunt, accipi solent de feudis exigentibus obsequium personale, quod Vasallus præstare per se ipsum debet, & Clericali, ac Religioso statui repugnat. P. Engel *cit. n. 24.*
- 32 Specialiter feuda accipere prohibentur hæretici, apostata, excommunicati, banniti, rei, & filii reorum criminis læsæ Majestatis, aliòve publico crimine damnati, & unversim, qui honestè in Curia Domini stare non possunt per *tit. 37. Feud. 2.* adeoque etiam infames, & nati ex incestis, aut nefariis nuptiis arg. *l. 6. & anth. seq. C. de Incest, unpt.*

Borcholt. *de Feud. c. 5. ad fin.* Rosenthal. *l. 3. concl. 23.*

Modi, quibus feudum acquiritur, alii sunt inter vivos, alii mortis causa. Modi acquirendi inter vivos sunt investitura, & præscriptio. Mortis causa feudum acquiritur successione.

*Investitura vernaculâ die Belehning/ est actus solennis, quò Dominus Vasallo fidelitatem promittenti feudum cedit. Et hæc in tantum est necessaria, ut eâ omisâ, quamvis Dominus rem immobilem in se feudum dare dicat, & alter re ipsâ rem talem Domino jubente occupet, tamen feudum non constituitur, sed res ejusmodi immobilis solum ad dies vitæ possideri queat, non autem ad hæredes accipiens t' anseat per textum expressum in *tit. 25. pr. Feud. 1.**

Est autem investitura alia *propria*, alia *abusiva*. *Propria* dicitur, quando Vasallus actualiter à Domino, vel ab aliquo illius commissario in possessionem civitatis, castri, fundi, vel alterius rei feudalis inducitur. *tit. 2. Feud. 2.* *Abusiva*, hodie tamen passim usitata est, quando Vasallo feudum absque corporali possessionis traditione solenniter ceditur, traditò vexillò, gladiò, hastâ, annulò, vel aliò signò locò ipsius rei *tit. 33. Feud. 2.* Harum utraque est modus acquirendi feudum arg. *tit. 25. Feud. 1. tit. 1. in fin. tit. 11. in pr. & tit. 33. in pr. Feud. 2.* licet ex abusiva investitus possessionem non statim adipiscatur; quâ tamen vacuâ cogitur Dominus illum immittere, nec præstando interesse liberatur. *tit. 3. §. fin. tit. 26. §. si facta Feud. 2.* Imò Vasallum propriâ autoritate eam vacuam ingredi posse, communis DD. opinio est, arg. *c. ex litteris, de Consuet. Borcholt. de Feud. c. 8. n. 11.*

Planè investitura non tantum in prima feudi constitutione desideratur, sed repetenda, & renovanda est, quoties vel Dominus, vel Vasallus moritur; alias si Vasallus ab hærede Domini

Domini Senioris, vel hæres Vasalli à Domino per se, aut per Procuratorem intra annum non petat investituram, ac de novo fidelitatem polliceatur, feudum amittet. *tit. 34. 40. & 55. Feud. 2.*

37 *Præscriptio* est præsumpta quædam investitura, ait enim Feudista: *Si quis per 30. annos rem aliquam ut feudum possederit, & Domino servitium exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen 30. annorum se tueri potest. tit. 26. §. si quis per 30. annos. Feud. 2.* Requirit itaque ad hanc præscriptionem feudalem præter continuam possessionem, bonam fidem, & iustum titulum, primo possessionem 30. annorum. *Secundo* ut res illa tanquam feudum possessa sit. *Tertio* ut possessor à Domino requisitus feudalia servitia ei præstiterit. *Vult. de Feud. c. 9. v. 4.*

Sed num 30. annorum possessio ad præscribendum feudum quoque in rebus Ecclesiasticis sufficiat? in *controversiam* venit. Et licet textus *dicti tit. 26.* sit generalis, attamen cum iure utroque Civili, & Canonico actiones Ecclesiis, vel aliis locis venerabilibus competentes præscriptione 40. annorum duntaxat tollantur: *c. 4. de Præscript. Novell. 111. & novell. 131. c. 6.* neque contrarium iure feudali traditum sit, idem tempus in hac specie præscriptionis observandum videtur. *arg. tit. 1. §. strenuus. Feud. 2. Mynsing. cent. 4. obs. 29. num. 3. Bronchi. de feud. c. 7. p. 3. n. 8. Rosenthal. eod. tr. c. 6. concl. 78. num. 7.* Quibus cum aliis se opponit *Vult. de feud. l. 1. c. 9. num. 8.*

Utrum feudum absque Domini consensu alienatum à tertio bonæ fidei emptore tempore saltem immemoriali præscribi possit? vide textus in *tit. 40. §. præterea tit. 55. & nos autem Feud. 2. & doctissime versat Rmus D. Christoph. Priggl. in Man. præct. de Appell. in additamento q. 2. per 102.*

38 *Successio* iure communi duplex est, testa-

mentaria scilicet, quæ ex testamento, & legitima, quæ ab intestato deferitur. *l. 1. 2. 3. & 8. ff. de Petit. hæred.*

Successio testamentaria regulariter in feudo locum non habet, adeo ut teste Feudista: *nulla ordinatio defuncti in feudo maneat, aut valeat. tit. 8. Feud. 1.* etiamsi à principe ista defuncti ordinatio confirmata sit, *arg. tit. 7. princ. & tit. 13. Feud. 1.* & Dominus, vel Senior feudi in istam dispositionem consenserit, nisi agnati quoque, de quorum præiudicio agitur, consensum suum Vasallo accomodaverint. *Curt. Junior de Feud. p. 4. n. 127. & seqq.* quamvis pro anima, & ad causas pias de feudo Vasallus disposuerit, *tit. 9. §. donec. Feud. 2.* idque in tantum, ut ne quidem æstimationem feudi relictæ hæres legatario præstare teneatur: cum tali re legata, cujus nullum est commercium (quemadmodum in præsentī feudo, *tit. 52. & 55. Feud. 2.*) nec æstimatio ejus debeat. *l. 39. in fin. ff. de Legatis 1.* Excipitur feudum merè hæreditarium, de quo testari posse Vasallum, nemo dubitat, cum iure purè hæreditario in eo succedatur. *Vult. lib. 1. feud. c. 9. n. 74.*

Ad successionem ab intestato (quæ potissi-
mum in feudis obtinet) primo loco & ordine etiam iure feudali vocantur descendentes, seu liberi defuncti vasalli, tam sui, quam emancipati. *tit. 1. §. 1. Feud. 1. tit. 11. in pr. Feud. 2.* ita ut si plures sint ejusdem gradus, succedant in capita, seu partes æquales, adeo ut nulla parentum inæqualis dispositio subsistat etiamsi Dominus consentiat. *tit. 8. feud. 1.* si verò concurrant liberi diversi gradus, puta filii, & nepotes, hi cum illis iure representationis admittantur in stirpes. *d. t. 11. feud. 2.*

Adoptivi tamen, ut & naturalis, licet pot-
estea fiant legitimi ad successionem feudi non admittuntur. *§. adoptivos, & §. naturales 2. feud. tit. 26.* nisi per subsequens matrimonium fuerint legitimated. *Gail. 2. obs. 141. n. 2.*

Bb

Myn-

Mynsing. cent. 5. observ. 52. Penitus autem à successione feudorum remouentur filia, imò & descendentes ex iis, quamvis sint matres. §. hoc autem notand. 1. Feud. 1. §. filia verò 1. feud. tit. 8. & 2. feud. tit. 36. licet feudum francum, aut emptitium fuerit. Gail. 2. observ. 150. Mynsing. cent. 5. observ. 73. Fachinæus 7. controu. 37. Excipitur feudum foemineum tit. 30. & 50. feud. 2. & feudum, in quo pacto speciali cautum, ut foemina in eo succedant. §. hoc autem. tit. 1. feud. 1. Sed nec in his foemina locus patet, donec Masculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerat investitus. tit. 17. §. non etiam feud. 2. semel tamen per masculum exclusa, propterea perpetuò pro exclusa habenda non est, non obstante textu in e. 1. §. quin etiam. 1. Feud. tit. 6. qui dicto textui 2. Feud. 17. concordandus est; prout solidissimè demonstrat Clariss. D. Ernest. Frid. à Someting. Collega meus Collendissimus in semicent. controu. illustr. decade. 5. contr. 4. Mynsing. cent. 5. observ. 74. Hart. Pistor. lib. 2. q. 36. n. 5. & seq. Dissentit. Casp. Klock tom. 2. consil. 3. cum innumeris n. 37. ciratis.

41 In secundo successione ab intestato ordine deficientibus liberis jure communi ascendentibus, seu parentes utriusque sexus vocantur. Novell. 118. c. 2. at jure feudali horum vix ulla habetur ratio, eò quòd feudum accipiens sibi, suisque liberis, non parentibus prospexisse censeatur. tit. 50. Feud. 2. Excipiunt tamen Doctores aliquot casus, in quibus liberis defunctis parentes in feudis succedunt, ut primò si filius ob parentis benè merita sit investitus. Corvinus synops. jur. feud. lib. 2. tit. 4. in fin. Secundo, si Pater favore filii, ut is investiretur, feudo suo renuntiaverit, & filius vivo Patre sine descendantibus moriatur. tit. 34. Feud. 2. Mynsing. cent. 3. observat. 93. Tertio, si avus consentiente filio feudum in nepotem transtulerit. Rosenthal. de feud. c. 7.

concl. 14. n. 7. Quarto, si in nova investitura expressè ita cautum fuerit. d. tit. 84. Feud. 2. Quintò, si consuetudine speciali, aut statuto loci ita receptum sit. Sextò, si feudum sit merè hæreditarium. 2. Feud. tit. 48. Rosenthal. d. concl. 14. n. 22. ubi n. 24. cum Schradero tradit, quòd in casu, quo parens in feudo succedit, cum illo & fratres defuncti admittantur juxta d. Novell. 118. c. 2. siquidem jure feudali nullibi contrarium constituitur, scriptà proinde lege utendum per tit. 1. Feud. 2.

Tertius, imò secundus ordo in feudis succedentium, liberis deficientibus est Collateralium; quos inter primò locò succedunt fratres defuncti, siue germani sint, siue consanguinei, non autem uterini: cum in feudis sola agnatio spectetur. tit. 11. Feud. 2. Gail. 2. observ. 151. cum fratribus porro reliquorum fratrum defunctorum filii concurrunt, succedentes cum patris suis in stirpes secundum Jus representationis. d. e. 11. Feud. 2. Si autem sint soli fratrum liberi, absque concursu patruorum, non in stirpes, sed omnes in capita succedunt: non enim jure representationis veniunt, sed quilibet jure proprio per d. Novell. 128. c. 3. Deficientibus fratribus, eorumve liberis successio devolvitur ad ceteros collaterales, qui in feudo paterno infinitum admittuntur, salvà tamen gradus prærogativà tit. 1. §. 4. in fin. Feud. 1. tit. 11. & 50. Feud. 2. secus si feudum sit novum. tit. 8. §. 2. tit. 14. & 20. Feud. 1. §. VII.

Materia, seu Objectum feudi sunt res, in quibus constituitur; constitui autem potest in rebus immobilibus, & æquipollentibus, ex quibus perpetuò fructus colligi possunt sine dominii directi consumptione. tit. 1. in fin. Feud. 2. siue propriæ sint, siue alienæ. tit. 3. & 8. Feud. 2. agris itaque, silvæ, castra & quæcunque bona immobilia, item etiam jura &

& jurisdictiones, quæ immobilibus accen-
sentur; velut jus decimandi, jus venandi &c.
relicta in feudum dantur. Imò & census pen-
siones, ac redditus annui: qui quoad hoc im-
mobilibus æquivalent.

§. VIII.

44 Formam feudi Hattyserus in *Anal. Juris*
Feud. c. 9. constituit potissimum in *petitione*
investituræ, in ejus *solemnitate*, & *fidelitatis*
Sacramento.

Petenda est *investitura* juxta dicta n. 36.
tam in novo, quam in antiquo feudo. In no-
vo tempus eam petendi est *arbitrarium*, adeo-
que *vasallus* expectare debet, donec à Do-
mino ad eam accipiendam vocetur. *Welen-*
bec. de Feud. c. 7. n. 2. *Vult. c. 7. n. 21.* Quòd
si Dominus sit in mora vocandi, potest *vasal-*
lus ultrò se offerre ad *juramentum fidelitatis*.
Vult. d. l. Borcholt. c. 7. n. 29. Si autem
vasallus ter citatus, congruè terminò septem,
vel decem dierum interpositò, ad *curiam* Do-
mini non venerit, feudo caret. *tit. 22. &*
24. §. 1. Feud. 2. In antiquo autem *reno-*
vationem investituræ *vasallus* vel *per se*, vel
per *Procuratorem* reverenter, ac humiliter
petet intra annum, & mensem à die, quo
primum sciverit, talem *mutationem* incidisse,
alioquin feudo cadet. *t. 24. 40. §. 2. &*
n. 55. in fin. Feud. 2. Et hoc tempus *Dom-*
inus invito *vasallo* minuere, & *coarctare* ne-
quit, licet cum ejus *consensu* prorogare possit
per l. 74. 75. & 186. ff. de R. F. *Vult. d. c. 7. n. 63.*

45 *Solemnitas investituræ* consistit in eo: *primò*,
ut *investiens* in re *præsenti* constitutus, aut
verò extra illam *tradiò signò* quòdam loco
rei, ut *baculo*, *annulo*, *ense*, *hastà*, *chirothecà*,
aut *libro* dicat *investièdo*: *ego te investio de*
hoc pradio, ut illud in feudum habeas. arg.
tit. 2. pr. Feud. 2. In Imperio nostro feuda
regalia *Ecclesiasticis*, qui sunt *Principes*, per
sceptum; *secularibus* vero per *vexillum*, &
hodie loco *vexilli* per *ensem* conceduntur.

Unde nata nomina *Fahnen*: und *Scepter*.
Lehen. *Hermes in Fasc. Jur. publ. c. 18. n.*
68. Deinde ut adhibeantur idonei testes ad
minimum duo, qui liberi sint, & masculi, &
quidem *Pares curiæ*, id est, *convasalli.* *tit. 32.*
in fin. Feud. 2. *Vult. de Feud. c. 7. n. 27.* qui
si absint, citandi, ac expectandi sunt certo
tempore per *tit. 33. Feud. 2.* si verò non com-
paruerint, *investitura* coram extraneis expe-
diri poterit, ac si Dominus nullos *Pares curiæ*
haberet. *tit. 3. §. quod autem Feud. 2.* Quæ
ita in feudo novo, & *seculari* procedunt: an-
tiqui enim *investitura* coram extraneis; *dict.*
tit. 31. §. de veteri Feud. 2. *Ecclesiastici*
tam coram extraneis, quam *Paribus curiæ* fie-
ri potest. *tit. 26. §. hac omnia. Feud. 1.*

Per *Sacramentum*, seu *juramentum fidei-*
tatis *vasallus* ad tuitionem vitæ *Domini*, *fa-*
mæ, & *bonorum* ejus adversus omnes se ob-
liget, oportet. *tit. 5. 6. & 7. Feud. 2.* Ex-
cepto *Imperatore*, vel *Rege*: *d. tit. 7.* Do-
mino antiquiore: *tit. 28. in fin. Feud. 2.* item
Patre. *Zafius in Epit. Feud. p. 7. n. 20.* Et li-
cèt hoc *juramentum investituræ* demum se-
quatur, *tit. 4. & 7. in fin. Feud. 2.* tamen adeò
necessarium est, ut, nisi *specialiter* *investito*
remissum fuerit, *investitura* illi non intelliga-
tur facta, si *fidelitatem* vel *per se*, vel per *pro-*
curatorem *mandatò speciali instructum* face-
re recuset. *tit. 3. in fin. Feud. 2.* Nisi *vasal-*
lus adhuc sit *impubes*: hic enim neque *per*
se, neque *per alium* *fidelitatem* facere cogitur
donec *major factus* fuerit. *tit. 25. §. si minori.*
Feud. 2. sicut & ad ejus *exemplum furiosi*, &
similes fatui excusantur. *Vult. de feud. c. 7.*
n. 37. §. IX.

Finis feudi est vel *ultimus*, vel *interme-*
dus. Ille est *Reipublicæ* *commodior* *defen-*
sio, & *familiarum*, maxime *illustrium*, *con-*
servatio. Hic est *privata utilitas* tum *Dom-*
ini, ut sibi *fide devinctum* habeat *vasallum*,
in quem *beneficium* contulit. *tit. 5. Feud. 1.*

tit. 28. Feud. 2. tum vasalli, ut is beneficio cum suis fruatur.

§. X.

48 *Effectus feudi alii Dominum, alii Vasallum respiciunt, & utrique vel personam, vel rem in feudum datam*

Effectus feudi respectu Domini persona est ejusdem obligatio ex constitutione feudi descendens: obligatur autem I. ut vasallum præstita fidelitate in vacuam possessionem inducat. 2. Feud. 26. II. Ut ob moram, quam in tradendo feudo commisit, vasallo omnem utilitatem præstare debeat. 2. Feud. 7. III. ut vasallo præstet evictionem, siue sciens, siue ignorans in re aliena eum investiverit. 2. Feud. 8. modò lite pendente à vasallo ad se defendendum citatus fuerit. 2. Feud. 25. & vasallus tempore investituræ feudum esse rem alienam nesciverit. d. tit. 8. & tit. 25. IV. Dominus vasallo sub poena amittendæ proprietatis reciprocam fidelitatem (non tamen juratam) debet, & proinde neque injuriâ afficere, accusare, aut feudo illum sine causa privare. 2. Feud. 6.

Effectus feudi à parte Domini, qui rem in feudum alteri datam contingit, consistit in administratione juris Domino competentis: nam Dominus proprietatem, seu Dominium directum rei feudalis retinet. tit. 23. §. ult. Feud. 2. ita ut nec pacto effici possit, ut directum feudi dominium in vasallum transeat. tit. 8. & quamvis & d. tit. 23. Feud. 2. Zafius in Epit. jur. feud. p. 2. n. 8.

49 *Effectus feudi à parte Vasalli, ejusque personam concernens stat præcipuè in exhibitione reverentiæ, & obsequiorum. tit. 6. §. 1. tit. 36. §. quomodo. Feud. 2. Et verò debita gratitudo exigit, ut Dominum tanquam Benefactorem revereatur, eique obsequatur in eo, quod ratione feudi ab ipso petit, & ipse promisit. Hinc si vasallus violentas manus injiciat, aut gladium stringat, etiam non secuto*

vulnere: si veneno, aut alio modo Domino insidias struat: si domum, aut Castrum Domini vi ingrediatur: si fœdus & amicitiam cum hostibus Domini ineat: si Domini arca na dolo malo revelet: si Dominum ipsum, aut feudum abneget: si Dominum de crimine capitali accuset, aut famosâ quâdam actione pulset: si cum uxore Domini adulterium committat, aut filiam, neptemve, vel nulum vitiet, vel quamcunque gravem læsionem Domino in honore, aut bonis inferat, siue directè siue per consequentiam, feudum amittit, idq; ad Dominum revertitur. tit. 5. tit. 17. tit. 21. Feud. 1. tit. 3. tit. 5. tit. 6. tit. 7. tit. 17. tit. 24. §. fin. tit. 26. §. si vasallus. Feud. 2.

Effectus feudi respectu vasalli ratione rei in feudum data est, quòd vasallus consequatur utile rei dominium ipsius rei feudalis. tit. 8. §. rei autem Feud. 2. Potest itaque rem feudalem liberè administrare, & frui, & omnia ea facere, quæ meliorem, non autem deteriore reddunt feudi conditionem. tit. 8. §. rei & §. contrario. Feud. 2. alienare tamen feudum sine consensu Domini, si novum; vel etiam Agnatorum, si paternum sit, nequam potest. tit. 1. §. cum verò tit. 8. & 13. Feud. 1. tit. 14. 18. 26. §. Titius. & 30. Feud. 2. Et si defacto alienet, non solum alienatio invalida est, sed etiam alienans subsecutâ traditione præter pretium quoque feudum perdit, totum, si totum alienavit; partem, si partem. tit. 18. §. 2. & 55. Feud. 2. Clarus §. feudum q. 31. & 35. quia vasallus taliter alienans Dominum contemnere videtur. tit. 24. §. fin. Feud. 2. Et hoc procedit non solum de venditione, sed quocunque actu, quo Dominium, vel jus reale, siue titulo oneroso, siue gratuito in alterum transfertur. tit. 8. tit. 9. tit. 24. §. similiter tit. 40. §. præterea tit. 52. & 55. Feud. 2. Quapropter Vasallus feudum nec oppignorare, nec hypothecare potest. tit. 9. §. 2. & 55. Feud. 2. nec donare. d. t. 9. §. donare. Feud. 2.

neque in dotem dare, nisi ipsa Mulier in dotem concedat, *d. tit. 9. §. donare & tit. 13. Feud. 2.* nec permutare, *d. tit. 55. Feud. 2.* nec in emphyteum concedere, *d. tit. 9. §. donare, & tit. 55. Feud. 2.* nec in solutum dare, *d. tit. 9. §. 52. & 55. Feud. 2.* nec testamento relinquere, aut legare, *tit. 8. Feud. 1.* Hæc verò omnia potest cum consensu Domini directi expresso, aut saltem tacito, *tit. 13. §. fin. Feud. 1. Rosenthal de Feud. c. 9. concl. 26.*

§. XI.

11 *Contraria feudi sunt modi, quibus dissolvitur, & semel constitutum amittitur; id quod contingit vel ex persona Domini, vel ex persona Vasalli, vel ex re ipsa.*

Ex persona Domini feudum finitur, si ad eum statum perveniat, ut nullo existente propinquo fiscus eidem succedat: quippe hic Vasallus præfertur, consequenter cessat possidere jure feudi, ac impostum suo jure, tanquam allodium, atq; eum freyegenes Gut / possidet. Vult. de Feud. c. 11 n. 7. Sine dubio ideo: quia dominium directum non fuit sepatatum & reservatum fisco, sed propinquis tantum, consequenter his deficientibus consolidatur cum dominio utili penes Vasallum existente.

12 *Ex parte Vasalli finitur I. si moriatur absque hæredibus feudilibus, illis scilicet, qui de jure succedere possunt: tunc enim feudum Domino aperitur, id est, cum dominio directo consolidatur. 1. Feud. 18. 2. Feud. 15. & 26. II. Si feudum refuset, seu renuntiet. Vasallus namque pro lubito dominium utile Domino etiam invito iterum cedere, & resignare potest. 2. Feud. 38. propterea: quia feudum est beneficium præcipue in favorem Vasalli concessum, cui proinde liberè renuntiandi potestatem tribuit. l. 29. C. de Pañ. Dil. sentit Panorm. in c. 1. h. t. arg. l. 5. C. de O. & d. Sanè si extraneo cedatur, consensus Do-*

mini interveniat, oportet, cum talis refutatio sit alienationis species. Struv. S. F. F. c. 12. aphor. 14. & c. 13. aph. 1. & seq. III. si Vasallus faciat id, quod de jure non est faciendum, puta, si invito Domino rem alienet, vel si in Dominum delinquat, & feloniam, seu ingratitude directè, vel indirectè in eundem admittat juxta *jur. a. n. 49. citata.* IV. si omitat, quod est faciendum, ut si Vasallus debita servitia recuset: si Dominum in acie deserat: si gravem jacturam, quæ Domino imminet, sciens non avertat: si intra annum & diem investituram non petat: si per longissimum tempus dominium utile negligat, Struv. S. F. F. c. 10. aphor. 9. n. 3.

Ex ipsa re feudum extinguitur, si res feudalis incendio, casmate, aut belli calamitate pereat. Ratio ex natura ususfructus petitur: quia non tantum merus ususfructus est, sed dominium in feudo, igitur non sicut ususfructus ædium cessat eis exultis. §. 3. Inst. de Usufr. sic & jus feudi, sed remanet illud in area jure domini, ac in ipsa area. Struv. in Syntag. Jur. feud. c. 15. aph. 4.



TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

DEnique quoddam *jus in re* transfertur per pignora, de quibus, ut & de Cautionibus h. t. agitur.

Pars I.

De Pignoribus.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Pignus, quid nominis? 4. quid rei? 5. usq; 13. quotuplex? 13. Quæ origo? 14. 15. A quibus? 16. usque 22. & in quibus rebus constituitur? 22. Assignatur forma pignoris. 23. Quid

At pactum legis commissoria, & an sit licitum? 14. Quid anticretesius, & quo jure prohibita? 25. Finis pignoris. 26. Quae ex pignore oriatur obligatio? 27. quae actio. 28. Quae remedia petitoria? 29. possessoria ex jure pignoris competant? 30. de jure pignus retinendi. 31. & distrahendi. 32. Quinam potiores pignore? 33. 34. Quibus modis pignus solvatur?

§. I.

1 **P**ignus à pugno dicitur, quasi res, quae pignori datur, pugno, sive manu tradatur. Unde etiam videri potest, verum esse, pignus propriè rei mobilis constitui, ut ait Cajus J.C. in l. plebs. 238. §. 2. ff. de V. S.. At hæc vox potiùs allusionem quandam, quàm veram etymologiam continet, siquidem non obstante hæc allusione pignora etiam vocantur, quae manu non traduntur: & non solum rei mobilis, sed etiam rei immobilis, veluti fundi, aut ædium pignus contrahi potest. per l. 8. §. 5. ff. de Transact. l. 2. §. fin. ff. de Relig. & sumpt. fur. l. 39. ff. de Pign. act. l. 1. §. 2. l. 23. ff. h. t. l. 9. C. Eod. Clariss. D. Frid. Ernest. à Somering. ad Inst. Quib. mod. re contr. oblig. num. 41.

§. II.

2 Pro Synonymis pignus agnoscit hypothecam. l. 5. §. 1. ff. h. t. vadium. c. 1. h. t. gageriam: c. 1. de Feud. & ibi Gonzal. & c. consultum. 2. Feud. 8. §. ult. vernaculâ appellatur etiam Pfand / quasi behand. Wehner in observ. pract. V. Pfand.

§. III.

3 **P**ignus tripliciter sumitur. I. pro ipsa re oppignorata. tot. tit. ff. & C. de Distrab. pign. II. pro jure reali, quod creditor in re oppignorata habet. tot. tit. ff. & C. Qui potiores in pignore. III. Pro ipsa rei oppignoratione. l. 1. §. fin. ff. de Pact. In quo sensu hic potissimum accipitur, &

§. IV.

4 **D**efinitur pignus in genere, quòd sit conventio, quâ res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti.

§. V.

Dividitur pignus I. in pignus in specie, & hypothecam. Pignus in specie te perficitur, cum scilicet res à debitore ipsi creditori pro securitate debiti traditur, & donec ei debitum solvatur, obligatur per §. fin. & ibi DD. Inst. Quib. mod. re contrab. oblig. Econtra hypotheca contrahitur solo consensu: neque enim certa verborum forma, neque scriptura, neque actualis rei traditio etiam ficta requiritur, sed solâ voluntate, & consensu debitoris rem suam obligare volentis constituitur, & jure Prætorio jus reale in rebus hypothecatis creditori acquiritur, utur aliâs spectato jure Civili pacto & solâ conventionione jus tantum ad rem detur. Videatur text. l. 4. ff. h. t.

Porro hypotheca & pignus in specie partim conveniunt, partim differunt. Conveniunt primo, quòd jus reale acquiratur in utroque. Secundo, quoad jus distrahendi. Tertio, quòd pro utroque detur actio hypothecaria, & hoc intellectu Marcellus ait in l. 5. §. 1. ff. h. t. pignus & hypothecam tantum nominis solum differre. Differunt tum causâ efficiente: quia pignus est juris Civilis, hypotheca autem Prætorii; tum materiâ: quia illud ferè in mobilibus, hæc in immobilibus constituitur, quod tamen, ut insinuavimus, perpetuum non est: tum formâ: quia pignus actuali rei traditione, hypotheca verò non aliter, quàm pacto & nudâ conventionione constituitur; tum denique effectu quantum ad actiones; quoniam pignoratitia est actio personalis, hypothecaria autem realis. Nec tamen hæc actiones differunt quantum ad formulam hypothecariam, quam Prætor etiam ad pignora extendit.

II. Dividitur Pignus in expressum & tacitum.

Expressum est, quòd fit expressâ partium conventionione de re oppignoranda. Estque aut generale, aut speciale.

Pignus, ac hypotheca generalis est I. quando debitor omnia sua bona simpliciter obligat Creditori; quo pignoris genere veniunt omnia bona tam mobilia, quam immobilia, tam presentia, quam futura: l. 4. l. fin. C. *Qua res pignori obligari*. & etiam jura, actiones, ac nomina, omniaque, quæ in bonis alicujus esse videntur. l. 49. ff. de V. S. II. quando debitor nominatim creditori obligat bona sua mobilia, & immobilia: seine Haab und Güter / ligend / und fahrendt. Et tunc in eo pignore non continentur jura, actiones & nomina debitorum, ut quæ constituunt certam speciem bonorum distinctam à mobilibus, & immobilibus. l. 7. §. 4. ff. de Penultio. Stryk. de cautel. contract. sect. 2. c. 4. §. 15. Dissentit Struvius Exercit. 26. ch. 20. III. Quando debitor obligat bona sua vel mobilia tantum, vel immobilia tantum. Et hoc casu à fortiori excluduntur nomina, actiones & jura. Certè quoquo modo generalis sit obligatio bonorum, ea non complectitur, quæ verisimiliter quisquam specialiter obligaturus non fuisset; veluti sunt vestes quotidianæ, libri Studioforum, Suppellex, & alia ad usum quotidianum necessaria. l. 6. §. 2. & seq. ff. h. t.

Pignus, seu hypotheca specialis est, quæ in re certa, vel specie constituitur; puta in domo, area, agro, item universitate corporum, ut grege. l. 13. & 34. ff. h. t. Quamvis autem hac specialis oppignoratio ad alia, quam de quibus conventum est, non extendatur, nihilominus tamen ea continet, quæ vel accedunt rei oppignoratae, ut pars fundo per alluvionem: l. 16. ff. Eod. ususfructus proprietati per consolidationem: l. 18. ff. Eod. domus areae per inædificationem: d. l. 16. §. 2. vel quæ ex re oppignorata nascuntur, ut parvus ancillarum, foetus pecorum &c. l. 21. §. 1. l. 26. §. fin. ff. Eod. cum accessorium sequatur naturam principalis: c. 42. de

Reg. Jur. in 6. & incrementum rei non sit diversum ab ipsa re, quam auget l. 4. ff. de Jur. dot.

Tacitum pignus est, quod sine expressa hominum conventionione inducitur. Estque autem *conventionale, aut legale*.

Conventionale dicitur, quod solo tacito consensu partium, ac re ipsa contrahitur; quale constituitur Domino in rebus in prædium urbanum illatis, vel investis, non solum pro pensione, sed etiam pro deterioratione ipsius rei locatae. l. 2. & 4. ff. in quibus caus. pign. tacit. l. fin. C. Eod. Modò eò animò & mente inducitur fuerint, ut ibidem quasi perpetuò sint l. 7. §. 1. ff. in quibus causis pign. tac. Aliud obtinet in rebus in prædium rusticum investis: ut enim hæ obligatae sint, non sufficit nudum factum illationis, sed insuper expressa conventio requiritur per §. 3. Inst. de Interdict. l. 4. & 6. ff. & l. 5. C. in quibus caus. pign. tacit. tamen si fructus in prædio locato nati ob mercedem Domino fundi tacite intelligantur pignori esse sine expressa conventionione. d. l. 7. ff. & l. 3. C. Eod.

Pignus legale est, quod citra ullum hominis factum à sola lege immediate constituitur. Constituitur autem I. fisco in bonis Debitorum, Officialium, & Administratorum suorum ex causa tributorum. l. 1. C. in quibus caus. pign. tac. l. 46. §. 3. ff. de Jure fisci. II. Civitati in bonis administratoris. per l. fin. C. quo quisque ord. conven. III. Marito in bonis uxoris pro dote danda, & uxori in bonis mariti pro eadem restituenda. l. un. §. 2. C. de Rei uxoria act. l. 8. C. de Jure dot. Novell. 97. c. 2. IV. Pupillo & Minori in omnibus bonis Tutorum vel Curatorum suorum, si contingat eos malè administrare tutelam, vel curatellam. l. pro officio 20. C. de Administrat. tutor. nec non Ecclesiis, Collegiis, aliisque locis piis, quæ jure minorum gaudent, in bonis Prælatorum, & Administratorum. Gloss. in c. 5. V. obligata h. t. V. Liberis prior:

prioris matrimonii in bonis tam Patris, quam Matris ad secunda vota transeuntis ratione bonorum, quæ ex priori matrimonio ad eos pervenerunt. l. 8. §. 4. C. de Secund. nupt. VI. Legatariis, & Fideicommissariis ratione relictæ in rebus à Testatore provenientius. §. 2. Inst. de Legat. l. 1. C. communia de legat. VII. Redemptori in servo, quem ab hostibus redemit. l. 20. §. 1. ff. Qui testam. fac. poss. l. 12. §. 12. l. 15. §. 21. ff. de captiv. & postlim. revers. VIII. Creditori mutuanti quid in refectionem & conservationem ædium. l. 1. §. 5. & 6. ff. In quibus caus. pign. tac. IX. Pupillo in re empta ex pecunia Pupillari l. 7. ubi Gloss. ff. Qui pot. in pign. X. Venditori in re vendita contra emptorem, usque dum de pretio integrè illis satisfecerit. l. 31. §. 8. ff. de Edil. edict. l. 13. §. 8. ff. de Act. empt. l. 22. ff. de Heredit. vend.

12 II. Pignus in latiori sensu acceptum dividitur in voluntarium; & necessarium. *Voluntarium est*, quod constituitur per voluntatem debitoris creditori. Et constituitur vel per ultimam voluntatem, si testator rem aliquam pignori, vel hypothecæ creditori esse jubeat. l. 26. ff. de Pignorat. act. vel per conventionem, seu actum inter vivos, estque vel pignus in specie, vel hypotheca, ut ex dictis patet. *Necessarium est*, quod auctoritate, seu imperio Magistratus constituitur, estque vel *Pretorium, vel Judiciale*. *Pretorium* dicitur, quod per inmissionem ex primo decreto in possessionem, vel quasi possessionem rerum debitoris ex causa legatorum, damni infecti, novi operis nuntiationis, & aliâ quavis causâ legitimâ, puta propter absentiam, contumaciam, vel frustrationem adversarii inducitur. l. 1. & 2. Cod. de Prator. pign. l. 7. §. 1. & seq. ff. Quib. ex caus. in possess. eatur. l. 3. §. 1. ff. de Reb. eor. qui sub tutel. c. tua fraternitatis. Ut lite non contestata. *Judiciale* vocatur, cum iudex in causa iudicati definitivam sen-

tentiam à selatam executioni mandat, captione & distractione pignorum ex bonis condemnati. *101. tit. C. Si in causa judic. pign. l. 10. ff. Qui pot. in pign.* incipiendo à mobilibus, iisque deficientibus, vel non sufficientibus ad immobilia & nomina procedendo. l. 15. §. 2. ff. de Re judic.

§. VI.

Causa efficiens Pignoris alia est remota, alia proxima.

Remota est jus Gentium §. 2. in fin. Inst. de J. N. G. & C. l. 5. ff. de J. & F. ubi asseritur ex jure Gentium omnes pene contractus prodisse: & obligationes institutas esse, exceptis quibusdam, quæ à jure civili introducta sunt; cui regulæ standum puto, donec de exceptione clarè doceatur.

Proxima est Lex, aut Homo. *Lex* vel sola introducit pignus in bonis debitoris, vel etiam admixto facto hominis. *Homo* vel publicus est, vel privatus. *Homo publicus*, id est, Magistratus constituit pignus vel decretâ missione in possessionem bonorum; vel captis bonis ejus, qui condemnatus est, in ordine ad exequendum judicatum. *Privatus* pignus introducit vel per ultimam voluntatem, vel per actum inter vivos, & hoc modo, vel per contractum pignoratitium, vel per pactum legitimum hypothecæ, ut satis constat ex dictis.

Porro privatus pignus dare potest, qui est Dominus, & habet liberam rerum administrationem. l. 2. & 6. C. Si res aliena pignori. Quod referuntur Emphyteuta: l. 31. ff. h. t. Superficiarius: l. 13. §. 3. ff. Eod. non Valat. l. 2. Feud. §. 2. Socius in re communi. l. un. C. Si res commun. pign. sed pro parte sua tantum. l. 7. C. commun. ut. jud. Et qui alterius patrimonii administrationem habet, ac Domini loco est. l. 11. §. 5. l. 16. ff. de Pignorat. act. Quod spectant Possessor bonæ fidei, cui competit actio Publiciana. l. 18. l. 25. §. 1.

§. I. ff. h. t. Tutor & Curator: l. 16. ff. de Pignorat. act. item Procurator, si vel speciale ad hoc mandatum habet, vel saltem generale cum libera l. 11. §. ult. ff. Eod. juncta l. 58. ff. de Procurat.

§. VII.

16 *Materia*, seu *objectum* pignoris sunt res quæ oppignorantur. Possunt autem oppignorari res omnes sive mobiles, sive immobili- les. l. 1. §. 1. l. 16. l. 27. ff. *Quæ res pignori*, sive corporales, sive incorporales, ut nomi- na vulgò *Schuld & Forderungen* l. 13. §. 2. ff. h. t. l. 4. C. *Quæ res pign.* Sunt tamen ali- quæ, quæ simpliciter; aliæ, quæ secundum quid pignori vel hypothecæ dari prohibentur.

17 *Simpliciter* pignori obligari nequeunt res sacra, sancta, religiosa. l. 2. C. de Relig. & sumptib. fun. l. 3. C. *Quæ res pign. oblig.* l. 21. C. de SS. Eccles. Nam ut earum nullum commercium, & alienatio, sic neque pignus, aut hypotheca. l. 1. §. 2. ff. *Quæ res pignori dari.* Nisi in casibus urgentissimæ necessi- tatis expressis in d. l. 21. & c. 1. h. t. c. *aurum causâ* l. 2. q. 2. Similiter nec rei publicis usibus expositæ, ut fori, theatri &c. ut em- ptio & stipulatio, sic oppignoratio utilis est. h. §. 1. ff. h. t. l. 2. ff. & §. fin. *Inst. de Empt.* vend. §. 2. *Inst. de inutil. stipul.* Eodem in numero est liber homo, qui pignoris nexum respuit. c. 2. h. t. l. 6. C. *Quæ res pignori.* Imò qui sciens liberum hominem pignori accipit, debitò cadit, incurritque pœnam corporalem, vel relegationem. *auth. imò à debito.* C. de O. & A.

18 *Secundum quid* pignori dari nequeunt res, quæ aliàs pignoris nexum recipiunt, sed vel propter interesse alterius, vel favorem Domini, vel conditionem rei prohibentur.

Propter interesse alterius Vassallus feudum sine permissione Domini, ne quidem quoad partem oppignorare potest. *tit. 52. & 55. Feud. 2.* quamvis id ipsi olim quoad dimi-

diam & minimam partem concessum fuerit. 2. *Feud. tit. 73.* Similiter res litigiosas, ut alie- nare, ita & oppignorare non licet. l. 1. §. fin. ff. *Quæ res pignori.* l. 2. & fin. C. de Litigios. Jura item, & servitutes urbanorum prædio- rum pignori obligari nequeunt. l. 11. §. ult. ff. h. t. Quod ipsum de servitutibus prædio- rum rusticorum statuit Donell. *tr. de Pignorib.* c. 8. Planè ususfructus tam à Domino pro- prietatis, quam ab Usufructuario pignori, hy- pothecæ dari potest. d. l. 11. §. 2. l. 15. in pr. ff. h. t. l. 2. C. de Usufr. Usuarius tamen usum, quem in re habet, ut vendere nequit, ita nec obligare. §. 1. ubi DD. *Inst. de Usu, & habit.*

Propter favorem Domini inutiliter pignori 19 obligantur res pupillares. l. 22. C. de Admi- nistr. tutor. sicut tamen ob utilitatem ex Ma- gistratûs decreto earum alienatio quandoque permittitur. l. 1. ff. de Reb. eor. qui sub. tut. sic quoque oppignoratio. l. si convenerit. §. ult. ff. de pignorat. act. Fundus item dotali, ne consentiente quidem uxore, à marito obligari potest. l. un. §. 15. C. de Rei uxor act. Quod fallit in bonis dotalibus mobilibus arg. l. 3. §. 2. ff. de Suis, & legit. l. et si. 3. C. de Jure dot. & immobilibus ultimato datis, quorum peri- culum statim in maritum transit: l. plerumque 10. in pr. & §. 4. ff. de Jur. dot. l. 5. C. Eod. licet harum rerum hypotheca solutò Matri- moniò post l. 30. C. Eod. inutilis sit. Ean- dem ob causam sine solennitatibus oppigno- rari nequeunt res Ecclesiæ immobiles aut mo- biles pretiosæ. c. nulli. §. de Reb. Eccles. non alien. *Extravag. ambitiosa.* Eod. inter Comm.

In controversiam venit: an tam hypotheca generalis omnium bonorum, quam specialis certæ rei prohibita sit?

Ita existimant Bonacin. *tr. de alienat. q. un. 20* p. 2. num. 23. & Donatus in *Prax. Regul. tom. 1. p. 2. tr. 14. q. 67. n. 1.* moti d. *Extravag. ambitiosa.* in qua sicut omnium rerum, & bo-

norum Ecclesiasticorum alienatio, ita etiam *hypotheca generaliter prohibetur*.

Econtra Panormit. in *d. c. nulli. §. num. 3.* Joan. Andr. *ibid. n. 1.* & alii per illum textum statuunt, specialem duntaxat hypothecam certæ rei Ecclesiasticæ immobilis, vel mobilis pretiosæ esse prohibitam, non etiam generalem, ut ita quotiescunque Prælati aliam suam Ecclesiam obligare potest, toties etiam omnia suæ Ecclesiæ bona in genere hypothecare, & obligare possit sine speciali solennitate, aut licentia superioris. Disparitatis ratio est, quia per hypothecam specialem res Ecclesiæ præsentissimo periculo alienationis exponitur: ex quo hæc pignoris natura est, ut si debitor non sit solvendo, creditori ex pignore satisfiat, vel ipsum pignus in solutum cedat. Econtra hypotheca generalis in effectu nihil novi constituit: nam aliàs, quando Ecclesia obligatur, etiam sine hypothecæ constitutione omnia illius bona obligantur, & si aliunde creditoribus satisfieri nequeat, ad alienationem quidem perveniendum est, sed causâ cognitâ à superiore, & solennitatibus debitis adhibitis; quod idem contingit si generaliter omnia bona sit hypothecata: non enim propter hypothecam generalem creditori pro arbitrio hanc, vel illam rem Ecclesiæ occupare, vel distrahere licebit.

Neque obstat, quod in *Extravag. ambitiosa, rerum & bonorum Ecclesiasticorum hypotheca generaliter prohibetur*; quamvis enim omnium rerum, non tamen omnis, id est, tam generalis, quàm specialis prohibetur, sed illa tantum, quæ in jure alienationi æquiparatur, id est, specialis; maximè quia non est cogitandum, S. Pontificem, qui jura tuetur, unò verbò generali antiqua jura corrigere, ac evertere velle: & aliàs speciei, sive speciali constitutioni non derogatur per generalem, sed vice versâ: atqui de jure antiquo tantum specialem, non generalem hypothecam prohibitam

fuisse, satis constat ex *d. c. nulli. §. de Reb. Eccles. alien. vel non.*

Propter rei conditionem invalida est oppignoratio rei alienæ. *l. 2. ff. de Pignorat. act. l. 20. C. Eod. l. 1. 2. 6. & 7. C. Si res alien. pign.* siquidem nemo alteri Jus in re constituere potest, in qua ipse nullum jus habet. *l. 5. ff. de R. J.* Refert tamen, an res simpliciter aliena sit, hoc est, in qua oppignorans nullum jus reale habet, an verò secundum quid tantum sit aliena, hoc est, in qua oppignorans habet aliquod jus reale? Res simpliciter aliena oppignorari potest sub conditione, si facta fuerit debitoris propria. *l. 16. §. 1. ff. de Pignorat. act.* purè non aliter potest, quam sciente, & consentiente, aut ratihabente Domino. *l. 6. C. Si res aliena pignori.* Res aliena secundum quid autem validè oppignoratur ab habente jus in re illa: & ita rectè pignori datur res emphyteutica, aut superficiaria. *d. l. 16. §. 2. & res oppignorata. r. 1. C. Si pignus pignori datum sit.* Confer. Frid. Ernest. à Someting. *ad Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. num. 47.* Similiter inutiliter oppignorantur bona constitutioni fideicommissoriae purè, vel conditionatè subjecta. *l. fin. §. 2. C. Communia de legat.* item res ad agriculturam destinata; ut servi, boves & instrumenta aratoria. *l. 7. & 8. Auth. Agricultores. C. Qua res pign.* Ex hac enim causa tributorum ratio retardaretur. *l. 5. C. Eod.*

§. VIII.

Forma Pignoris est vel intrinseca, seu essentialis, vel accidentali, seu extrinseca.

Forma essentialis pignoris, ut contractus est, consistit in voluntate debitoris rem suam tradentis in securitatem crediti; ut verò est pactum, stat in nudo consensu debitoris obligantis rem suam. Nec Scriptura de Jure communi requiritur. l. 1. ff. de Pignorat. act.

Ad formam accidentalem Pignoris referenda

renda sunt *Pactum commissorium*, & *antichre-*
sticum.

Pactum commissorium illud est, quò inter debitorem & creditorem convenit, ut debitò intra certum tempus non solutò, res oppignorata pro quantitate debiti creditori committatur, hoc est, ejus fiat. Quia verò huic pacto saepe inest fraus intolerabilis, maximè, ut fit, pro are modico, egente debitore pretiosa mobilia oppignorante, & quodvis pacisci paratò, injustum, iniquum, & usurarium est, sive ab initio, sive ex postfacto adjectum fuerit. c. 7. h. t. l. 3. C. de Pactis pignorum. Resumat. Polit. de Anno 1577. tit. 20. §. Unde diu. man in Es fahrung kommt / ut proinde ne quidem per appositum juramentum firmari queat, quamvis debitor ipsum juramentum servare debeat. d. c. 7. h. t. Neque obstat. l. 24. ff. de Pignorat. act. quia hæc non loquitur de pacto commissorio, sed de actuali venditione pignoris ob moram debitoris in solvendo, restitutò, quòd superest debitori. Confer. Clariss. D. D. Frid. Ernest. à Someting. ad Inst. Quib. mod. re contr. oblig. sub. n. 51.

24. *Pactum antichreseo* est conventio, quã creditor jus re oppignorata utendi fruendi in vicem usurarum aris alieni, donec illud solvatur, à debitore datur. l. 11. §. 1. ff. h. t. Et hoc pactum, cum fructus rei antichresticæ ultra sortem accipiantur, de Jure Canon. damnatur tanquam usurarium. c. 4. & 6. h. t. c. 1. 2. & 8. de Usuris. ubi fructus ex re oppignorata percepti in sortem debiti principalis imputari jubentur. Exceptio habetur in c. 1. de Feud. ubi dicitur Dominum lucrari fructus ex re feudi sibi à vasallo oppignorata: & in c. 16. de Usuris, ubi deciditur, Maritum, cui pro dote uxoris sibi debita fundus oppignoratur, ob fructus inde perceptos non teneri minorem dotem acceptare. De Jure Civili verò, si fructus ita comparati sint, ut nullus eorum certus existat proventus, justum usurarium

modum quodammodo excedere valent. l. 14. l. 17. C. de Usuris. Si verò hic certus sit, vel incertus quidem, excessus autem nimius, quod superest, in sortem computandum erit. l. 8. ff. In quib. caus. pign. tacit. P. Engel de Usur. num. 18. Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. l. cit. n. 50.

§. IX.

Finis Pignoris est securitas crediti. §. fin. 25
Inst. Quib. mod. re contr. oblig. ibi: quò magis ei (creditori) in tuto sit creditum.

§. X.

Effectus pignoris alius est, si consideretur 26
ut contractus; alius, si consideretur ut jus reale.

Effectus pignoris, ut est contractus, est vel proximus, vel remotus.

Proximus est obligatio tum Creditoris, tum Debitoris. Creditor obligatur, solutò debitò rem oppignoratam in specie salvam, & integram cum omnibus fructibus, ac commodis restituere, præstitò dolò, latà, & levi culpà. §. 4. Inst. Quib. mod. re contr. l. 14. l. 22. §. ult. ff. l. 1. 2. 3. 5. & 7. C. de Pignorat. act. Debitor obligatur ad tradendum pignus idoneum locò rei alienæ, vitiosæ, vel jam tum obligatæ: l. 9. pr. l. 16. §. 1. l. 32. ff. de Pignorat. act. ad reparandum damnum occasione pignoris dolò, vel culpà levi illatum: l. 3. & 31. ff. Eod. & ad refundendas impensas necessarias in rem oppignoratam factas. l. 8. ff. l. 7. C. Eod.

Remotus est actio pignoratitia directa, & 27
contraria. Directa est actio personalis, quæ competit Debitori ejusque hæredibus adversus creditorem, ejusque hæredes debitò solutò ad rem oppignoratam cum fructibus repetendam. Contraria datur Creditori, & ejus hæredibus adversus debitorem, & ejus hæredes ad consequendã indemnitate, & ad præstandum illud, quod pignoris nomine abest.

Effectus pignoris, ut est jus in re, sunt tres 28
Primus est jus persequendi pignus apud quem

quemcunque, sive debitorem, sive tertium existens. Persequitur autem Creditor pignus vel remediis petitoriis, vel possessoriis.

Remedium petitorium est actio hypothecaria, eaque vel *Serviana*, vel *quasi serviana*, aut *hypothecaria de Prætorio pignore*. *Actio serviana*, sic dicta ab Auctore Servio Prætoris, est actio realis, quâ locator prædii rustici res expressâ conventionem à Colono sibi obligatas persequitur. §. 7. *Inst. de Act. Quasi serviana*, seu *hypothecaria in specie* est actio realis, quâ Creditores alii res quaslibet oppignoratas persequuntur. d. §. 7. Actio denique *hypothecaria de prætorio pignore* est actio realis prætoris, quâ Creditores persequuntur res pignore prætorio affectas, & in illorum fraudem alienatas. §. 6. *Inst. Eod.*

29 *Remedia possessoria* sunt *interdictum Salvianum*, quò locator prædii rustici agit adversus Colonom, ad hoc, ut res conventionem expressâ oppignoratas possidere sibi liceat, §. 3. *Inst. de Interdict. & Interdictum, ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*, quod ei competit, qui permisso Judicis in possessionem ivit, nec admittus fuit. l. 1. pr. & §. 5. ff. *Ne vis fiat ei, qui in possessionem &c. & ibi Interpp.*

30 *Alter effectus* est jus retinendi pignus, donec solvatur debitum. Et potest creditor pignus pro uno debito constitutum retinere etiam pro alio, quod sine pignore dedit. l. un. C. *etiam chirographaria pecun.* sicut & pro impensis factis in custodiam, & conservacionem pignoris. l. 8. §. ult. ff. *de pignorat. act.* & totum quoque pignus pro parte debiti nondum soluta. l. 9. §. 3. ff. *Eod.* Quin etiam pro usuris, si in sortem, & usuras simul, vel simpliciter obligatum & acceptum sit. l. 11. §. 3. ff. *Eod.*

31 *Tertius effectus* est jus distrahendi pignus, seu rem obligatam, postquam debitor constitutus est in mora solvendi. l. 7. & 14. C. *de Distract. pignor.* sive per interpellationem Cre-

ditoris. l. 10. C. *h. t. l. 32. ff. de Usur.* sive per lapsum diei solutionis. l. 12. C. *de Cont. & committ. stipul.* Ipsa autem distractionis facultas ex qualitate pacti de alienando, vel non alienando adjecti aestimatur. Si pactum super distractione, & modo distrahendi, standum est pacto. l. 4. ff. *de Pignorat. act.* si nihil de distrahendo pignore actum est, debitori semel denunciatio facienda, & post hanc biennium expectandum est, quò elapsò, si debitor nondum solverit, procedit pignoris venditio. l. 1. §. 1. C. *de Jure domini impetrando.* Si verò pactum sit de non distrahendo, tunc trinà denunciatione per arbitraria intervalla opus est ad distractionem validè & ritè peragendam. d. l. 4. in fin. ff. *de Pignorat. act.* Ratio autem, cur & hoc casu creditori liceat pignus vendere, est, quòd potestas vendendi pignus tacite in fit naturæ pignoris, & quidem separabiliter. DD. ad ff. & C. *de Distract. pignorum.*

Ad effectus pignoris quoque pertinet prælatio Creditorum hypothecariorum, circa quam hæc regula traditur: *qui prior tempore, potior jure*. l. 8. 10. 11. ff. *h. t. l. 7. 8. C. Qui potiores in pign.* licet posteriori res prius sit tradita. l. 12. §. fin. ff. *Eod.* & sive hypothecarii sint generis ejusdem, sive diversi. l. 2. & 3. §. 1. ff. l. 2. l. 6. C. *Eod.* & non tantum in sorte principali, sed etiam in usuris saltem licitis. l. 18. ff. *Eod.* Mynsing. cent. 1. observ. 59. in pr.

Fallit autem regula, quando Creditores alii sunt privilegiati, alii non; illi enim his, tempore etiam prioribus præferuntur. l. 5. l. 6. ff. l. ff. C. *Qui potiores in pign.* Ita I. præferuntur fisco quoad tributa collectas, & annonam publicam. l. 1. & 4. C. *In quib. caus. pign. vel hyp. l. 1. & 2. C. Si prop. publ. pens.* II Pupillus, cujus nummis aliqua res comparata est. l. 7. ff. *Qui potiores in pign.* III. Mulier favore dotis, ita quidem, ut hæc potior sit omnibus Mariti Creditoribus, etiam habentibus hypothecam anteriorem expressam propter sextum gent-

generalem in l. 12. C. Eod. Fachin lib. 3. con-
trou. c. 99. Mynsing Cent. 4. obseruat. 19.
Berlich. p. 1. concl. 45. n. 6. contra Gail. 2.
obser. 25. n. 10. Covar. Var. resol. cap. 9. n. 1.
Jalon. Zafium & alios. Imò eadem præroga-
tiua ratione dotis gaudet mulieris hæredes
descendentes. d. l. 12. §. 1. v. exceptis. non
extranei. l. un. C. de Privil. dot. IV. is, qui in
refectionem vel conservationem rei oppigno-
ratae specialiter creditit. l. 5. & 6. ff. Qui potior
in pign. V. is, cujus pecunia res empta, & cui
insuper expressè obligata est. l. 7. C. Eod. VI.
is, qui hypothecam ex publico instrumento
sibi vendicat: quippe hic præfertur agenti ex
privato l. 11. C. Qui potior in pign. nisi hoc à
tribus testibus subscriptum sit. Gabriel de
Probat. concl. 11.

§. XI.

33) *Contraria* pignoris sunt modi, quibus sol-
vitur. Solvitur autem vel ratione *debiti*
principalis, vel ratione *sui ipsius*.

Ratione *debiti principalis* pignus solvitur
dupliciter I. ipso jure, si debitum extinctum
sit, videlicet per solutionem totius debiti. l. 11.
§. 1. ff. b. t. l. 6. ff. Quib. mod. pign. sol. aut
aliam satisfactionem, puta confusionem. l. 7.
l. 8. l. 9. §. 2. ff. de Solut. per novationem. l.
10. §. 1. ff. de Pignorat. act. l. 18. ff. de Novat.
per compensationem. l. 4. ff. Qui potior. in
pign. per acceptilationem. t. t. ff. & C. de Accep-
tilat. II. Ope exceptionis, si debitum remitta-
tur vel expressè, ut si creditor paciscatur cum
debitore de non petendo. l. 17. §. 2. ff. de Pact.
vel tacitè, ut si creditor reddat syngrapham de-
bitori suo. l. 7. C. de Remiss. pign. aut si debitor
absolvatur per sententiam Judicis, licèt ini-
quam l. 13. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.
34) Ratione *sui ipsius* pignus solvitur I. lapsu
temporis, ad quod pignus, vel hypotheca
contracta est. l. 6. pr. ff. Quib. mod. pign. vel
hypoth. II. voluntate Creditoris pignus remit-
tentis, vel expressà, ut si paciscatur cum debi-

to, ne res, quæ hæcenus fuit pignori, amplius
pignoris maneat. l. 1. §. 1. & seq. ff. Eod. vel
tacitè; ut si rem oppignoratam creditor debi-
tori reddat. l. 3. ff. de Pact. aut debitore pignus,
seu hypothecam alienante ipse consentiat in
alienationem. l. 7. l. 8. §. 1. ff. Quib. mod. pign.
vel hypotheca solv. III. casu, nimirum, si extin-
guatur jus, quod debitor in re oppignorata
habuit l. 31. ff. h. t. vel si res ipsa, sed tota pereat.
l. 8. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.

P A R S II.

De aliis Cautionibus.

Cautio*rum* genera sunt varia: alia enim
est, *simplex*, alia *juratoria*, alia *idonea*.
Cautio *simplex* est, quando nudà promissione
creditor securus redditur. Et hæc tunc suffi-
cit, quando jus sine addito cautionem exigit
per l. 3. C. de verb. & rer. signif. ubi nomine
cautionis nuda promissio dicitur significari.
Cautio *juratoria* præstatur, quando creditor
mediante juramento præstato à debitore red-
ditur securus. *Idonea* est vel *pignoratitia*,
vel *satisfactoria*. *Pignoratitia* est, quæ per
pignora; *Satisfactoria*, quæ per fidejussores
idoneos creditorem securum reddimus. Un-
de si jus requirat, cautionem idoneam, dandi
sunt fidejussores, vel pignora. l. 4. §. 8. ff. de
Fidecommis. libert. ubi quaeritur, quid sit ido-
neè cavere? & responderetur: cavere satisfato,
vel pignoribus. Quòd si autem jus *satisda-*
tionem desideret, dandi sunt fidejussores, nec
sufficiunt pignora per l. 1. ff. qui *satisdare*
coguntur; ubi satisfacere dicitur, qui cavet da-
tis fidejussoribus per l. 7. ff. de Stipul. Prætor
ubi de Prætoris satisfactionibus dicitur, quòd
fidejussores desideret, nec pignoribus con-
tentæ sint: & per l. 9. §. 3. ff. de Pignorat.
act. & §. 41. Inst. de rerum divis. in quibus
locis satisfacere, & cavere pignoribus sibi invi-
cem opponuntur. Plura de his Civilistæ,
campus amplior est, quàm ut ingrediamur.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

SUMMARIA.

1. Etymologia fidejussionis. 2. Ejus definitio. 3. usque 8. Divisio. 8. Origo. 9. usque 14. Quinam fidejubere prohibeantur. 14. usque 17. Cui obligationi accedere possit fidejussor? 17. Ad Fidejussorem requiritur stipulatio. 18. 19. Convenientia cum debito principali. 20. Et ut debitum principale remaneat. 21. Quinam sit finis fidejussionis. 22. Et seqq. Quinam effectus?

Pignori affinis est fidejussio, & idcirco hoc loco titulus iste subijcitur.

§. I.

1. Vocabulum fidejussionis non simplex, sed compositum est derivatum à fide, & jussu, eò quòd fidejubens, seu fidejussor suà fide alium jubeat, rem, vel pecuniam credere per l. 60. §. 1. ff. Mandati. Germanicè dicitur ein Bürgschaft.

§. II.

2. Definitur fidejussio, quòd sit stipulatio, seu conventio, quà quis pro alieno debito fidem suam interponit, Debitore principali nihilominus manente obligato. pr. Inst. h. t. l. 65. ff. Eod.

§. III.

3. Dividitur fidejussio I. in necessariam & voluntariam. Necessaria dicitur, quæ à Lege, vel Magistratur exigitur. Cujus exemplum extat in l. 13. ff. de Usufr. & usus adhuc hodie obtinet, præsertim si de eo, quòd intererit in futurum, cautio interponatur, cum hoc sit incertum, adeoque de eo per pignora, quorum certa est æstimatio, commodè caveri nequeat. l. 7. ff. de Stipul. Prator. Mevius p. 3. dec. 238. Voluntaria e contra est, quæ talem exactionem non habet. Gloss. in l. 7. §. 1. ff. Qui satisd. cog. Treutl. vol. 1. disp. 5. th. 1. lib. h.

4. II. Dividitur in fidejussionem judicalem, quæ in judicio; & extrajudicalem, quæ extra

judicium fidejussor constituitur. Illa propriè satisfactio appellatur, sive idonea cautio: & fidejussor ipsè, si caveat de judicio sibi, vas, si de judicio solvendo, præ nuncupatur. Vinn. ad pr. Inst. h. t. Hæc generis nomen retinet, & in contractibus potissimum adhibetur.

III. Dividitur fidejussio in principalem, & succedaneam. Principalis est, quæ fidejussor se obligat pro Debitore principali. l. 27. §. 2. & 4. h. t. Succedanea, quæ fidejussor pro fidejussore intercedit. l. 8. §. fin. ff. Eod. Cujusmodi fidejussor succedaneus, ein Nächst Bürg salutatur.

IV. Dividitur in fidejussionem simplicem, & indemnitate. Simplex est; quæ quis pro debito se simpliciter obligat, & promittit solvere Creditori, quòd alius ei debet. Fidejussio indemnitate verò, quæ quis in residuum, atque in eum demum casum se obligat, si debitum suum integrum Creditor consequi non possit. l. 21. ff. de Solut. l. 116. ff. de V. O. In vernacula fidejussor indemnitate indigitatur ein Schadloß Bürg.

V. Dividitur in fidejussionem idoneam, & non idoneam. Idonea est, quæ per fidejussorem idoneum satis cautum est Creditori de receptione debiti; id quòd æstimatur ex duobus, nempe ex facultatibus fidejussoris, & conveniendi facilitate. l. 2. pr. ff. Qui satisd. cog. Facultates tantæ sint, oportet, ut inde Creditor probabiliter possit tervari indemnis arg. l. 4. ff. Ut in possess. legat. vel fideicom. & l. 114. ff. de V. S. Facilitas verò conveniendi eò pertinet, ne fidejussor sit fori diversità foro Creditoris: ne sit rixosus litigiolus, potentior, ac talis, qui Creditori difficilem reddat persecutionem juris sui: ne denique sit è numero eorum, quibus de iure competit exceptio contra fidejussoriam obligationem, aut latione probatâ restitutio. l. 8. §. 1. ff. Eod. Gail. 2. observ. 27. n. 25. Ex quibus facile in-

intelligitur, quæ fidejussio sit *non idonea*, ita ut à Creditore licitè recusari possit, nempe si fidejussor non sit satis locuples pro quantitate rei debita, aut saltem difficilis conventu.

§. IV.

9 *Causa efficiens* fidejussionis alia est remota, alia proxima.

Remota est jus, partim civile Romanum, partim consuetudinarium. *Civile Romanum* quidem, quia eò jure ad essentiam fidejussionis requiritur stipulatio, sive verbalis interrogatio, & responsio; puta, ut Creditor fidejussorem interroget: *fidei tuâ salvum esse jubes, quâ Titius debet?* & fidejussor iisdem verbis repetitis, vel saltem æquivalentibus, se fidejuberè respondeat. l. 75. §. 6. ff. de V. O. l. 16. §. fin. l. 42. & passim. ff. h. t. *Consuetudinaria*, quatenus universalissimâ consuetudine Germaniæ confusa sunt stipulationum, & pastorum jura, neque minus pacta, quam stipulationes ligant, ideoque & fidejussio hodie nudo pacto, nullâ interrogatione præcedente, & sine ulla solemnitate verborum, imò etiam inter absentes, & per litteras fieri potest. Carpz. in *Furi. pr. firensi*, p. 2. *const.* 19. *def.* 17. Joh. Fr. *her. ad Inst. dissert.* 20. *posit.* 24. Georg. Widman. *de Contract. tit.* 7. n. 11. Clariss. D. Frid. Erneit. à *Somering. ad Inst. h. t. n.* 9.

9 *Proxima* est fidejussor, qui ad majorem creditoris securitatem pro debitore principali se ita obstringit, ut obligatio principalis nihilominus duret, & salva permaneat. Possunt autem fidejuberè, qui solenni stipulatione, aut (de consuetudine) pacto se obligare possunt, exceptis quibusdam personis, quibus jure specialiter interdicitur fidejussio.

10 I. Enim fidejuberè prohibentur Clerici, ne se ipsos forsan ære alieno gravent cum dedecore status clericalis, & damno Ecclesiæ. c. 1. h. t. Id, quod procedit de abusu, & indiscretæ, ac nimia frequentia fidejussionis, prout factis liquet ex d. c. 1. ubi statuitur, ut Clericus

fidejussionibus *inseparabiliter abiciatur*, hoc est, deponatur: particula enim *inseparabiliter* frequentiam actuum denotat. Pirrhing. *ad h. t. §.* 2. n. 16. Igitur Clericus in uno, vel altero casu, præsertim necessitatis, pietatis, vel charitatis v. g. pro Ecclesiâ, vel alia persona Ecclesiastica, aut etiam pro Laico egeno fidejuberè, & sua propria bona (non item Ecclesiæ. c. 2. de *Solut.* nisi omnino manifestè cedat in utilitatem Ecclesiæ) obligare poterit. Barb. *ad d. c.* 1. n. 2. Imò si necessitas magna & manifesta sit, non tantum licitè posse, sed etiam teneri Clericum alteri Clerico, vel Ecclesiæ subvenire fidejuberendo, rectè docet Glossa in c. *penult. h. t.* arg. c. *non satis. dist.* 89.

II. Magis adhuc fidejuberè prohibentur Religiosi etiam in dignitate constituti. c. 4. h. t. c. 2. de *Solut.* ita quidem, ut si Religiosus inferior defacto fidejussisset absque Abbatis & majoris Capituli consensu, nec ipse Religiosus, nec Monasterium obligetur. Idem est de Prælato, si debitas solemnitates non adhibeat, & debitum, pro quo fidejussit, sit in notabili quantitate. d. c. 2. de *Solut.*

III. Prohibentur fidejuberè Milites, quia forensium negotiorum occupatio eos à militiæ studio avocare non debet, ne dum militandum est, exactionibus divexentur. l. *miles.* & ibi Glossa. C. *Locati.* Utrum autem hoc idem privilegium competat nostri temporis militibus? rationem dubitandi mutatio militaris disciplinæ suppeditat. Et sanè benignius est, ut eis quoque concedatur ex identitatis ratione, arg. l. 32. ff. *Ad legem Aquil.* cum fermè major cura & diligentia ad hodiernum bellandi morem requiratur, majusque imminet periculum.

IV. Senatusconsultò Vellejano ob imbecillitatem voluntatis, & lubricum consilium à fidejussionibus arcentur mulieres. *tot. tit. ff. de C. ad Sotum Vellejanum.* l. 3. l. 40. ff. h. t. ita ut sive defacto expressis fidejubeant verbis, sive

sive etiam re ipsa pignus pro alio tradant Creditori, sive alio quocunque modo excogitabili pro alio se accessorie obligent, ne quidem in conscientia teneantur, Senatu totam obligationem improbane, l. 16. §. 1. ff. ad SCrum Velleian. & si ex tali intercessione aliquid solverint, non tantum in foro externo, sed etiam interno condicere, seu repetere possint. l. 8. §. 3. & l. 9. C. Eod. l. 40. ff. de Condit. indeb. Novel. 134. c. 8. Molin. tr. 2. de F. & F. disp. 549. n. 2. Haunold. tr. 9. c. 1. controu. 7. n. 116. nisi super beneficio istius SCti per Notarium, vel Assistentem certiorata eidem renuntiaverint, ac fidem suam interposuerint, juxta regulam. l. penult. C. de Pactis & l. fin. §. 4. ff. ad SCrum Vellejan. Fachin. lib. 2. controu. c. 59. Gail. lib. 2. obseru. 77. num. 3. P. Engel h. t. n. 8. Imò & in illustribus mulieribus, quæ ipsæ regnis & territoriis præsumunt, & majestatem, vel regalia habent, cessare SCrum Vellejanum, adeoque mulieres illustres efficaciter fidejuberè, docet Tabor in not. ad Colleg. Argent. h. t. th. 5. Alios casus exceptos dabit P. Engel. cit. n. 8.

§. V.

- 14 Materiam, seu objectum fidejussionis constituit obligatio aliena; circa quam Ulpianus in l. 1. ff. h. t. hanc regulam tradit: *omni obligationi fidejussor accedere potest.*

Nec refert I. sive obligatio illa sit naturalis, sive civilis tantum, sive mixta. §. 1. Inst. l. 7. l. 16. §. 3. l. 35. ff. h. t. Excipitur obligatio dotis; quatenus pro dote conservanda, aut restituenda constante matrimonio à marito non tantum non exigi, sed ne quidem dari, aut ultrò offerri possunt fidejussores l. 1. & 2. C. Ne fidejussores dotium dentur, & ibi Perez. n. 3. Fachin. 8. controuers. 76. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 7. th. 4. tit. 16. Rationem addit Imperator, ne causa perfidia generetur in connubio; quod utique fieret, si uxor plus fidei alienæ, id est, fidejussoris extranei

tribueret, quam ipsius mariti, cui tamen corpus, & vitam credidit. Harprecht Inst. h. t. §. 1. n. 8. Quod limitatur, si extraneus dotem dederit pro muliere cum obligatione eam sibi reddendi solutò matrimonio: is enim rectè exiget fidejussionem, ex quo non extat prohibitio, cessatque ratio prohibitionis, cum diffidentia tali casu non sit penes mulierem, sed penes extraneum. Perez. loc. cit. n. 5. Molin. de F. & F. disp. 425. n. 2. Quin imò ex hac causa rectè fidejussores peti à marito, si uxor vergat ad inopiam aut periculum sit prodigendæ dotis, putat Gail. 2. obseru. 84. n. 10. Panorm. c. per vestros. de Donat. inter vir. & uxor.

Nec refert II. sive obligatio illa sit præsens, sive futura. §. 3. Inst. l. 4. l. 6. §. 2. l. 38. §. 1. l. 57. ff. h. t. Quærenti autem, quo modo futuræ fidejussor adhiberi possit, cum fidejussio sit essentialiter accessoria, accessorium autem non præcedat, sed sequatur suum principale? Respondeo, fidejussionem, quando accedit obligationi futuræ, resolvi in conditionalem, seu interim in pendenti esse, donec ponatur obligatio principalis. l. 35. ff. de Fidejussis; hac verò positâ fidejussio evadit absoluta, & sic posterior obligatione principali: eâ non positâ fidejussio evanescit. l. 16. §. 5. l. 57. ff. h. t. Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. ad Inst. h. t. n. 9.

Nec refert III. sive obligatio illa ex contractu, sive ex delicto descendat l. 8. §. 5. l. 56. §. ult. l. 70. §. fin. ff. h. t. sed ita demum, si ex delicto agatur civiliter, aut criminaliter quidem, sed ad multam pecuniariam: sine dubio ideò, quia fidejussio his casibus præstat expeditiorem persecutionem pœnæ, quæ utrùm solvatur ab ipso reo, an verò à fidejussore non potest interesse actoris, aut fisci, arg. l. 23. & 53. ff. de Solut. Schneidew. ad §. 1. Inst. h. t. num. 8. contra Marant. in spec. p. 6. tit. de interrog. & satisfact. n. 10. Hypol. de Marfil. in Pr. crim. §. attingam. n. 3. & seq. Secus

Secus est, si agatur ad pœnam ultimi supplicii, aliamvè corporis afflictivam: nam hic pœnæ suos debent tenere authores per l. 6. §. *super his*. C. de Appellat. & nemo potest se obligare ad pœnam corporalem sustinendam, pro alio, siquidem nemo membrorum suorum est dominus. l. 13. ff. ad leg. Aquil. Covar. l. 2. var. resol. c. 18, n. 8. Nec officit l. 1. 2. & 3. ff. de custodia reorum. quæ innuunt, quasi etiam pro delinquentibus in gravibus criminibus fidejussores interponi valeant: etenim illud saltem est ad evitandam carceris molestiam, ut si non stiterint fidejussores reum, ipsi vel pecunia fidejussionis ergo promissa cadant, vel si elabendi occasionem accusatis suppeditaverint, extra ordinem graviter plectantur per l. 4. C. de custodia reorum.

§. VI.

17 *Forma* fidejussionis consistit in stipulata promissione ejus, quod alius debet, debitore nihilominus manente obligato. l. 65. ff. l. 5. C. h. t. Tria itaque concurrant, necessum est, ut sua fidejussioni constet indoles.

I. Intervenire debet stipulata promissio: nam, ut supra n. 8. insinuavimus, jure Romano fidejussio non aliter valet, quàm contracta per stipulationem per l. 12. C. h. t. Intervenisse autem præsumitur stipulatio, quando scriptum reperitur, fidejussum esse, eò quòd solennitas extrinseca semper præsumatur. §. *fin.* Inst. h. t. l. 14. C. de contrab. stipul. Nec interest quacunque lingua fidejubeatur, modo alter alterum intelligat. §. 7. Inst. h. t. etiam per Interpretem: arg. l. 1. §. 6. ff. de V. O. & inter præsentés fiat. d. §. *fin.* Inst. h. t. Sola tamen commendatio, vel affirmatio, aliquem esse locupletem, & solvendo existere, fidejussionem non inducit, nec obligat commendantem, cum aliad sit commendare, aliud mandare. l. 12. §. 12. ff. Mandati. Gomez var. resol. lib. 2. c. 3. n. 5. nisi in idoneum

Tutorem tanquam idoneum commendaverit. l. 4. §. *ult.* ff. de fidejuss. aut dolo malo alterum solvendo esse affirmaverit per l. 7. §. 10. ff. de Dolo malo. l. 19. ff. de Ædil. edict.

II. Fidejussor in id ipsum obstringi debet, 18 quod Principalis continet obligatio: non in plus re, tempore, loco, aut causa. §. 5. Inst. h. t. l. 8. §. 7. ff. Eod. Rationem reddit Imperator in d. §. 5. quia cum obligatio fidejussoria sit accessio obligationis principalis, non potest utique plus in accessione esse, quàm in principali. Potest tamen fidejussor obligari in minus, & causam leviozem per *juracit.*

Acris, ac vehemens DD. *disputatio* est: an 19 si fidejussor in majorem summam se obligaverit, tota fidejussio inutilis sit, vel saltem ad concurrentem summam debiti principalis sustineatur?

Prima sententia est, totam fidejussionem nullam esse. Ita Fachin. lib. 8. *controv. c. 51.* cum pluribus ibi citatis, propter textum in d. l. 8. §. 7. ff. h. t. ibi: *illud commune est universis, qui pro aliis obligantur; quòd si fuerint in duriorém causam adhibiti, placuit, eos omnino non obligari.* Si hoc? ergo neque tenentur in summam concurrentem: nam omnino non idem est, ac *plànè non*, vel *proprsus non*. Accedit, quòd ejusmodi fidejussio æquiparetur cum ea, quæ fidejussor purè promissit, quod principalis debet sub conditione, quæ tota inutilis est.

Alter sententia contendit, valere fidejussionem saltem quoad summam concurrentem, seu eam quantitatem, quæ respondet debito principali. Ita Perez ad Cod. h. t. n. 16. Zoël. ad ff. Eod. n. 9. Gomez lib. 2. *Var. resol. n. 2.* Molin. de F. & F. disp. 541. n. 3. & alii, quibus accedit Clariss. D. Frid. Ernest. à Somering. ad Inst. h. t. sub n. 3. propterea: quia primò, qui stipulanti decem promittit viginti, obligatur saltem in decem, cum de e. n. insint viginti, & summa minor majori. l. 1.

D d

§. 4.

§. 4. ff. de V. O. Ergo pariter fidejussor promittens majorem summam creditori, quam ei debeatur, obligabitur saltem quoad summam concurrentem, siquidem fidejussio est species stipulationis. *Secundo*: quia quodcumque plus promissum est, quam oportuit, non tota obligatio, sed superfluum infirmatur. l. 18. ff. de V. O. l. 11. & 12. ff. de Constit. pecun. l. 3. §. ult. l. 4. l. 33. ff. Mandati. l. 61. ff. de Jur. dot. l. 34. C. de Donat. ergo idem obtinet in fidejussione: quippe & in hac utile per inutile vitari non debet per c. 37. de R. F. in 6. III. Quia alii intercessores, veluti constitutores, & mandatores, pro majori summa, intervenientes obligantur ad summam concurrentem, d. l. 11. ff. de Constit. pecun. & l. 33. ff. Mandati. non obstante, quod d. l. 8. §. 7. ff. h. t. loquatur de universis, qui pro aliis intercedunt, eosque in duriores causas obligari posse neget; ergo & fidejussores tenebuntur.

Et ex his patet responsio ad d. l. 8. §. 7. præterquam enim, quod ibi verba: omnino non obligari, idem significant, ac non omnino, id est, non in solidum. arg. l. 3. ff. Qui satisd. cog. l. 10. pr. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. & l. 11. ff. de Legat. I. distinguendum etiam est inter causam, quæ admittit separationem, & quæ non admittit: quotiescunque causa admittit separationem, ut puta, si quantitas debeatur, toties fidejussor in duriores causas acceptus pro concurrente parte obligatur; quotiescunque verò non admittit separationem, ut puta, si debitore principali sub conditione obligato fidejussor purè promittat, toties fidejussor planè non obligatur. Cur tam variè? quia posteriori casu planè aliam, & diversam subiret obligationem fidejussor, cum pura obligatio non insit conditionali, ut obligatio sumæ minoris obligationi sumæ majoris.

Porro licet fidejussor secundum dicta in duriores causas non obligetur, quam ejus principalis, arctius tamen obligari eum, nihil

implicat, atque hoc præcipuè contingit, cum fidejussor vel intervenit pro eo, qui tantum naturaliter tenetur, & contra quem non habet excussus mandati actionem: l. 25. ff. h. t. vel se obligat sub hypotheca, & pignore ipso principali non obligato, nisi personaliter: Faber ad §. Fidejuss. Inst. h. t. vel denique obligationi suæ pœnam aliquam adjicit, quam non promissit principalis: Gloss. sing. in l. 65. ff. h. t. vel per instrumentum garantiarum, seu paratæ executionis se obstringit.

III. Fidejussor ita obligari debet, ut principalis debitor nihilominus maneat obligatus, l. 4. §. & 23. C. h. t. quo fidejussio discernitur ab expromissione, per quam aliena obligatio ita suscipitur, ut debitor prior omnino liberetur, ipse vero expromittens evadat debitor principalis. l. 7. §. 8. ff. de Dol. mal. & ibi Cujac. l. 4. ff. de condict. causâ dat.

§. VII.

Finis fidejussionis ex parte creditoris, est securitas crediti, ut diligentius creditori cautum sit. pr. Inst. h. t. l. 1. §. 8. ff. de Obligat. & act. ex parte verò debitoris, ut ei facilis credatur.

§. VIII.

Effectus fidejussionis est vel proximus, vel remotus.

Proximus est obligatio fidejussoris ad solvendum, quod tempore fidejussionis in obligatione principali fuit, sive fors sit, sive usura: & quidem ad id tantum. l. 68. §. 1. ff. l. 10. C. h. t. l. 8. C. Quod cum eo, qui in alien. potest. est. Ad illud, quod primum post contractam fidejussionem ex mora debitoris, culpave obligationi principali accessit, fidejussor non obligatur. l. 8. ff. de Eo, quod certo loco. l. 54. pr. ff. Locati d. l. 68. §. 1. ff. h. t. nisi universaliter & in omnem causam acceptus sit per leges citatas: ferat enim sibi acceptum fidejussor, quod ab initio hanc legem contractui dixerit. Certè perpetuari, & continuari fide-

fidejussoris obligationem propter debitoris moram, ulcro fatearis, oportet, propter l. 49. §. 88. ff. de V. O. l. 58. §. 1. ff. h. t. quare si per moram debitoris principalis res debita pereat, tunc sicut ipse debitor principalis non liberatur, sed ad estimationem tenetur, ita pariter fidejussor, quamvis ipse in mora non fuerit. d. l. 80. §. 1. ff. de Usur.

23. *Effectus remotus* fidejussionis est actio inde competens: nempe actio ex stipulatu, si stipulatione; *condictio* verò, aut actio ex moribus, si pactò nudò fidejussum sit. Circa utramque hanc actionem.

24. *Quæres I.* Cui detur? R. dari creditori, & ejus hæredibus. Et olim quidem Creditor ante principalem debitorem fidejussorem, ejusve hæredes convenire poterat. l. 2. §. 5. & 23. C. h. t. hodie verò à Justiniano per *Novel. 4. c. 1.* introductum, aut renovatum est *beneficiū excussionis*, seu *ordinis*, quo fidejussor à creditore conventus ipsum ad principalem debitorem remittit, ejusque bona, sive facultates *excuit*, hoc est, solvendo sint, nec ne? primum inquiri, indeque credito satisfieri petit, antequam sibi molestia fiat. d. *Novel. 4. c. 1.* Quæ excussio adeò rigorosa censetur, ut usque ad sacrum, & peram fieri debeat. Jason in §. *fin. n. 6. Inst. de Act.* Hering. *tr. de Fidejussorib. c. 27. p. 1. n. 3. & seqq.* qui plenà manu de hoc beneficio agit.

25. *Quæres II.* Contra quem detur actio ex stipulatu, aut condictio ex moribus? R. dari I. contra fidejussorem: & si plures fidejussores sint, contra singulos in solidum, ita ut liberum sit creditori, à quo velit solidum perere, & eò, quem elegit, non satisfaciēte, ad alium reverti possit. §. *si plures 4. & ibi DD. Inst. h. t. l. 3. & 23. C. Eod.* conventus tamen ex illis se tueri potest exceptione *divisionis*, seu *epistola D. Hadriani* ad hoc, ut creditor dividat actionem, & à singulis portionem, seu ratam petat. d. §. *si plures Inst. l. 26. l. 27. §. fin. l. 28.*

ff. h. t. l. 10. §. 1. C. Eod. De hoc Beneficio vide Carpzov. p. 2. *constit. 17. definit. 9. n. 2. & seq.* II. Datur prædicta utraque actio etiam contra hæredes fidejussoris. §. 2. *Inst. l. 4. §. 1. l. 24. C. h. t.* Et hoc sive hæredum mentio facta sit, sive non. l. 13. C. de *Contrah. & comit. stipul.* & amplius: licet etiam obligatio fidejussoria taxativè concepta fuerit, ut fidejussor solus teneatur, vel tantum, vel duntaxat. arg. l. 8. §. 4. ff. de *Pignorat. act.* Carpzov. p. 2. *constit. 20. defin. 1. & 2.*

Quæres III. Ad quid detur actio ex stipulatu, aut condictio ex moribus? R. dari ad solvendum id, quod ex fidejussione debitum. Succurritur tamen & hoc casu fidejussori *beneficio cedendarum actionum*, quò in solidum conventus, vel condemnatus solvere non cogitur, antequam à creditore actiones, quas ipse tum contra reum principalem, tum contra confidejssores habet ei cessæ fuerint. l. 13. l. 17. l. 36. l. 39. ff. h. t. l. 11. C. Eod. Sine cessione nulla fidejussori solidum solventi competit actio adversus confidejssores. d. l. 39 ff. & l. 11. C. h. t. habet tamen contra principalem debitorem actionem mandati, si eo sciente ac mandante fidejusserit. §. 6. *Inst. h. t. junctâ l. 6. §. 2. ff. Mandati. vel negotiorum gestorum*, si pro ipso absente, vel ignorante fidejusserit, & realiter solverit. l. 4. ff. de *Negot. gest.* junctâ l. 38. *in fin. ff. Mandati.* quòd si verò pro præente, & vetante, caret omni actione. l. 41. ff. *Mandat. l. fin. C. de Negot. gest.*

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

SUMMARIA.

1. *Solutionis homonymia.* 2. *Definitio.* 3. *Quo jure faciendâ?* 4. *usque 10. Quinam solvere possint, aut teneantur?* 10. *usque 16. Quibus solvi possit?* 16. *usque 22. Quid quantumque solvi debeat?*

D d 2

22. 45-

22. usque 28. *Qua sit forma solutionis? 28. & seqq. Quis effectus?*

I **C**ontractus, è quibus obligatio gignitur, excipit *solutio*, per quam obligatio contracta tollitur.

§. I.

Vox *solutionis* modò latius, modò strictius sumitur. Latius accepta significat quamcunque satisfactionem legitimam, & liberationem Debitoris, sive ea per acceptilationem, & ultroneam remissionem Creditoris, sive per delegationem alterius debitoris, sive per quemcunque alium modum fiat. *l. 54. ff. h. t. l. 176. ff. de V. S.* Strictius sumpat denotat eam tantum satisfactionem, quæ contigit per veram debiti præstationem. Quo modo hic accipitur, &

§. II.

2 *Definitur solutio, quòd sit rei debitæ debito loco, & tempore Creditori facta redditio.* Hostiens. *h. t. n. 1.*

§. III.

3 *Causa efficiens solutionis alia est remota, alia proxima.*

4 *Remota est jus tam naturale, quàm positivum: tam Divinum, quàm humanum: etenim aquissima vox est: redde, quod debes.* Seneca de *Benefic. lib. 3. c. 14.*

Proxima est is, qui solvit. Potest autem solvere.

I. Ipse debitor, habens liberam rerum suarum administrationem: qui hanc non habet, se solo non rectè solvit. *l. 5. & 17. C. h. t.* Ratio est, quia solutio est species alienationis. Unde Pupilli, qui Tutores, & Minores, aut Prodigii, qui Curatores habent, solvere nequeunt, sine horum autoritate, vel consensu. *§. ult. in fin. Inst. Quib. alien. licet, vel non. l. 14. §. ult. l. 46 & 55. ff. h. t.* Quòd si nihilominus sine hac solemnitate solverint, solutum non faciunt accipientis, & ideo nummi vindicari possunt, si adhuc extant; si verò pecu-

nia soluta fortè apud Creditorem pereat, vel cum aliis pecuniis commisceatur, tunc, ne quod in favorem pupillorum & minorenum introductum est, in damnum redundet, reconvalescit solutio, & sequitur plena liberatio. *d. l. 14. §. ult. ff. h. t. l. non omnis 19. §. si pupillus ff. de Reb. cred. l. obligari 9. §. pupillus. ff. de Auctorit. tutor. Zal. ad l. 19. §. 1. n. 8. ff. de Reb. cred.*

II. Solvere potest debitoris procurator; & quidem non tantum ille, cui solutio speciali mandato commissa est, sed etiam procurator universalis, qui instructus est mandato generali cum libera per *l. 58. & 59. ff. de Procurat. l. 9. §. 4. ff. de Acquirend. rer. domin. l. 20. §. 1. ff. de Novat. Clariss. D.D. Gletie p. 1. sect. quest. 27. sub n. 3.* adeò ut nec Dominatitahabitio hic sit necessaria: siquidem qui procuratorem omnium honorum cum libera constituit, id quoque mandare videtur, ut creditoribus suis solvat, consequenter quodlibet debitum solutum ab illo procuratore, à creditore per debitorem repeti nequit. *l. quodlibet debitum 87. ff. h. t.*

III. Non tantum ipse debitor, sed quicumque alius pro ipso etiam ignorante, vel invito solvere potest, atque ita eundem ipso jure à debito liberare. *pr. Inst. Quib. mod. tollitur obligat. l. 23. l. 40. l. 53. ff. h. t. l. 39. ff. de Negot. gest. ubi ratio additur: quia naturalis simul, & civilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis, & invito nos facere posse; deteriore non posse. Id tamen observandum est, quòd qui solvit pro debitore sciente, ac volente, actione mandati, arg. *l. 6. §. 2. ff. Mandati.* qui pro ignorante, actione negotiorum gestorum totum ab eo, pro quo solvit, repetere possit. *l. 43. ff. de Negot. gest. at qui pro debitore invito, vel contradicente solvit, careat omni actione, ex quo donandi animo alium deobligasse videtur. l. fin. C. de Negot. gest. Zoesl. ad ff. h. t. n. 4.**

C2.

7 Ceterum non minus Clerici, quam Laici solvere tenentur, quamvis Clerici speciali privilegio muniti sint, nempe ut propter debita incarcerari, vel excommunicari nequeant, sed si defacto non habeant, unde solvant, satis est, quod caveant, & promittant de solvendo debito, ubi ad pinguiorem fortunam venerint. c. 3. h. t. Imò nec omnia bona, quæ defacto habent, Creditoribus cedere tenentur, sed exemplo militum gaudent *beneficio competentia*, ut non ultra, quam facere possunt, deducta congruâ sustentatione teneantur. Panormit. in d. c. 3. n. 8. Covaruv. *variar. Resol. lib. 2. c. 1. n. 9. & c. 6. n. 8.* Menoch. *de Arbitrar. Judic. cas. 183. n. 30* P Engel h. t. n. 1. ubi subjungit, huic beneficio competentia à Clerico renunciari non posse, eò quod non in ipsius tantum, sed totius Cleri favorem sit introductum, ne scilicet in opprobrium totius ordinis Clericalis mendicare cogatur.

8 Hoc in loco venit examinanda *questio*: an Ecclesia, vel Successor in beneficio, aut Prælatu teneatur solvere debita ab Antecessore contracta? *Affirmo*, si debita fuerint contracta nomine Ecclesiæ, & pro ejus necessitate, vel utilitate. c. 1. h. t. Rota *decis. 399. n. 1. & 2. coram Merlino*, & post alios Cæsar de Panimol. *decis. 9. n. 27.* Quò pertinent debita, quæ antecessor contraxit pro curanda infirmitate, aut pro sua sustentatione, ut notat Panormit. in *cit. c. 1. n. 2.* & Flamin Paris. *de Resignat. lib. 1. q. 16. n. 15.* redundant enim in utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, quæ illum alere tenetur. Quin & impensæ funeris pro Antecessore erogatæ, nisi bona propria habuerit: quippe tunc hæres ejus, qui titulo hæreditario in illis bonis succedit, ad expensas funeris obligaretur. Barb. in *cit. cap. 1. n. 4.* Gemin. *consil. 1. n. 5.* Sicut etiam stare successor tenetur locationi prædii Ecclesiastici, quam Prædecessor nomine Ecclesiæ fecit. Barb. *loc. cit. n. 5.* Nego, si Prædecessor debita

nomine suo vel pro propriis, aut alienis, non Ecclesiæ usibus contraxerit: ne alieno facto Successor, vel Ecclesia prægravetur. Vallens. h. t. n. 4. Neque obstat, quòd Successor sit sui in prælatura Antecessoris quasi hæres juxta Gloss. in *cit. c. 1. v. prædecessoris*, ad hæredem autem defuncti, sicut jura & commoda; ita etiam obligationes & onera transeant per l. 26. ff. de R. J. quoniam successor antecessoris tantum improprie hæres dicitur, quatenus in eadem sede & prælatura succedit; non proprie, cum jus suum non consequatur à defuncto, sed electione, collatione, alijsve modis beneficium Ecclesiasticum conferentibus: neque una cum antecessore persona censeatur, neque prælaturæ seu beneficii acceptatione ad alia debita solvenda, quam quæ pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ contracta sunt, sese adstrinxerit. Covaruv. *lib. 2. Var. resol. c. 15. num. 16.*

9 Porro si dubium sit, an debita ab Antecessore pro utilitate, aut necessitate Ecclesiæ contracta fuerint? tunc si solennitates alienationis intervenerint & solutio fieri possit per res mobiles non pretiosas, præsumitur ita factum esse, consequenter Ecclesia contrarium, scilicet pecuniam creditam in utilitatem versam non esse, probare tenebitur. Menoch. *de Arbitrar. jud. cas. 432. num. 3.* Secus, si solennitates non fuissent adhibitæ aut solutio fieri nequeat sine distractione bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum; tunc enim non tenebitur successor, nisi creditor probet versio- nem in Ecclesiæ utilitatem. Imola in d. c. 1. h. t. Butrius in *o. penult. n. 9. de Fidejussoribus* cum aliis relatis per Menoch. *cit. cas. 432. num. 18.* qui *num. 24.* subdit, hac in re multum tribuendum esse arbitrio judicis, qui animadvertet, an Prælatu ille consueverit, mutuo sumere pecunias, & expendere pro Ecclesiæ utilitate? utrum summa sit magna an parva? num concurrat *verisimilitudo versio-*

nis, nec ne? quâ concurrente creditor ad probandam versionem cogi non debet.

§. IV.

10 *Subiectum* solutionis est is, cui solvitur. Rectè autem solvitur.

I. Creditori ipsi, qui rerum suarum administrationem habet; & quidem volenti, & invito; vel certè si creditor solutionem debitò loco, & tempore factam recipere nolit, poterit debitor eas pecunias Magistratui consignare, & ita à debito principali, & ab usuris in posterum liberatus erit. *l. 9. C. h. t.*

11 II. Quodsi creditor rerum suarum administrationem non habeat, rectè ipsius Tutori, vel Curatori solvitur. *l. 14. ff. h. t.* Rectius tamen decretum & Autoritas Iudicis adhibetur: tunc enim debitor plenissimam liberationem consequitur, adeò ut nec beneficium restitutionis in integrum locum habeat, ut cunque pecunia soluta malè pereat; cum aliàs pupilli, & Minorenes ex causa etiam contra solutionem sibi cum auctoritate Tutoris, & Curatoris, vel ipsi Tutori, aut Curatori factam restitutionem in integrum petere possint. §. *ult. Inst. Quib. alien. licet. vel non l. 1. ubi Gloss. & DD. C. Si advers. solut.* Nisi cum restituitur ex SC. Trebelliano hæreditas, solvantur pensiones, aut usuræ non excedentes metas biennales, & summam centum solidorum; nam in his ad consecutionem plenissimæ liberationis sufficit solius Tutoris, aut Curatoris interventus. *l. penult. C. ad SC. Trebel. l. sancimus 25. C. de Administrat. Tutor.*

12 III. Rectè solvitur procuratori creditoris; ita tamen ut distinguendum sit inter procuratorem *in rem suam*, & inter procuratorem *in rem alienam*. Illi sine dubio rectè solvitur, cum in effectu sit Dominus erediti. *l. 13. §. 1. ff. de Pact. l. 25. in fin. ff. de Procurat.* Si sit Procurator in rem alienam, tunc si est datus ad lites, non rectè ei solvitur. *l. 13. pr. ff. de*

Pact. l. 86. ff. h. t. Si verò datus est ad negotia, non aliter ei solvi potest, quam si vel habeat speciale mandatum de recipienda solutione, vel ei omnium negotiorum administratio commissa sit. *l. 12. pr. ff. h. t.* qui enim aliquem præponit omnibus negotiis suis, intelligitur etiam mandare debitoribus, ut tali procuratori solvant. *l. 34. §. 3. ff. Eod.* Planè factâ revocatione mandati, & cognitâ Debitoribus, hi non amplius rectè solvunt procuratori revocato. Secus, si ignari revocationis solverint bonâ fide, tunc namque meritò dicendum est, eos solvendo liberari. *d. l. 12. §. 2. & l. 34. §. 3. Zoësius ad ff. h. t. n. 9. & 11.*

IV. Rectè solvitur Creditori Creditoris, etiam sine hujus mandato; ita nimirum, ut si sine jussu ejus debitor solvat Creditoris creditori, liberatio non ipso jure, sed ope duntaxat exceptionis contingat, quatenus, si forte postea creditor immediatus nihilominus peteret, quod jam ejus creditori solutum est, eundem debitor exceptione doli repellere posset. *l. si opera 6. v. idem est. & ibi. Bartol. ff. de Dole mali except.*

V. Rectè solvitur servis, & filiis familias, si ipsi exigendis pecuniis præpositi sint, aut liberam habeant peculii administrationem. *l. 18. l. 49. l. 51. ff. h. t.*

VI. Rectè solvitur ei, qui solutionis causâ in contractu adjectus est, puta hoc modo: *mibi, aut Titio decem dare promissus?* quamvis enim eo casu tota obligatio mihi quaratur, solvi amen Titio adjecto etiam me invito rectè potest, & debitor ipso jure liberationem consequitur. §. *4. Inst. de inutil. stipul. l. 10. l. 12. §. 1. & 3. ff. h. t.* factâ autem solutione adjecto, creditori datur actio mandati contra adjectum, tanquam mandatarium, ad restituendum solutum. *d. §. 4. Institut. l. 131. §. 1. ff. de V. O. l. 98. §. 5. ff. de hoc tit.*

§. V.

§. V.

16 *Materia, seu Objectum* solutionis est id, quod solvitur; ex parte ejus.

Requiritur I. Ut solvatur id ipsum, quod debetur: invito enim creditori, inquit *J.C. Paulus l. 2. §. 1. ff. de Reb. credit.* aliud pro alio solvi non potest; nec pretium quidem speciei promissæ, cum in species cedat affectio & aliud sit pretium, aliud res. *l. 1. ff. de Rer. permut. l. 88. ff. de V. S.* nec res alia æquè bona, cum ea non debeatur, & invito creditori adimi non possit jus quæsitum, quod ipse habet ad rem determinatè debitam.

17 *Dubitat* I. Utrum in eadem specie monetæ faciendæ sit solutio, in qua v. g. mutuum datum est? Id, quod negandum, nisi de eadem specie reddenda expressè conventum sit, aut Creditor ex solutione monetæ in diversa materia, aut forma damnum pateretur per *l. 65. §. 1. ff. de V. O. l. 99. ff. b. t.* pecunia enim in suo genere regulariter mutuum functionem recipit, & in ratione proportionati valoris omnes nummi sunt ejusdem generis, nec in solutione attenditur materia, sed valor, & æstimatio. *l. 1. ff. de Contr. ab. empr. l. 65. §. 1. ff. de V. O.* Hinc in *l. 1. l. 9. l. 35. ff. de Auro & argento legat.* dicitur legato auro vel ipsum aurum, vel pretium auri præstandum esse: Ut proinde aliud pro alio non solvatur, si moneta argentea pro aurea, vel minuta pro grossa reddatur, dummodo secundum valorem proportionatum, & in moneta proba; reprobæ enim pecunia solventem non liberat. *l. eleganter. 24. §. 1. ff. de Pignorat. act.* Plane jure novissimo si summa solvenda est notabilis quantitatis, Creditor invitus non cogitur recipere solutionem in pecunia minuta ultra *25. florenos. Recess. Imp. de Anno 1559. §. die jetzt gemeldten.*

18 *Dixi: Regulariter pecuniam recipere mutuum functionem*: etenim de illo casu, quo moneta mutatur, & vel nova deterior, aut

mellior ceditur, vel antiquæ monetæ pretium propter defectum forsan & abundantiam materiæ crescit, aut decrescit, præcipua & in universo jure vix intricatior difficultas est, quò modò scilicet, & quantum in tali casu sit solvendum, vel utrum attendi debeat valor præsentis temporis, vel illius, quo v. g. mutuata est pecunia? qua de post alios consule *P. Engl ad h. t. n. 13.*

Dubitat II. An obligatus ad factum præcisè teneatur facere, an verò liberetur locò facti solvendo interesse?

Prima & communior sententia est, liberari promissorem, adeoque teneri solum disjunctivè, vel præstare factum promissum, vel ejus locò solvere interesse. Ita *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 27. th. 1. lit. L. Eckoldt. ad ff. de V. O. n. 16. Donellus, Duarenus, Harprecht, Ludwell, & innumeri alii propter textus in l. 13. §. 1. ff. de Rejudicata. l. 72. pr. l. 81. pr. l. 84. l. 112. §. 1. l. 122. §. fin. ff. de V. O.*

Alteræ & probabilior sententia vult, promissorem facti præcisè obligari ad ponendum factum, si ejus præstationem urgeat creditor. Ita *Zoël. ad ff. de V. O. n. 53. Corasius 2. Miscell. 3. Bronchorst. cent. 4. assert. 41.* Ideo, quia promissor dandi præcisè obligatur dare, nec liberatur offerendo interesse pro re promissa, ne scilicet aliud pro alio invito Creditori obtrudatur. Ergo idem quoque dicendum de Promissore faciendi. Neque juvat, si dicas, quod in promissione dandi sola res promissa in obligatione sit secundum omnem intentionem promittentis, adeoque sola etiam in solutione esse debeat: econtra in promissione faciendi factum quidem principaliter, & expressè in obligationem veniat, ac virtualiter, & ex mente interpretativa promittentis succedat obligatio ad interesse, ita ut si is nolit præstare factum, non possit invitus ad id cogi sed audiendus sit offerendo interesse; nam contra est, quòd hoc ipsum, an promissio faciendi

ita

ita se habeat? crinomenon sit, & manifesta petitio principii. Facit insuper pro hac sententia textus in §. 1. *Inst. de Actionib.* ubi dicitur: quod actione in personam quis intendat, adversarium ei dare, aut facere oportere. Ecce hic ly oportere cadit super utrumque terminum, super dare, & super facere æqualiter. Ergo facit idem utrinque jus obtinere, ergo si obligatus dare præcisè tenetur ad dandum, etiam obligatus facere præcisè tenebitur ad faciendum, nec audietur offerendo interesse pro facto promisso.

Ad jura in speciem contraria potest responderi, ea vel loqui de casu, quo factum promissum amplius præstari nequit; vel hoc solum velle, quod creditor post commissam moram non teneatur ulterius recipere præstationem facti, sed possit determinatè ad interesse agere.

20 II. *Requiritur*, ut solvatur res propria debitoris, si ejus obligatio ad dandum tendat: solvendo enim alienam hoc casu debito non liberatur. *l. 17. l. 78. l. 94. ff. h. t.* nisi ea res vel usucapta fuerit à Creditore. *l. 60. ff. Eod.* vel bona fide ab eodem consumpta *d. l. 17. & l. 94. pr. & §. seqq. ff. h. t.* Aliud est, si obligatio tendat ad tradendum, ut in venditione; ubi sufficit præstare emptori, rem habere licere. *l. ex empto. II. §. 2. ff. de Action. empt.*

21 III. *Requiritur*, ut solvatur totum illud, quod debetur, nec enim regulariter permittitur, ut Debitor invito Creditori particulatim solvat. *l. 41. §. 1. ff. de Usur. l. 9. C. h. t.* quia quod simul acceptum est, simul reddi debet: & una obligatio una solutione tollenda est, cum plerumque solutio, & exactio partium non minima habeat incommoda, teste ipso JC. in *l. 3. ff. Famil. ercisc.* Gomez. *Var. res. sol. lib. 2. c. 10. Gail. 2. observ. 10. n. 7.*

22 *Exceptio est* I. Si Creditor ultrò admittat particularem solutionem; quò refertur, quod dicitur in *sine §. 1. Instit. Quib. mod. tollitur*

obligat. ibi: quod debetur, pro parte rectè solvitur; intellige, Creditori volenti, non etiam invito. II. Si aliter inter debitorem, & creditorem conventum fuerit. l. 41. §. 1. ff. de Usur. Hoc autem conventum esse præsumitur, si solutio promissa sit in duobus locis copulativè v. g. Ephesi, & Capua. *l. 1. §. 4. ff. de eo quod certo loco.* III. Si favor libertatis hoc suadeat. *arg. l. 4. §. 6. ff. de Statu liber.* IV. Si tantum per partes creditum sit: tunc enim etiam per partes rectè solvitur, quia obligatio eo modo distrahi potest, quo contracta est. *l. 35. ff. de R. F. c. 1. X. Eod. Gibal. de Usur. l. 1. c. 3. art. 4. n. 2.* V. Si quis ex diversis causis eidem Creditori aliquid debeat; puta decem ex locatione, & centum ex mutuo: hoc siquidem casu eo ipso, quòd sint diversa debita, etsi eodem forte die contracta unum sine altero, etiam priore, solvere licet. *l. 10. C. h. t.* VI. Si debitum ex una parte sit liquidum, vel confessatum, non ex alia: quippe tunc Creditor cogitur accipere partem liquidam, aut confessatam debiti, donec de altera parte constet, utrum verè debita sit, nec ne, de quo etiam loquitur *l. quidam. 21. ff. de reb. credit. & l. 8. ff. Si pars heredit. partatur.* Plures alias exceptiones affert Harprecht ad *pr. Inst. Quib. mod. re contrab. oblig. n. 47. & seqq.*

§. VI.

Forma solutionis stat in legitima redditio-23
ne ejus, quod debetur. Ut autem talis sit, facienda est secundum legem conventionis debitor locò, & justò tempore. Unde
Quares I. Quò modò solutio fieri debeat
ratione loci?

R. I. Si certus locus solutioni adjectus est, solvi debet in loco convento. *l. is, qui 9. ff. de Eo, quod certo loco.* nec alibi à Debitore peti potest, & si alibi Creditor peteret, locò plus petiisse diceretur. *l. 2. §. si quis Ephesi ff. Eod.* Verum quia contingere posset, ut nunquam à

De-

Debitore petere liceret, si nunquam ad locum destinatum veniret, ideo Prætor concessit, ut Debitor etiam extra illum locum utiliter conveniri possit, dummodo loci, ubi solutio facienda esset, mentio fiat. *l. 1. ff. Eod. Mysing. ad §. si quis agens. §. plus autem. n. 10. Inst. de Actionib.*

¶ II. Si locus, ubi solvi debeat, non est expressus, tunc si debitum venit ex contractu mere gratuito, qualis est, ubi aliquid accipitur, sed nihil redditur, solutio debet fieri in loco, ubi res erat tempore donationis, aut promissionis factæ: neque erit expensis Donatoris transferenda ad Donatarium, aut Promissarium abientem, nisi aliud actum fuerit. *Lessius de F. & F. lib. 2. dub. 8. n. 59.* Si verò debitum venit ex ejusmodi contractu, unde idem, quod acceptum est, reddi debet, redditio debet fieri in loco rei acceptæ: Depositarius ergo reddet depositum in loco, ubi custodiendum accepit: Commodatarius rem commodatam, ubi ei commodata fuit. *Gibal. de Usur. lib. 1. c. 3. n. 4. n. 7.* Si debitum venit ex tali contractu, ubi aliud accipitur, aliud præstatur, ille locus intelligitur solutioni destinatus, in quo res, pro qua solvendum, tradita est, sive ibi contractum fuerit, sive non: & ideo in emptione venditione pretium debet solvi in loco mercis traditæ: in locatione conductione merces, seu pensio in loco rei ad usum concessæ, vel operæ præstitæ. *Gibal. cit. lib. n. 8.* Si denique debitum ex delicto enatum sit, solutio ibi facienda est, ubi Creditor moratur: Debitor siquidem ex injusta læsione tenetur perfecte indemnem servare læsum. *Clariff. D. D. Gletle ad Inst. h. t. n. 5.*

¶ Quæstio II. Quò modò solutio fieri debeat ratione temporis?

¶ I. Si certus terminus solutioni præfixus est, solvi debet in termino convento: quia juxta *l. 5. ff. h. t. solidum non solvitur non minus quantitate, quam die.* Et hoc etiam non

urgeatur Debitor, cum dies ipse interpellet pro Creditore *c. fin. de Locat. & conduct. l. 12. C. de Contrah. & commit. stipul.* Quòd si talis dies adjectus sit, qui possit referri ad plures, veluti: *dabis in Paschate? dabis Calend. Augusti;* de proximo paschate, de proximis Calendis censetur cogitatum. *l. 41. pr. ff. V. O.* At potest tamen debitor etiam ante tempus conventum, aut, si in diem debitum sit, ante adventum diei solutionem offerre Creditori, & hic tenetur eam accipere, modò dies Debitoris gratiâ (ut communiter solet *l. 17. ff. de R. l. l. 40. §. 1. ff. de V. O.*) adjectus fuerit. *l. 70. l. 98. §. 4. ff. h. t. l. 38. §. 16. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Secus, si in commodum, & favorem Creditoris. *l. 15. ff. de Annuis legat. Zoël. ad ff. h. t. num. 31. Carpz. p. 2. constit. 28. defin. 11. & seqq. Harprecht ad pr. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. n. 101. & seqq.*

Sed quid si aliquis errore facti solvat hodie, cum primò solvere debeat post semestre, habetne conditionem indebiti, quasi plus solverit? Quòd nego, si pecunia fuerit debita in diem certam, ut hic ponitur. *l. 10. l. 17. ff. de Condiel. indeb. Affirmo,* si sit debita in diem incertam per *l. 56. ff. Eod.* Est autem dies incerta vel incertitudine, an sit exitura; vel incertitudine, quando sit exitura; vel utràque incertitudine, an, & quando sit exitura? Primi, & tertii generis dies resolvitur in conditionem *l. 77. ff. de Condit. & Demonstr. l. 1. 4. 21. & 22. ff. Quando dies legat. adeoque quòd ante ejus adventum solutum, indebitum fuit, & repeti potest per *l. 16. 18. & 48. ff. de Condiel. indebit.* Diversum obtinet secundum communem, si dies fuerit incerta tantum, quando sit eventura; veluti: *solvam, quando moriar:* quia hoc in calu certum est, id, quòd solutum fuit, debitum iri. *d. l. 17. & 18. ff. Eod.* Existimem tamen juri, & æquitati magis contentaneum, ut quòd in diem etiam certum de-*

betur, si quid per errorem facti ante adventum diei solutum est, id saltem repeti possit, quod tempore intermedio extra sortem ratione praproperea solutionis lucro Creditoris cessisse, Debitor probaverit: quis enim ferat, ut cum damno Debitoris sine ipsius culpa Creditor locupletetur? Neque adversantur *cit. l. 10. & 17. ff. de Condi. indeb.* ut quae vel de repetitione sortis principalis, non verò lucri, vel de rebus talibus, quarum repetitio nullam vel modicam utilitatem affert, commode accipi possunt.

27. §. II. Si de tempore solutionis nihil actum est inter partes, differri potest solutio, donec Creditor petat debitum: quia prudenter interim cogitari potest, Creditorem non esse invitum quoad dilationem solutionis. arg. *l. debitoribus praesentes. 10. ubi DD. C. de Pignorib. nisi debitum descenderet ex delicto: nam ad restituendum v. g. furto ablatum, primum quodque tempus pro termino est secundum Sylvestrum V. mora q. 1. aut nisi Creditor forte non peteret debitum ex aliqua ignorantia, timore, impotentia, aliave de causa, unde debitor posset conijcere, se invito Creditore differre solutionem: tunc enim, si non statim solvat, erit in mora culpabili. Molin de F. & F. disp. 564. Carpz. p. 2. constit. 28. definit. 19. & Ego ad tit. de Sponsal. & matr. n. 52.*

§. VII.

28. *Finis* solutionis est extinctio obligationis non tantum principalis, sed accessoriae.

§. VIII.

29. *Effectus* solutionis, alius est *ex parte Creditoris*, alius *ex parte Debitoris*, alius *ex parte rei soluta.*

Ex parte Creditoris est iste, quod in eum transeat dominium rei ex obligatione dandi soluta, & quidem irrevocabiliter. *l. 10. C. h. t.* si modò & solvens Dominus fuit: quoniam si non fuit Dominus, Creditor tantum ponitur in conditione usucapiendi solutum. *l. 46. ff. de Usucap.*

Effectus ex parte Debitoris est, quod ipso jure liberetur à debito, & consequenter tollantur obligationes accessoriae, tum rerum, tum personarum; ut sunt fidejussores, pignora, & hypothecae. *pr. Inst. Quib. mod. tollitur oblig. l. cum quis. 38. §. 2. l. in omnibus 34. ff. h. t. l. 71. ff. de Fidejuss.* sicut namque obligatio accessoría ab initio non constituitur, ubi nulla est principalis, ita hác sublatà, illa quoque exspirat. *l. 2. ff. de Pecul. legat. l. cum principalis. 178. ff. de R. l.*

Scrupulo non caret: in quale debitum solutio imputetur, si ex pluribus causis obligatus aliquam summam solvat, nihil exprimens, quam causam, seu debitum velit dissolvere? Communiter placuit, quod debitor semper censeatur duriores causam, & obligationem voluisse dissolvere, per quam scilicet plus gravatur; ut ecce; si quid debeat sub hypotheca, sub poena, vel usuris, aliud sine istis cenetur illud solvere, quod debet sub hypotheca, poena, vel usuris. *l. 1. l. 3. l. 97. l. 103. ff. h. t.* cum enim tali casu in potestate debitoris sit liberè determinare, in quodnam debitum velit solutionem imputare, per text. in *l. 1. C. h. t.* semper in dubio praesumitur facere id, quod sibi utilius est. *Molin. de F. & F. disp. 565. Menoch. 4. praesumpt. 136.* Hoc ita, si utrumque debitum sit principale: nam si alterum sit accessorium, puta, si debeat aliquis mille ex mutuo, & quingentos ex usuris, quas decem annis non solvit, offeratque quingentos, tali casu censetur debitor solvere usuras, non capitale: quamvis enim debitori utilius foret, talem pecuniam ex capitali deducere, quandoquidem hóc pacto minuerentur usurae, cum usurae usurarum non debeantur, a tamen de jure, quia in tali casu non est in potestate debitoris, sed creditoris, in quam summam velit imputare, cum creditor justè possit petere, solvi prius usuras, quam capitale, ideo non censetur, id actum, quod debitori, sed

quod creditor utilius est. *l. 7. §. 3. ff. h. t. l. 1. §. 1. Carpov. p. 2. constit. 29. def. 17.*
 2. Potest facta solutio debitor chirographum, si quod dedit, a creditore per conditionem sine causa repetere potest. *l. ult. C. h. t. vel etiam ad id exhibendum agere. l. ult. C. ad Exhibend.* Quod si nullum chirographum datum sit, aut quod datum est, amissum fuerit, potest a creditore petere apocham, vulgo *quittantiam* vocant, qua contineatur confessio debiti soluti. *Gail. 2. obs. 37. Eckolt. ad ff. h. t. §. 9.*

3. *Effectus solutiois ex parte rei soluta est,* quod praesumatur fuisse debita, ita ut solventi qui indebitam se solvisse asserit, incumbat onus probandi. *c. fin. h. t.* non enim verisimile est, quod diligens Pater familias jactet sua; praesertim si solutio facta sit ex causa aliqua praesentis. *l. item de indebito. 25. ff. de Probat.* nisi periona, quae solvit sit privilegiata, ut pupillus, minor, mulier, miles, & rusticus; quae non ante intelligitur debite solvisse, quam is, qui accepit, debitum sibi fuisse probaverit. *d. c. fin. Junctis Gloss. h. t. & d. l. cum de indebito §. fin. autem.*

Accipere humanum est, inopi donare Deorum. Nunquam tam paucos crede fuisse Deos.

§. I.

Donationis verbum originem trahit a dono, quasi dono donatio, teste JC Paulo in *l. Senatus. 35. §. donatio 1. ff. de Mortis causa donat.*

§. II.

Definitur donatio, quod sit liberalitas, quae nullo jure cogente in alterum exercetur. arg. l. 1. & 29. ff. h. t.

§. III.

Dividitur I. in perfectam, seu realem, & imperfectam, seu verbalem. Perfecta, seu realis est, qua donans rem alteri, & actu donat, & simul in effectu tradit. Et haec donatio propriissime dicitur, & definitur potest; liberalis donatio. Donatio imperfecta, seu verbalis est conventio de dono donando, scilicet cum quis per verba de praesenti actu quidem alteri rem donat, dicendo v. g. dono tibi hunc librum, vel equum, sed forte absentem, vel adhuc usui necessariam nondum tradit.

*II. Dividitur in donationem gratuitam, & remuneratoriam. Gratuita est, quae sit seclusa omni prorsus obligatione tam justitiae, quam gratitudinis ex parte donantis, adeoque ex pura pura liberalitate, & absque meritis Donatarii. Et haec proprie donatio appellatur in *l. 1. ff. h. t.* Remuneratoria est, quae sit ex aliqua obligatione, non quidem justitiae, sed gratitudinis ex parte dantis ob merita Donatarii. Et haec non est proprie dicta donatio, etsi absolute donatio dici possit, cum satis sit rem donatam non esse debitam ex jure, seu justitia juxta *d. l. 29. ff. h. t.* Ubi tamen illud breviter noto, quod statuta, aut leges odiosae de donatione loquentes non sint extendendae ad remuneratoria, nisi aliud ex verbis, aut sine legis expressis colligatur, siquidem in odiosis terminus donationis strictè*

Est

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

SUMMARIA.

1. Donationis etymologia. 2. Definitio. 3. usque 6. Divisio. 6. Origo. 7. usque 15. Quinam donare possint, qui non? 15. 16. 17. Quae res donari queant? 18. usque 25. Quae ex parte donantis requirantur, quae ex parte Donatarii? 25. Quis sit finis donationis? 26. 27. Quis effectus? 28. & seq. In quibus causis revocari possit donatio?

Nunc ordo nos ducit ad donationis materiam, charam quidem, sed in praxi raram, nam ut Poeta cecinit.

est accipiendus, scilicet pro donatione merè liberali, omnem etiam gratitudinis obligationem excludente. Sanchez lib. 6. de *Marrim. disp.* 6. cum Communi. Card. Tusch. lit. D. concl. 610 n. 16.

5 III. *Dividitur* donatio in donationem inter vivos, & mortis causâ. *Donatio inter vivos* est, cum is qui donat, mavult habere illum, cui donat, quam se. l. *senatus* 45, §. 2. ff. de *Mortis causâ donat.* Clarius: est liberalitas, quæ fit sine ulla mortis, aut mortalitatis cogitatione. *Donatio mortis causâ* est, cum quis mortis intuitu donat rem, quam se magis, quam Donarium, & hunc potius, quam hæredem habere vult. §. 1. *Inst. h. t.* De illa in præfenti, de hac fortè alibi agemus.

§. IV.

6 *Causa efficiens* donationis est vel remota vel proxima.

Remota est jus naturæ: quippe liberalitatis Author ipse Deus per implantationem animæ hominis & hunc quoque affectum ipsi indidit, ut pronior esset ad dandum, quam ad accipiendum; ut non negandum, hodie perversam hominis naturam malle accipere, quam dare juxta illud Poëtæ:

Hæu! creber nimium est hoc Abblativus in orbe.

In pretio rursus quando Dativus erit?

7 *Proxima* est donans. Potest autem donare omnis, qui habet dominium cum libera administratione, nec specialiter donare prohibetur: siquidem non tantum illis, qui rerum suarum liberam dispositionem non habent, ut sunt Pupilli, Minorenes, Prodigii; sed etiam inter alias certas personas, partim ex *Jure Civili*, partim ex *Jure Canonico* Donationes sunt prohibitæ

8 *Jure Civili* I. donare non potest Pater filio, quem in potestate sua habet. l. 1. §. 1. ff. l. *cum de bonis*. 11. C. h. t. quia quidquid filiofamilias ab ipso Patre datur, in peculio profectitio,

& ita in dominio Patris est, adeoque Pater non tam filio, quam sibi ipsi donaret. Planè Mater indistinctè suis filiis rectè donat, ut etiam Pater filio emancipato, vel juxta consuetudinem hodiernam, postquam filius per contractum matrimonium patriâ potestate liberatus est, cum his casibus cesset ratio potestatis patriæ, & peculii profectitii. Illud tamen utilitatis adfert donatio facta filio in potestate constituto, quòd confirmetur emancipatione, ita scilicet; ut si Pater, dum filium ex potestate dimittit, non revocet rem donatam, ex tunc donatio convalescat, & ulterius revocari nequeat. l. *donationes*. 31. §. 2. ff. h. t.

II. Prohibetur donatio inter Conjuges: ratione, nè vel nimius amor alterutrum ad paupertatem redigat, vel certè difficultas donandi, & denegatio rei ab altero desiderata inimicarum & litium causam præbeat. l. 1. l. 3. ff. de *Donat. inter vir. & uxor.* Unde tametsi vir defacto uxori, aut uxor viro aliquid donet, semper iterum revocare poterit, morte tamen donantis, si moriatur ante Donarium, confirmatur. l. 32. §. 2. ff. l. 1. §. 3. C. *Eod.* & Ego infra in lib. 4. tit. 20. n. 22.

III. Nihil potest donare miles suæ focariæ, sive concubinæ: quamvis enim alias etiam inhonestæ donationes valeant, & tam bene meretrici, quam bene merenti donari possit per l. 5. ff. h. t. *Milites tamen meos*, inquit Imperator in l. 2. de *Donat. inter vir. & uxor.* a focariis suis hac ratione, *fidelisque adulationibus spoliari nolo.* Et quia alias Clerici ordinatè participant privilegia militum, cum & ipsi militare dicantur, eadèque subit ratio, nè scilicet blanditiis foeminarum de pauperati, avocentur à Divinis & c. rectè hanc juris dispositionem, & annulationem donationum Concubinis factarum, etiam ad Clericos extendit Rota dec. 46. n. 6. coram Ser. *aph.* Cæsar de Panimoll. dec. 59. n. 38. Covar. in c. *peccatum*. p. 2. §. 2. n. 2. IV. Lt.

10. IV. Licet amplum sit officium, & satis magna Tutorum, Curatorumve auctoritas, eo tamen potestas eorum minime se porrigit, ut ex bonis, quæ administrant, donare quicquam valeant. arg. l. 28. §. fin. ff. de Pactis. cum officii eorum sit, administrare bona, non veto perdere. l. 7. pr. ff. h. e. nisi donare velint pro more, & liberalitate ejus, cujus bona administrant. Unde ab hac prohibitione DD. communiter excipiunt Tutores, ac Curatores personarum Illustrium, aut Nobilium. Gail. 2. observ. 72. num. 8. Carpz. p. 2. constit. 11. def. 48. n. 4. arg. l. 12. §. 3. l. 13. ff. de Administr. & peric. tutor. l. 7. §. 3. ff. h. e.

11. De Jure Canonico prohibetur Ecclesiarum Prælati, nè ex bonis suæ Ecclesiæ immoderatas donationes faciant, cum non sint Domini, sed solum administratores: & si defacto in detrimentum Ecclesiæ donare attentent, tanquam de Jure invalidæ à Successore revocari poterant. c. 2. h. t. Præterea tum per antiquissimos Canones Apostolorum, tum novissime in Concil. Trid. sess. 25. de Reform. c. 1. Episcopis, & quibuscunque beneficia Ecclesiastica obtinentibus omnino interdicitur, ne ex bonis Ecclesiasticis Consanguineos suos ditent, sed econtra quam maxime potest, S. Synodus eos cohortatur, ut omnem humanum erga Fratres, Nepotes, Propinquosque carnis affectum deponant. Denique monentur omnes Clerici non tantum bona suarum Ecclesiarum, verum etiam bona intuitu Ecclesiæ acquisita, & redditus ordinarios suorum beneficiorum sibi superfluos non aliter, quam ad pios usus donare, aut expendere. c. fin. dist. 16. & passim alibi.

12. *Questionis* est; an Prælati saltem donationes remuneratorias de rebus Ecclesiæ facere possint suis officialibus, aut ministris? Resp. posse per text. in c. 5. h. t. id enim discreta administratio exigit, neque potestatem alienæ rei administratoris excedit, cum etiam Tuto-

res id possint, qui tamen non sunt administratores perpetui, nec tam amplam administrationem habent. l. 12. §. 3. ff. de Administr. tutor. Interim quando Prælati, vel aliæ personæ, quibus de jure prohibitum est donare, remuneratorias donationes facere volunt, necesse est primo, ut merita Donarii sint proportionata, & condigna premio donatō: aliàs enim, in quantum donum excedit meritum, non erit donatio remuneratoria, consequenter nec valida. Secundo non creditur assertioni Prælati donantis, si in genere dicat, se donare propter merita, sed merita hæc specificari, & in dubio à donatario probari debent, aliàs legi donationem prohibenti facile fraus fieri posset, ut rectè advertit Jul. Clar. §. Donatio. q. 3. n. 2. Tusch. concl. pr. concl. 626. lit. D. Tertio, si Prælati Ecclesiarum alicui propter bene merita rem immobilem, aut mobilem valde pretiosam donare velint, etiam consensum Capituli, & superioris adhibere debent: quia ad donationem, uti ad quamcunque aliam alienationem rei Ecclesiasticæ duo copulative requiruntur; scilicet *justa causa*, & simul *solenitas* à Jure præscripta, atque alterutro istorum prætermisso actus invalidus, & nullus erit, ut probavi in sit. de Reb. Eccles. alien. vel non.

Connexa difficultas est, an consuetudinet introduci possit, aut defacto introductum sit, ut Prælati suis Consanguineis, aut aliis ex mera liberalitate donare queant?

Rationem dubitandi suggerit Alexander III. in c. 3. h. t. in quo rescripsit Vigorieni Episcopo, in donatione Abbatis datæ rei quantitatem & illius terræ consuetudinem, quæ tamen sacris Canonibus non obviet, attendendam esse, & secundum hoc donum aut ratum, aut irritum judicandum.

Verum Panormit. & Barb. in d. c. 3. h. t. docent nullâ consuetudine introduci posse, ut bona immobilia, vel mobilia pretiosa donari possint;

possint: nullam item consuetudinem impedire posse, quò minus immoderatas donationes quascunque in grave detrimentum Ecclesie factas revocare, aut saltem per viam restitutionis in integrum rescindere liceat: quia talis consuetudo hòc ipsò SS. Canonibus alienationem rerum Ecclesiasticarum prohibentibus, & econtra Ecclesie graviter læsa restitutionem in integrum concedentibus directè obviaret, & tanquam irrationabilis non valeret. Planè si res donata exigua sit, vel si ex rationabili causa, veluti ob bonè merita fiat, nulla consuetudo requiritur, cum etiam res immobiles exigui valoris, puta terrulas, aut vineolas, sine omni solemnitate alienare liceat. *c. terrulas. causa 12. q. 2.*

Et ad hoc potissimum facere videtur consuetudo in *cit. c. 3.* requisita, nimirum ut determet, quanam donatio modica, vel immodica sit? cum enim id à Jure non determinetur, ea communi hominum æstimatione, consideratis redditibus Prælaturæ, exemplis Antecessorum, aut approbatione Superiorum, dijudicandum erit, ut docent communiter DD. in *d. c. 3. h. t.*

§. V.

14 *Materia, sive objectum donationis est res, quæ donatur. Possunt autem donari res omnes humano commercio obnoxie: corporales & incorporales: mobiles & immobiles etiam alienæ, quarum donatio si bonà fide facta sit, eatenus valet, quod fundet titulum usufructuionis. l. 1. ff. Pro donato.*

Frequens in scholis *questio* est: utrum valeat omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum donatio?

15 Negat communior DD. quam sequuntur Schneidw. *ad Inst. h. t. n. 86.* Clar. *lib. 4. Sent. §. donatio q. 16.* Carpzov. *lib. 5. Resp. 65.* & Gomez. *tom. 2. Var. resol. c. 4. n. 5.* qui eodem *tom. 2. cap. 14. n. 24.* nec juramentò firmatam hanc donationem subsistere posse,

asserit; partim propter textus in *l. stipulatio 61. ff. de V. O. & in l. fin. C. de Pactis.* partim ob rationem, quòd per eam auferatur libera testandi facultas causà utilitatis publicæ permittà, cum is, qui nulla bona in civitate reliquit, hæredem habere non possit. *l. 28. ff. de Vulg. & prepill. substit.*

Sed præplacet sententia affirmativa, quam tventur Harprecht *ad Inst. h. t. §. 2. n. 118.* Clariss. Frid. Ernest. à Somering. *cod. tit. n. 4.* & alii: cum enim quilibet Dominus disponere possit pro libitu de rebus suis & præsentibus, & futuris, nisi lege prohibeatur, *l. 21. C. Mandati* cur non etiam de omnibus bonis per donationem, ut quæ nullibi reperitur prohibita, sed potius approbata per textus expressos in *l. 35. §. 4. C. de Donat. l. 8. C. de Revoc. donat. l. 5. C. de inoffic. donat. l. 17. §. 1. ff. Quæ in fraud. credis.* in quibus de omnibus omninò bonis sermo est. Atque hæc sententia maximè obtinet, si donatio fiat causæ piæ per *c. fin. de Success. ab intest. & c. 8. causa 19. q. 3.* siquidem in tali donatione jus Gentium, & Canonicum sequimur. Tiracquel. *Privil. piæ causæ 100. Barb. J. E. U. lib. 2. c. 13. n. 17.*

Nec difficilis est responsio ad *l. 61. ff. de V. O. & l. fin. C. de Pactis.* loquuntur enim de pactis, & stipulationibus captatoris, quæ inducunt votum captandæ mortis alterius; cujus modi non est donatio omnium bonorum, cum, ut effectum suum fortiatur, mortè Donatarii opus non sit, sed quoad bona præsentia ad tradendum statim agi possit; quoad futura autem Donatio expediat, ut Donator diu vivat, & ita plus acquirat; cur ergo illi mortem machinaretur? Minus probat adducta ratio: in primis enim Donator omnium bonorum nunquam damnatur in solidum, sed semper tantum retinet, unde exhibere se possit. *l. 19. §. 1. ff. de Re jud. & sic semper bona habet, de quibus testari possit.*

De-

Deinde facultas testandi ita juris publici est, ut privatus illam sibi interdixit adimere queat, prout sanè arrogatione, per quam omnia bona transferuntur in arrogatorem & ingressu in Monasterium facultatem testandi constat impediri.

17 Illud addendum, bonis omnibus simpliciter donatis, presentia tantum non futura donata censei, eum stricti juris sit donatio. l. 22. ff. h. t. & de gravi hic Donantis præjudicio agatur. Zoël. ad ff. h. t. n. 29. Carpz. p. 2. const. l. 2. desin. 27. Hinc specialiter bonorum futurorum expressione opus, perinde sicuti bonis omnibus mobilibus, & immobilibus donatis specialis nominum mentio facienda est. Neque contrariatur huic assertioni, quod in hypotheca bonorum simpliciter, & generaliter facta comprehendantur bona tam presentia, quam futura. l. fin. C. Qua res pign. oblig. poss. etenim maxima inter bonorum donationem, & hypothecam differentia intercedit, ex quo hic de nullo vel exiguo præjudicio debitoris agitur, quia soluto debito omnia bona liberantur; donantis autem semel legitime bonis nulla recuperatio speranda.

§. VI.

18 Forma donationis alia est essentialis, alia accidentalis.

Essentialis duo concludit, quæ exhibet l. 55. ff. de Obligat. & Actio. ibi: in omnibus rebus, que dominium transferunt, concurrat, oportet affectus ex utraque parte contrahentium, nam sive ea venditio, sive donatio, sive qualibet alia contrahendi causa fuit, nisi animus utriusque consentit, perclusi ad effectum non potest. Itaque.

19 Ex parte Donantis requiritur voluntas donandi; quæ ut obligationem inducat, signò aliquò externò manifestata sit, necessum est, alias procedet regula: cogitatum in mente reatum nihil operatur: neque in dubio præsumitur, sed ab eo, qui asserit, sibi quid dona-

tum esse, probari debet per l. 25. ff. de Prob. & juxta vulgatum illud: quod toties, quoties alia, quam donationi conjectura capi potest, in dubio præsumptio, aut conjectura donationis non sit sumenda. Dan. Moller lib. 3. c. 37. n. 1. sufficit tamen hanc voluntatem utcumque declarari. l. 6. C. h. t. etiam per epistolam. l. 13. C. Eod. Imò interdum ex solo facto colligitur, ut si quis sciens indebitum solvat. l. 1. §. 1. l. 24. l. 26. §. 3. ff. de Condict. indebit. tamen si eâ mente datum sit, ut postea repetatur. l. 50. ff. eod. Si creditor reddat chirographum debitori, videtur enim inter eos conventum, ne debitum petatur, l. 2. §. 1. ff. de Pactis etiam si plures tabulæ ejusdem debiti fuerint scriptæ, nec omnes redditæ arg. d. l. 2. §. 1. Si inter dantem & recipientem sanguinis & amicitie vinculum actu intercedat per l. 39. ff. de Donat. inter vir. & uxor. maxime si dans sit nobilis, ac dives, & summa data non usque adeò magna. Menoch. de Arbitr. judic. cas. 88. n. 39 & 52. Celsus decis. 389. à n. 4. ubi plures conjecturas affert, ex quibus donatio præsumitur.

Ex parte Donatarii desideratur doni acceptio, cum expeditissimi juris sit, ante acceptationem donationis neque civilem, neque naturalem nasci obligationem per l. 10. ff. h. t. Hinc ante acceptationem Donator non tantum donationem moderari, verum etiam pro libero suo arbitrio revocare potest, idque quolibet modo, quo contraria voluntatis intentio demonstratur. P. Engel ad tit. de Pact. §. 1. n. 1. Hinc si Donans Donatarium certiore faciat de donatione, ante acceptationem autem literarum, moriatur, Donatarius donatæ rei dominus non fit, neque donationem post mortem Donatoris amplius acceptare potest, nisi eâ mente servo ejus res data fuerit, ut statim Domini fiat. l. 2. §. 6. l. 10. ff. l. 6. C. h. t. Fr. Ern. à Someting. ad Inst. h. t. n. 6. Carpz. lib. 5. resp. 62. Hinc similiter si ante Donatorem

Do-

Donatarius moriatur, acceptione nondum facta donatio ad hæredes non transmittitur; videtur enim acceptatio in arbitrium ipsius collata, non hæredum: aliud namque est velle dare jus ad hæredes transiturum, aliud velle dare hæredibus. P. Engel *loc. cit. num. 6.* Hugo Grot. *de Jure belli, & pac. lib. 2. c. 11. §. 16.*

21 *Disquisitionem* meretur: an, ut valeat donatio Ecclesiæ, vel ad pias causas facta, Administratorum Ecclesiarum acceptatio requiratur? Affirmativam cum aliis tenet Trentacinq. *l. 3. tit. de Donat. resol. 1. n. 1. arg. d. l. 10. ff. h. t. quæ generaliter loquitur.* Verior tamen est Negativam sententia: cum enim ejusmodi donationes Deo fiant, & ab eo statim acceptentur vix est, quod ambigas, talem donationem absque alia acceptione valere, & hæredem voventis obligare. *l. 2. §. 2. C. de Pollicit. Tiraquel de Privileg. pia causa. privil. 115. Carpz. lib. 5. Resp. 62. num. 16. Stryck de Cautel. contr. sect. 3. c. 9. n. 2.*

22 *Ad formam accidentalem* donationis refertur donandi modus, & donationis insinuatio.

Modum donandi quod attinet, donatio fieri potest vel per stipulationem, aut promissionem ad petitionem alterius, vel per pollicitationem, & motu proprio; inter quas conventiones illud interest, quod in primis donatio, seu conventio per stipulationem inter præsentem fieri debeat, quo sensu exaudienda *l. 38. ff. de Mort. caus. donat.* ubi mortis causâ donare dicitur, qui præsentem præsentem dat; qualis præsentia absente stipulatione non requiritur, quandoquidem traditio, promissio, & acceptatio utique etiam per internuntium fieri potest? Præterea interest, quod donatio facta à Principe motu proprio latiore interpretationem quam facta ad supplicationem, ac petitionem alterius, modò non cedat in præjudicium tertii arg. *c. olim. 16. de P. S. Quod præcipuè in Bullis Pontificiis obser-*

vandum. Addidi donationem à Principe motu proprio factam recipere latiore interpretationem: quoniam Principibus proprium est beneficere, & perabsurdum, perque temerarium foret, Principum liberalitatem astuta interpretatione non ad augmentum, sed ad diminutionem convertere juxta. *l. fin. C. de Præpositis Agentium.* Aliud dicendum de donationibus Privatorum, quæ stricti juris sunt *l. cum, qui 22. ff. h. t.* Nisi ad pias causas fiant, quibus propter fructum animæ nemo præsumitur parcere beneficere, ac proinde intuitu illarum donationes quoque privatorum latissimam interpretationem recipiunt, habito tamen respectu ad statum, & verisimilem mentem donatoris. Textus & Panormit. in *c. 6. h. t. P. Engel ibid. n. 5.*

Insinuatio, quâ donator coram Judice declarat suam voluntatem donandi, ejusque assensum, & auctoritatem requirit, exigitur, si donatio quingentos solidos, id est, quingentos ducatos Ungaricos, seu mille imperiales excedit *l. 25. & 34. C. h. t. Carpz. p. 2. constit. 12. defn. 12.* Omisâ hæc insinuatione donatio non in totum vitatur, sed eatenus, quantum summam legitimam transcendit, cum in his, quæ divicia sunt, utile per inutile vitari non debeat. *l. 5. §. 2. ff. de donat. inter vir. & uxov. l. 1. §. 5. ff. de V. O. cap. 37. de R. l. in 6.* non ita quidem, ut donatarius summam sibi datam non possit retinere, quia leges non obligant Donatarios, ut sponte restituant; sed ita, ut Donanti, aut ejus hæredibus liberum sit repetere excessum. Lessius *de J. & F. c. 18. n. 99.* Brunemann *ad d. l. 4. C. h. t. n. 17.* Imò sunt nonnullæ donationes, quæ, licet excedant quingentos solidos, absque insinuatione valent; qualis est I donatio à Principe, vel Principi à privato facta. *l. 34. in fin. pr. & auth. seq. C. h. t.* Quod ad Proceres Imperii post alios DD. extendit Mylerus *de Princip. Imper. cap. 27. §. 6. & 8.*

II. Donatio facta à Duce militibus in rebus mobilibus tam ex sua substantia, quam ex spoliis hostium, sive in ipsa bellorum occupatione, sive in quibuscunque locis degere noscantur. l. 36. §. 1. C. h. t. III. Donatio remuneratoria obsequiorum, vel beneficiorum. arg. l. 27. ff. h. t. Carpz. d. c. 12. desin. 13. Clarus §. donatio q. 16. num. 6. item donatio mortis causâ, utpote in qua testes quinque & nihil aliud desideratur. l. fin. §. ult. C. de coactis. juncta l. fin. Cod. de Donat. causâ morte. Ratio utriusque est, quia nec donatio remuneratoria, nec donatio mortis causâ propriè dicta donatio est. IV. Donatio, quæ fit in refectionem ædium, incendio, vel ruina consumptatarum, d. l. 36. §. 2. ff. t. V. Quando plures res diversis temporibus ab una persona donantur: nam tunc plures donationes esse censentur, non una, consequenter, si singulæ non excedant legitimam quantitatem, non est necessaria insinuatio, licet coacervatæ quingentos aureos excedant. d. l. 34. §. 4. C. h. t. & ibi Cujacius.

VI. Mulierum digladiantur. Interpretes, utrum donatio Ecclesiæ, vel ad alias pias causa facta insinuationis immunitate gaudeat? Negant Zoësi. ad ff. h. t. n. 48. Brunnemann ubi supra n. 10. Carpz. d. const. 12. desin. 13. & plerique Civilitatæ A Catholicæ. Affirmant communiter Theologi, & Canonistæ, quibus subterbo fretus auctoritate d. l. 36. C. h. t. & ratione, quod salus animæ liberalitatis limitationem excludat. Et quamvis in cit. l. 36. non fiat mentio piæ causæ in genere, sed tantum in specie pro redemptione captivorum, ac insuper in l. 19. C. de SS. Ecclesiis. decidatur, donationem piæ causæ factam insinuandam esse, nisi specialiter excepta sit, quemadmodum excipitur pro redemptione captivorum, ut ita in casibus non exceptis firmet regulam; nihilominus quia piæ causæ juris civilis dispositioni non subjacent, maxime quate-

nus ad salutem, & redemptionem animæ ordinantur, ideo merito secundum æquitatem canonicam, & jus gentium, quod donationes ad pias causas universim admittit, regulantur arg. c. relatum. 11. de Testament. proinde insinuatio solum de jure civili in donationibus requisita ad pias causas se non extendit. Ad hæc satis durum, si non injustum est, liberalitates erga DEUM impedire, vel restringere. Jul. Clar. §. donatio. q. 17. num. 1. præsertim nostro tempore, ubi ingens Ecclesiarum paupertas, & magna donantium ad pias causas raritas.

§. VII.

Finis donationis est mutua inter homines sublevatio: hominis namque interest, hominem beneficio affici, & beneficio affectum beneficium rependere oportet. l. Servus 7. ff. de Servis exportandis.

§. VIII.

Effectus donationis alius est donationis verbalis, seu imperfectæ, alius donationis realis, seu perfectæ.

Donatio verbalis, seu imperfecta inducit obligationem præcisiã ad tradendum donum. §. 2. Inst. h. t. & conditionem ex lege, si donatio nudo pacto; l. 35. §. fin. C. h. t. vel actionem ex stipulatu, si stipulatione facta est.

Donatio realis, seu perfecta tribuit dominium rei donatæ, si donans fuit dominus; §. 40. Inst. de rer. divis. si non fuit, conditionem ulucipiendi donum. l. 9. §. fin. ff. h. t. juncto tot. tit. ff. pro donato.

Huc subjungi potest illa quæstio: an, si forsitan res donata à Domino fuerit evicta, donator evictionem præstare teneatur? Nego quoad donationem simplicem per l. 18. §. ult. ff. h. t. ubi generaliter dicitur, adversus donatorem rei alienæ nullam de evictione competere actionem: & ex ratione in l. 62. ff. de Edilit. edicto. expressâ, ne scilicet Donator

nator suæ liberalitatis pœnam patiat. In-
terim si sciens rem alienam donaverit igno-
ranti, datur decepto actio doli ratione sum-
ptuum, quos in rem donatam fecit, *d. l. 18. §. ult. ff. h. t.* Affirmo quoad donationem remuneratoriam, vel ob causam factam, arg. *l. 1. C. de Donat. sub modo. & arg. l. 27. & l. 34. §. 1. ff. h. t.* Certè donatario deberi evictionem, si expressè promissa fuerit, perspicuè traditur in *l. 2. C. h. t.*

§. IX.

29 *Contraria donationi est revocatio. Revocatur autem donatio vel pro parte, vel pro toto, sive in totum.*

Pro parte revocatur donatio, si sit inofficiosa, hoc est, si sit tantæ quantitatis, ut non sit salva portio legitima illis, quibus debetur. l. 1. & tot. tit. C. de inofficios. donat. eo enim casu post mortem donantis, ceu postquam demum legitima debetur, *Novell. 92. per querelam inofficiosa donationis rescinditur donatio non quidem tota, sed in tantum, ut legitima suppleatur. l. 1. l. 5. l. 8. C. Eod. Gail. 2. observ. 28. Bocer. tr. de Donat. cap. 3. n. 27.* Idque indistinctè sive re tantum, sive re & consilio simul fuerit inofficiosa. *d. l. 5. 8. & 9. C. Eod.* sive facta fuerit filio vel descendenti, sive extraneo: per *d. l. 1. in verbis: sive in quosdam liberos, sive in extraneos &c.* sive omnibus bonis donatis nihil planè conquerenti relictum fuerit, sive portio quædam, quæ tamem infra legitimam est, querelanti fuerit reservata. per *d. l. 5. & 7. C. Eod.* Dissentiunt Zoëf. *ad ff. h. t. num. 76.* Bartol. *in d. l. 1. C. de Inofficios. donat. col. 2.* & Perez *ad C. Eod. tit. num. 5.* Hanc autem querelam lapsu quinquenni, à morte donantis computandi, extingui text. est in *l. fin. C. de Inofficios. donat.*

30 *In totum donatio revocatur I. si Donatarius existat ingratus; ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel ja-*

ctura molem ex infidiis suis ingerat, quæ notabile damnum in bonis fortunæ adferat, vel vitæ periculum per se, vel per alium creaverit, vel condiciones donationis appositæ implere detraxerit. Text. in *c. fin. h. t. & in l. fin. C. de Revocand. donat.* Præter has causas ingratitude nec similes, nec majores esse admittendas cum Zoëf. *ad ff. d. t. n. 90.* aliisque DD. statuo, eò quòd allegata *l. fin.* tantum ex causis relatis permittat donationem infringi, ut patet ex subjuncta clausula exclusiva: *ex his tantummodo causis:* Insuper donator causam ingratitude liquido probare debet institutà eò sine actione revocatoriâ, quæ ipsi soli, non hæredibus, in ipsum donatarium solum, & non in hæredes competit. *d. c. 1. h. t. l. 1. in fine l. 7. & l. fin. C. de Revocand. donat.* quia hæc actio ex delicto sive vitio ingratitude oritur, & vindictam continet. *l. 1. §. 1. & 2. ff. de Privat. delictis. P. Engel h. t. §. 3. n. 20.*

Addubitatum scio: num donatio Ecclesiæ vel Monasterio facta propter ingratitude Prælati vel Capituli revocari possit? Ita putat Panormit. in c. verum num. 3. de Conditionib. apposit. docens, saltem ob ingratitude Prælati, & Capituli simul donationem esse revocabilem, eò quòd Prælati una cum suo Capitulo Ecclesiæ nocere queat. Dynus ad c. delictum 76. de R. l. in 6. Sed ab ejus sententia hic recedere non dubito cum Claro §. donatio q. 21. quia talis donatio principiter nec Prælati, nec Capitulo, sed DEO facta est, qui nunquam ingratus: neque delictum Prælati & Capituli in bonis ad ipsam Ecclesiâ pertinentibus, maxime illis, quæ alias alienari sine solennitate non possunt Ecclesiæ nocet, saltem perpetuò, & quoad jus ipsum ut tenet ipse Panorm. in c. 1. de Dolo, & contumac. n. 14.

II. *In totum revocatur donatio, quando liberis desitutus alteri bona sua omnia vel majora*

majoram eorum partem donavit, & postea li-
beros suscepit. *l. si nunquam 2. C. de Revoc. ad.
donat. quam legem, licet Vinnius ad §. 2. Inst.
h. t. & Bachov. ad Trent. Volum. 2. disp. 19.
ib. 7. lit. E. ad solum Patronum, de quo lo-
quitur, ideo restringant, quia decisio ejus no-
va est, & jus singulare continet; attamen po-
rior est sententia contraria, quam in praxi
sequendam esse fatentur. Clarus lib. 4. sent.
§. donatio q. 22. n. 1. Gail. lib. 1. observ. 40.
n. 13. Carpz. lib. 5. Respons. 63. n. 4. & alii,
quorum numerum auget Clariss. D. Frid. Er-
nest. à Someting, ad Inst. h. t. n. 10. ex hac
præcipue ratione, quod ex donantis mente
hæc donatio tacitam conditionem habere in-
telligatur, ut si liberi ipsi postea nati fuerint,
ad se, suosque liberos, quod donatum est, re-
vertatur: verisimilius enim est, Patrem bona
sua, vel partem eorum donaturum non fuisse,
si de liberis cogitasset. arg. *l. 102 ff. de Condir.
& demonstrat.* Planè si quis unicum filium
habuerit, & donet, revocare donatum non
potest, etsi decem adhuc supernati fuerint, si-
quidem in *cit. l. si nunquam 8.* privilegium hoc
revocationis illi conceditur, qui liberos non
habebat, cessatque ratio revocationis, quod
non præsumatur de liberis cogitasse. Brunne-
man. *ad cit. l. 8. n. 6.**

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

SUMMARIUM.

1. Peculium Clericorum quid? 2. Quotuplex? 3. Quò
jure concessum? 4. usque 8. Quæ res peculio patri-
moniali, quasi patrimoniali, aut Ecclesiastico ac-
cessenda? 9. Quæ forma? 10. Qui finis peculii
clericalis? 11. Et seqq. Quid juris, & quæ di-
stinctiones potestatis competat Clericis circa peculium?

HActenus de alienatione rerum Ecclesia-
sticarum. eaque occasione de Contra-
ctibus: nunc sequuntur res, seu bona, quæ

Peculium Clericorum constituunt, hocque re-
spectu materia *testamentorum & successionis*
adjicitur.

§. I.

Peculium dicitur, quasi *pusilla pecunia*. *l. 5. §. fin. ff. de Pecul.* quam servus, vel filius fa-
milias à rationibus Domini, vel Patris separa-
tam habet; cum qua similitudinem habent
bona Clericorum, quæ separatim à bonis im-
mediate, & directe ad Ecclesiam pertinentibus
possident & propterea etiam rectè à Papa *pe-
culium Clericorum* appellantur.

§. II.

Dividitur peculium Clericorum in pecu-
lium Patrimoniale, quasi Patrimoniale, & Ec-
clesiasticum; seu prospectu Ecclesiæ acquisi-
tum. *Peculium patrimoniale* complectitur
non tantum ea, quæ veniunt ex hereditate pa-
terna, sed etiam illa, quæ Clericis ex donatio-
ne, aliòve simili titulo Laicis communi obve-
niunt, sive à Patre, sive ab extraneis: item
illa omnia, quæ ante statum Clericalem quo-
cunque demum modo acquisita sunt. *Pecu-
lium quasi patrimoniale* comprehendit bona
quasi patrimonialia, seu, ut alii vocant, *industria-
lia*, quæ scilicet Clerici post Clericatum prop-
rio labore & industria, sive profanà, sive spiri-
tuali adipiscuntur, puta honesto opificio, con-
tractu, Professura liberalium artium, lectione
Missarum, exceptione confessionum, vel alio-
rum Sacramentorum administratione, & jux-
ta receptiorem sententiam, quæcunque ex sto-
la acquiruntur, etiam si illi, à quibus accipiun-
tur, sint Parochiani; quia non tam sunt reddi-
tus, quam stipendia laborum Clericalium.
Navar. de Reddit. Ecclesiast. q. 1. monit. 19. n. 2.
Peculium prospectu Ecclesiæ acquisitum conti-
net illa, quæ recipiuntur ratione Canonica-
tus, Decanatus, vel alterius beneficii titulò;
cujusmodi sunt decimæ, annuum stipendium
in fixo consistens, aliique redditus, seu proven-
tus ex bonis Ecclesiæ provenientes.

Ff 2

§. III.

§. III.

3 *Causa efficiens* peculii Clericalis est Jus præfertim Canonicum, quò singulis Clericis, postquam in commune vivere desierunt, pro sustentatione & dispositione certa aliqua portio est assignata: etenim in principio Ecclesiæ usque ad tempora Simplicii Papæ vivebant omnes Clerici ex Cassa, ac arario communi, neque quisquam aliud proprium habebat; postmodum verò redditus Ecclesiarum dividebantur in quatuor partes, & prima Episcopo; altera fabricæ Ecclesiæ; tertia Clericis; & quarta pauperibus fuit attributa c. 23. 25. 27. & 28. *causâ* 12. q. 2. quia autem portio pauperum non amplius extat, creditur probabiliter Episcoporum & Clericorum portionibus permixta, ac consolidata. Clariss. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tom. 3. tr. II. disp. 29. n. 2. n. 5.*

§. IV.

4 *Materia*, seu *objectum* peculii Clericorum sunt res, quæ eò pertinent. Quia verò sæpè dubitatur, ad quod genus peculii quid referri debeat, ideò

Quæres I. si Episcopo, vel Parocho aliquid donetur: aut in testamento legetur, an hujusmodi donum, vel legatum inter bona Ecclesiæ, vel bona patrimonialia Clerici computandum sit? R. id pendere ex intentione testatoris vel donatoris, utrum principaliter ipsi Ecclesiæ, num verò personæ Episcopi, aut Parochi donare, vel legare voluerit? sin Ecclesiæ? donum, aut legatum cedit Ecclesiæ; sin personæ? cedit personæ, & peculio patrimoniali permiscetur. c. *requisivisti* 15. de *Testam.* In dubio recurrendum est ad conjecturas, quarum prima fluit ex *natura rei legatae*, aut *donatae*: nam si res conveniat usui Ecclesiastico, uti est calix, patena, similisve: tum donum, aut legatum Ecclesiæ intuitu datum, vel relictum censetur; secus, si personæ magis conveniat, ut vestis quotidiana &c.

Menoch. de Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 27. n. 3. & lib. 4. præsumpt. 112. n. 8. & 9. Altera conjectura delimitur *ex persona accipientis*: enim si Clericus nullam administrationem rerum Ecclesiasticarum habeat, ut si aliquis ex Canonicis hæres instituat, vel ei aliquid legatur, nunquam intuitu Ecclesiæ, sed tanquam amico relictum præsumitur: si verò Prelato, ac beneficiato administrationem bonorum Ecclesiæ habenti quidpiam donetur, aut relinquatur, distinguendum erit, an id fiat à persona conjunctâ, vel de quâ aliàs bene meritus est talis Clericus, an verò ab extranea? priori casu testator ad personam, posteriori ad Ecclesiam respexisse putatur. d. c. *requisivisti* 15. de *Testam. & ibi* Panormit. Corasius lib. 2. *Miscellan. c. 4. Menoch. cit. præsumpt. 27. n. 3. & 4. Barb. de Officio & potest. Episcop. p. 3. allegat. 117. n. 14. & 15.*

Quæres II. Cui peculio, seu quibus bonis Clericorum accendi debeant redditus Capellanæ vel aliorum beneficiorum simplicium? Ratio dubitandi est, quòd ex una parte hujusmodi redditus ex beneficio proficiscantur; ex altera autem intuitu certi laboris, puta pro certis Missis, singulis septimanis legendis, dentur. Nihilominus hos redditus cum Navarrò de *Reddit. Ecclesiast. q. 1. monit. 30.* peculio prospectu Ecclesiæ acquisito annuero propterea: quia non minus, quam alii fructus beneficiorum præfisse intuitu beneficii acquiruntur. Nec refert, quòd ipsum beneficium certum onus & laborem annexum habeat, quoniam universim decimæ & redditus parochiarum, canonicatum, aut Episcopatum non dantur otiosis, sed Ecclesiæ & Altari inservientibus, idque eò magis, quòd modò dicta beneficia personalem residentiam, & interessentiam in Divinis officiis requirant, cum tamen Capellani, & alii beneficiati simplices per substitutum deservire queant. Clariss. P. Paulus Mezger in *Theolog. Schol. 149.*

h. l. tom. 3. tract. II. disputat. 29. artic. 1. num. 5.

Quæst. III. quò referri debeant distributiones quotidianæ Canonicis Divino officio interessentibus persolvendæ? Navarrus d. Monit. 30. n. 2. distributiones quotidianas accense peculio bonorum prospectu Ecclesiæ acquiritorum, eò quòd ex ipsis redditibus Ecclesiæ sumantur, adeoque naturam suam recineant, licet modus distribuendi varietur: jubet enim Trident. in sess. 21. de Reformat. c. 7. ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis tertia pars fructuum ordinario rum separetur, atque in distributiones quotidianas convertatur. Sed rectius distributiones quotidianas peculio quasi patrimoniali adnumerant Gonzalez ad Reg. 8. cancell. §. 7. prozo. num. 65. Gratianus discept. forens. c. 38. n. 11. Cæsar de Panimoll. decis. 20. adnot. 1. n. 4. & seq. eum citatis: quia licet distributiones quotidianæ ex redditibus Ecclesiæ proveniant, & nonnisi Canonicis dentur, non tamen præcisè ratione Canonicatûs sed propter particulares actus, & labores accipiuntur: unde nec nomine fructuum, sive reddituum Canonicatûs comprehenduntur, cum possit Canonicus gaudere fructibus, ut si causâ studiorum absit, qui tamen distributiones quotidianas non accipiet juxta c. unio. de Clericis non resident. in 6.

Quæst. IV. Num bona à Clerico relicta, si non constet, quo titulo ea acquisiverit, pro bonis quasi patrimonialibus, vel pro bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis habenda sint? R. sub distinctione: vel enim constat Clericum præter beneficii fructus aliunde aliqua sive ex patrimonio, sive ex propria industria acquisivisse, & tunc præsumendum, eum fructus beneficii ad sustentationem suam applicasse, & bona relicta consanguineis suis reservasse, ut docet Navar. b. t. consil. 4. n. 5. vel non constat, unde talia bona provenerint, & tunc præ-

sumendum, ea intuitu Ecclesiæ, & titulò beneficii acquisita esse, ac proinde non Consanguineis, sed Ecclesiæ relicta, nisi contrarium hæredes, vel alii, quorum interest, legitime probaverint: non facile enim aliter Clericus quid acquirere potest, ne gravi præsumptione oneretur. c. 21. causâ 12. q. 1. Covar. adc. 1. de Testament. n. 9. & seqq. Atque hæc eatenus procedunt, ut quamvis Clericus domos, agros, vel quæcunque bona mobilia, & immobilia emerit, si non constet, quòd ex bonis propriis emerit, ex bonis Ecclesiæ comparata, & per consequens ad Ecclesiam spectare præsumantur. c. 1. & ibi Panorm. c. 4. & ibi Gonzal. b. t. Mascardus de probat. concl. 200. num. 4.

§. V.

Forma peculii Clericorum potest intelligi ex ejusdem descriptione, & divisione supra n. 1. & 2. traditis.

§. VI.

Finis, ob quem peculium Clericale concessum, est, ut Clerici præmio aliquo ad ministerium Ecclesiasticum invitentur.

§. VII.

Effectus peculii Clericalis spectatur in jure & potestate disponendi circa illud, quæ pro ejus, & bonorum eò pertinentium diversitate variat: nam

Bona patrimonialia, & quasi patrimonialia, seu industrialia hodie sunt in pleno, & absoluto dominio Clericorum, possuntque pro lubitu de iis ad quoscunque usus disponere, non minus, quam Laici de suis bonis: proinde non tantum inter vivos liberaliter donare, sed etiam testamentum de iis condere. Imò si testamentum nullum faciat, in istis bonis non Ecclesia, sed proximi consanguinei ab intestato succedunt juxta c. fin. causâ 12. q. 5. c. 1. b. t. c. 9. c. 12. c. 15. de Testament. Lessius lib. 2. de F. & F. c. 4. n. 37. Navar. de reddit. Eccles. q. 1. monit. 19. n. 2.

Ff 3

Neque

Neque his obstat, quod dicitur in *c. Clericos 6. & 2. seqq. causa 1. p. 2.* nefas esse, Clericum divitem Ecclesiae stipendiis sustentari: utut enim in primitiva Ecclesia nemo ad Ecclesiastica admitteretur, qui omnibus terrenis bonis se non abdicasset; hoc tamen non est divini praecepti. & remissa pristina illarigidiordisciplina evanuit.

11 Quod attinet *bona prospectu Ecclesia acquisita*, receptum est, beneficiatos inde congruam sustentationem percipere, & propterea fructus vendere, aut commutare, aut quocunque modo de redditibus Ecclesiasticis, quatenus ratio decentis sustentationis exigit, disponere posse, S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. in Corp. Fagnanus in *c. ult. h. t. n. 23.* Lessius *loc. cit. n. 39.*

12 Gravis & in utramque partem dubio parte agitata *questio* est: an Clerici in redditibus beneficiabilibus, qui ultra decentem, & statui convenientem sustentationem superfluit, verum dominium, vel usum tantum habeant?

Navarrus *de reddit. Eccl. q. 2. monit. 7.* & Panorm. in *c. cum esses 10. de Testam. n. 29.* & plurimi alii praesertim ex antiquioribus Canonistis statuunt, dominium omnium bonorum Ecclesiasticorum penes Christum esse, & Praelatos, ac Beneficiatos solam administrationem, neque aliud jus habere, nisi decenter inde vivendi, per textus in *cap. 1. & 6. causa 12. q. 2. c. fin. causa 16. q. 1. c. 16. de Praebend. c. 28. de Decimis.* ubi bona, ac redditus Ecclesiastici dicuntur patrimonium Christi, & proprietates pauperum.

Benignior nihilominus sententia passim inter Theologos obtinuit, quod videlicet Clerici reddituum superfluum dominium, quamvis restrictum habeant. Quam opinionem olim tradidit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. & Doctorum animis profundius impressit Trid. *sess. 23. c. 1. & sess. 24. cap. 12. de Reformat.* dum decernit Clericos diu abs-

que necessitate absentes aut professionem fidei intra praescriptum tempus emitere negligentes *non facere fructus suos.* Unde a contrario fortius inferri videtur, quod alii faciant fructus suos, seu dominium eorum acquirant: secus enim nulla foret absentium, & non profitentium poena, fructus non facere suos. Alii id ipsum colligunt ex *c. unic. de Clericis non resident. in 6.* ubi absentes sine causa legitima dicuntur distributiones quotidianas non facere suas; sed incaute, quia haec distributiones a plerisque annumerantur bonis quasi patrimonialibus.

Ad textus in contrarium allatos respondet Haunold. *de F. & F. tr. 4. c. 22. contrav. 7. n. 74.* in illis vel esse sermonem de superfluis bonis ante factam bonorum Ecclesiasticorum divisionem; vel, si loquuntur de posterioribus temporibus, loqui per quamdam exaggerationem, quod pacto etiam divites Laici, pauperibus eleemosynam negantes, homicidae pauperum appellantur; vel accipiendos esse de bonis Ecclesiae, super quibus Clerici tantum administrationem habent, & quorum dominium est penes Ecclesiam.

Licet autem illa ita se habeant, cerea tamen omnium omnino Theologorum; & Canonistarum sententia, ac doctrina est, Clericos in conscientia, & sub reatu peccati mortalis teneri, bona ex beneficiis Ecclesiasticis provenientia, quae congruae eorum sustentationi superfluit, in pias duntaxat causas, seu usus expendere, sive ea obligatio sit ex justitia, sive ex charitate, aut Religione. Hinc Concilia & SS. PP. gravissimè redarguunt Clericos, qui de proventibus beneficiorum suorum divitias accumulunt, aut splendide, opiparèque, & in deliciis vivunt, vel consanguineos suos ditant, & attollunt, *c. 8. c. 26. causa 12. q. 1. c. 59. c. 65. & 66. causa 16. q. 1.* Trident. *sess. 25. de Reformat. c. 1.* Atque istis, & similibus aliis Juris textibus multa ex Theologis & Canonistis

stis permoti docent, Beneficiarios præbendarum fructus superfluos malè impenfos restituere obligari. Laym. in *Theol. moral. lib. 4. tit. 2. c. 3. n. 3.* cum Navar. Archidiacono, Panormitano, Majolo, Paludano, aliisque, quibus in hoc contradicit Covarruv. ad c. 7. n. 3. de *Testament.* cujus sententiam in praxi non esse damnam, asserit Pirrhing *h. t. 19.*

ra quemadmodam aperiuntur. II. Pro scriptura, quâ testamentum describitur: sic enim dicitur testamentum induci, vel cancellari, *l. 2. ff. de his, qua in testamento delentur.* III. Pro hæreditate in Testamento delata. *l. 77. in fin. ff. de Acquir. vel amitt. hered.*

§. III.

Definitur testamentum, quòd sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. *l. 1. ff. Qui testament. facere poss.* Clarius: quòd sit ultima voluntas, directam hæredis institutionem continens.

§. IV.

Testamentorum de jure antiquo varia fuisse genera, ostendit Imperator in §. 1. & seq. *Inst. de Testam. ordinand. & ibidem Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. num. 5.* quæ tamen antiquata sunt.

Jure novo dividitur testamentum in publicum, & privatum.

Publicum est, quod fide, & autoritate publicâ nititur, estque duplex: *insertum & oblatum.* *Insertum* dicitur, quando testator sine ulla solennitate ultimam suam voluntatem precibus insertam Principi offert, ut ejus fide, & autoritate sustineatur. *l. 19. C. h. t.* Ubi quamvis nomine Principis veniat Imperator, seu Princeps supremus, nihil tamen prohibet, quò minus testamentum offerri possit ejus Curia, aut Cancellaria, vel etiam Secretariis, aut Consiliariis à Principe, aut ejus Curia hoc sine ad agrorum missis, arg. *d. l. 19. Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. loc. cit. num. 6.* Quin imò idem jus etiam ad Principes inferiores, & status Imperii porrigitur. Mylletus de *Princip. & statib. Imper. c. 28. num. 1.* Testamentum oblatum, seu *judiciale* est, quod fit apud acta cujusque Magistratus; ut si Testator voluntatem scriptò comprehensam Judici, aut Municipibus ad se vocatis offert petens, ut ad acta referatur. *d. l. 19. C. h. t.* Atque ita testari licet coram quocunque Judi-

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

SUMMARIA.

1. Testamenti etymologia. 2. Homonymia. 3. Definitio. 4. usque 13. Divisio. 13. Quo jure introducta sit testandi facultas? 14. usque 31. Quinam testari possint, qui non? 31. usque 39. Quinam possint, aut debeant institui hæredes. 39. usque 44. Assignatur materia testamenti. 44. usque 53. Exponuntur solennitates testamentorum. 53. Quis sit finis testamenti. 54. usque 62. Quinam effectus? 62. & seq. Quæ contraria?

Uo exhibet presentis tituli rubrica; testamenta videlicet, & ultimas voluntates.

§. I.

1. Testamentum Auctore Justiniano ex eo appellatur, quòd *testatio mentis* sit pr. *Inst. de Testament. ord.* Num rectè? viderint Grammatici. Alii fortè meliùs testamentum à *testatione* derivant cum Ludwell. de *Ult. Volunt. p. 2. c. 1.*

§. II.

2. Acceptiones testamenti occurrunt variae. Latè sumptum etiam Codicillos complectitur per §. 3. *Inst. de Eo, cui libert. causâ.* Strictè verò, & propriè denotat eam ultimam voluntatem, quæ Codicillis opponitur. §. 1. *Inst. de Libert. tot. tit. ff. & C. qui testam. facere possunt.* & ita interdum impropriè usurpatur à pro tabulis testamenti. *Rubrica ff. testamen-*

Judice etiam incompetente per *d. l. 19. ibi: cujuscunque Judicis*, & ob eam rationem quia hujusmodi testamenti factio ex communi DD. est actus voluntariæ jurisdictionis, & quidem simplicis, qui coram quovis Judice, & tam in, quam extra territorium jus dicentis expediri potest. Clariss. D. D. Braun *de Jurisdic. c. 4. §. 3. n. 25.* Berlichius *p. 3. concl. 4. n. 12.*

¶ In factio *quasitum* fuit: an requiratur oblatio personalis, an verò hæc oblatio etiam per nuntium, vel Procuratorem fieri possit?

Fulgosus, Alexander, & Andreas Gerhardus apud Berlichium *p. 3. concl. 4. n. 31. in fine* contendunt, testamentum per tertium offerri posse I. quia *d. l. 19.* personalem oblationem, ac insinuationem non requirit. II. quia in omni negotio civili Procurator admittitur idemque est facere per alium, & per se ipsum. *c. 68. & 72. de R. J. in 6.*

Verum communior sententia est, testamentum hoc fieri vix posse, nisi & ab ipso testatore offeratur. Bocerus *Class. 3. disp. 2. th. 7.* Berlichius *cit. conclus. 4. n. 32.* Struvius *Exercitat. 32. th. 9.* cum enim ultimæ voluntates omnium maximè fraudibus sint subjectæ, tantò majori etiam cautione ad eas excludendas opus videtur, ne vera falsis, quæ tamen post mortem non revertuntur, ultima elogia subvertantur, maximè cum & de præjudicio tertii, legitimorum scilicet hæredum agatur. Accedit, quòd verba *cit. l. 19. C. h. t.* ad ipsum testatorem directa sint, adeoque factum ejus proprium minimè exclusum, vel remissum, verbis: *mentis sua postremum publicavit judicium &c. successorem suum possit declarare &c.*

Neque obstat, quòd in *d. l. 19.* præsentia testatoris præcisè non desideretur: quia enim jure communi in genere de substantia cujusque testamenti est, ut testator præsens à testibus videatur, & audiatur, sufficit, requisitum

illud in *d. l. 19.* quoad testamentum oblatum saltem expressè remissum non esse. Minus convincunt adductæ Juris regulæ, à quibus hic receditur ob summum, quòd veri potest, & testatoris, & veri hæredis præjudicium; quòd in aliis negotiis civilibus facile non est timendum, siquidem fraude comperta, cum contra intentionem mandantis quid actum fuerit, legitimis remediis damnum resciri, aut, quòd gestum est, retractari poterit; at testamentum dolosè interversum, quia post mortem non revertitur, à defuncto revocari nequit; quapropter actus offerendi planè personalissimus est.

Testamentum privatum vocatur, quòd nittur fide, & auctoritate privata, estque similiter duplex: solenne, & insolenne.

Solenne est, quòd omnibus solennitatibus juris constat. Cujus idem duæ sunt species, *scriptum, & nuncupativum.* Solenne *scriptum* est, quòd in scripturam redactum, & debito modo subscriptum, & subsignatum est: *l. 21. pr. C. h. t.* Et hoc testamentum, quia testes plerumque ignorant, quæ in eo scripta sint, & quis hæres sit institutus, *mysicum vel clausum* nuncupatur. Solenne *nuncupativum*, quòd vulgò ein von Mund außgesprochenes *lehster Will* dicitur, est, cum testator vivæ voce voluntatem suam uno actu declarat, hæredemque palam coram septem testibus specialiter rogatis, ac idoneis exprimit, & nominat. *§. fin. Inst. de Testam. ordinand. d. l. 21. §. 2. & l. 29. C. h. t.* Et hoc communiter in necessitate tantum, quando instans mortis periculum solennem scripturam non admittit, fieri solet; quia scilicet malorum hominum infidiis facile subjacere potest, qui voluntatem suam circa hæredem & Legatarios palam declarat. Ut autem hodie ad facilitiorem probationem etiam hoc communiter à Notario publico in scripturam redigi consueverit, quòd per eandem, si unus vel alter testis moreretur, fides

fides rei gestæ fieri queat, per hoc tamen nuncupativum esse non desinit. Julius Clarus §. testamentum q. 4. n. 2.

Testamentum non solenne est, quod est specialiter privilegiatum, ita ut aut nullas, vel saltem non omnes solennitates jure communi præscriptas requirat. Quò pertinet.

I. Testamentum militis, id siquidem in expeditione bellica factum nullam exigit solennitatem, sed satis est, quoquò modò exponere, ac declarare ultimam voluntatem, modò de ea satis constet. *pr. Inst. l. 1. §. 1. ff. l. 5. & ff. C. de Testament. militar.* ideo, quia milites arma magis, quam jura scire præsumuntur, & subita pericula, in quibus momentaneè veriantur, curam solennitatum in condendis testamentis habere non sinunt. Neque privilegio istò gaudent soli milites, qui in numerum relati, juramentum militare ad vexilla præstiterunt, sed illi, qui, licèt milites non sint, castra tamen cum simili vitæ periculo, & quidem militum causâ sequuntur, puta Concionatores, Consilarii, Medici & Chirurghi bellici, sicut & mercatores castrales, *Die Marcatenter. l. 16. C. Eo l.* Hodie tamen solum in conspectu existentibus ita liberè testari licet; qui in castris degunt, duos ad minimum testes adhibere debent. *R. I. de Anno 1512. tit. von Testamenten §. und sollen.* Quòd si miles post missionem, aut extra castra testamentum condat, communi jure utitur §. 3. *Inst. de Militar. testam. l. penult. C. Eod.* Milites veterani, si testamentum jure militari ante missionem factum reliquerint, id post missionem intra annum adhuc valet, ita ut si testator intra annum à missione moriatur, in eo testamento militariter condito institutus hæres hereditatem acquirere possit; post annum autem à missione elapsum, si moriatur, acquirere nequit, nisi hereditio post annum demum existura fuerit *adjecta. l. 38. ff. de Militar. testam.*

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

II. Testamentum Parentum inter Liberos, 9 in quo liberi legitimi, ab que omnibus solennitatibus juris per nudam parentum voluntatem hæredes instituuntur. *l. fin. C. Familia herciscunda. l. 21. §. ex imperfecto. C. h. t. Novel. 107. c. 1.* Unde valet hoc testamentum scriptum, licèt nulli adhibiti sint testes. *Gail. 2. observ. 112. n. 78. per d. l. 21. §. 1.* dummodo Parens manu propriâ, claris & propriis verbis liberorum nomina, & uncias, ex quibus hæredes eos esse cupit, exprimat: item res singulas inter eos distribuendas unâ cum testamenti facti tempore scribat, aut testamentum alienâ manu exaratum subscribat, & liberi manum patris agnoscant *d. Novel. 107. c. 1.* Ratione testamenti nuncupativi pariter sufficit, duos adhibere testes, non rogatos, modò sint idonei; qualis etiam hic est mulier: ex quo jus gentium, non civile in testamento parentum inter liberos consideratur. *d. l. ult. C. Familia herciscunda. authent. quod sine. C. h. t. Fachin. lib. 4. contro. c. 11. Gail. d. observ. 112. n. 4.* Quod ita obtinet, si parentes liberos instituunt: si extraneos hæredes nominaverint, eorum testamentum non sufficit, & tantum quoad liberos valet, reliquum verò personis extraneis liberis accrebit. *d. l. 21. §. 1. C. h. t. d. Novel. 107. c. 1.* Donellus *lib. 6. c. 9.* adeò ut & legatum, vel fideicommissum, in hujusmodi testamento extraneis adscriptum sit ipso jure nullum, liberisque cedat, nisi saltem duo testes adhibiti fuerint *per d. Novel. 107. c. 1. & si tamen juncta l. 12. ff. de Testib. Carpovius p. 3. constit. 4. defin. 20.* Quin imò probabilior sententia quinque testes desiderat. *arg. l. ult. §. ult. C. de Codicill.*

III. Testamentum ad pias causas, factum 10 scilicet pro salute animæ, vel amore DEI in favorem Ecclesiarum, Xenodochorum, Scholarum, Pauperum, Viduarum, Captivorum, aliarumve piarum causarum. Panormit. ad

Gg

Rubric.

Rubric. num. 9. & in c. 15. h. t. etenim si constet, testatorem respexisse ad causas pias, sola sufficit enixa ejusdem voluntas, quatenus secundum jus gentium, & naturale regulatur, *l. 1. C. de SS. Ecclesiis. c. relatum. 11. h. t. & ibi* Interpretes: quippe bonum animæ legis humanæ subtilitas impedire non debet, nec minor esse favor militiæ sacræ, quàm sæcularis. Neque reclamatur *cit. c. relatum.* dum in testamento ad causas pias duos saltem testes requirit: nam id accipiendum est, non quasi duos testes exigat ad substantiam, sed duntaxat probationis causâ, quemadmodum ex verbis finalibus *ejusd. cap.* apertè colligitur, & defacto ita Rota decidit. *p. 2. decis. 74. num. 12.* consequenter, si per scripturam, vel alio modo constet de testatoris voluntate, testibus opus haud erit. Et hanc Pontificis constitutionem non tantum in terris Ecclesiæ, sed etiam Imperij observari debere omnium ferè Doctorum sententia est: quoties enim apud Judicem sæcularem incidit controversia de testamentis, & legatis piis, eam Jure Canonico decidendam esse, post alios tradit Catpov, *p. 3. constit. 4. defn. 33.*

II IV. *Testamentum rusticum*, in quo propter imperitiam, & necessitatem in actu testandi septenarius testium numerus remissus est, ita ut quinque sufficiant, si plurium copia commodè haberi nequeat; pauciores autem de jure communi nunquam sufficerent, tamen si aliquando nec quinque haberi possent: per text. expressum in *l. fin. C. h. t. ibi: usq. ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus: minus autem nullo modo concedimus.* Quam legem Maximilianus Imperator confirmavit *Recess. Imper. Anno 1512. tit. von Testamenten. §. Und sollen die Notarien.* Præterea in testamento rustici relaxatur specialis testium subscriptio, & sigillorum appositio, si nempe testes litterarum sint ignari; si autem duo, vel tres litterarum gnari adsint, licet

ipsis pro ignorantibus præsentibus subscriptionem interponere. *d. l. fin. C. h. t.*

V. *Testamentum factum tempore pestis*, in quo quanquam non omnes, aliqua tamen remissæ sunt solemnitates; ut namque testes ad ipsum testandi actum specialiter convocentur, necessum non est; numerus tamen septenarius testium adhuc de rigore juris loquendo æquè in hoc, ac in aliis testamentis requiritur auctoritate textûs in *l. 8. C. h. t.* conlocatione remissâ, idque ob metum contagionis. *Zoel. ad ff. Qui testam. facere poss. n. 41.* Crederem autem tunc quinque testes sufficere, quando plures haberi nequeunt, & testator ipse peste infectus est, arg. *l. fin. C. h. t.* imò hodie in Camera Spirensi duobus, vel tribus testibus tempore sævissimæ pestis factum testamentum sustineri, testatur *Gail. lib. 2. observ. 118. n. 18.* Siquidem tempore necessitatis meritò à solemnitate legali, & regulis Juris communis receditur.

§. V.

Causa efficiens testamenti duplex est: *Remota & proxima.*

Remota est Jus, sed quale? an naturale, aut gentium, vel positivum Civile, aut Canonici?

Sunt, qui facultatem testandi Juri Civili attribuant, atq; in totum Juri Civili esse contendunt, præcipuè ideo, quia stando in Jure naturæ non potest quis de ulla re disponere pro eo tempore, quo quis Dominus amplius non est; nam dispositio, quæ sit tempore habili, si in tempus inhabile confertur, inutilis est per *l. Stichus. 39. ff. de Manumiss. testam.* qui testamentum facere in effectu aliud non est, quàm disponere de bonis suis pro eo tempore, quo quis Dominus amplius non est, cum dispositio testamentaria conferatur post mortem testatoris, postquam desinit esse Dominus, cessat esse membrum reipublicæ, & bona ipsius sunt vacantia, & quasi derelicta: ergo stando in jure naturæ nemo potest facere testa-

testamentum, & nisi lex Civilis permitteret, sedque autoritate extremas hominum voluntates muniret, subsistere haud possent. Ita Haunold *tr. 6. de F. & F. c. 1. controu. 1. n. 14.* cum citatis.

Veruntamen probabilius videtur, testamentum origine esse juris naturalis, ac gentium, formâ autem Juris Civilis. Ratio peremptoria est, quia quod inter vivos conceditur, illud multo magis in ultima voluntate concedendum est. arg. *tit. Inst. de Lege Fufia Caninia tollenda.* nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit ad arbitrium. *l. 1. C. de SS. Ecclesiis.* At apud omnes gentes, & de jure naturæ inter vivos de rebus suis disponere cuique licuit. *l. 5. ff. de F. & F. l. in re mandata. C. Mandati.* Cur non igitur & ultima voluntate? Certè testamentorum usum non minus, quam contractuum apud omnes ferè gentes invaluissè, in confesso est: ergo si facultas contrahendi, & per contractum dominia transferendi jure naturæ, & gentium competit, eodem jure competit etiam facultas testandi. Ad hæc, si postum jure naturæ, & gentium donare centum aureos post mortem meam donatario solvendos, quò tempore dominus non ero; ratio non est, cur non possim jure naturæ & gentium de bonis meis pro tempore mortis disponere. In hac opinione resident Covar. *Var. resol. lib. 3. c. 6. n. 7.* Jul. Clar. *de testamentum. q. 2.* Harprecht *ad Inst. h. 1. n. 62. & seqq.* & complures alii.

Neque opposita sententia sibi præsidium accipere potest ex eo, quod dispositio, quæ fit tempore habili, inutilis sit, si referatur ad tempus inhabile: quippe hoc principium procedit, quando executio conferatur in tempus inhabile respectu executionis, ut in *cit. l. Stichus. 39. ff. de Manumiss. testam.* in qua

libertas ita data: *Stichus servus meus, si cum hæres alienaverit, liber esto;* inutilis dicitur, non quia legatum conferatur in tempus inhabile respectu dispositionis, sed quia effectus legati, id est, manumissio conferatur in tempus inhabile respectu executionis, ex quo directa libertas, de qua agitur, servo alieno dari nequit. *l. 9. ff. Eod.* Secus autem, si executio conferatur in tempus habile respectu executionis: nam tunc, etsi inhabile sit respectu dispositionis, valet dispositio, ac proinde testamentum sustinetur, quamvis effectus ipsius conferatur post mortem, ut quod tempus, licet sit inhabile ad disponendum, est tamen habile ad hoc, ut quod semel legitime dispositum est, detur executioni; imò necessarium est, cum testamentum testatoris non nisi post mortem executioni mandari possit. *l. 1. ff. Qui testam. facere poss.*

Causa efficiens proxima testamenti est Testator. Possunt autem testari omnes, qui naturam non impediuntur, nec legibus prohibentur. arg. *l. 1. §. 1. ff. de Testib. l. 42. §. 1. ff. de Procurat.* est enim testamenti factio de genere promissorum. & edictum de iis, qui testari nequeunt, prohibitorium, cujus hæc est natura, ut posse censeatur, cui specialiter non interdicitur. Reissner. *de Test. vol. 1. p. 2. c. 2. in fin.*

Natura impediuntur nonnulli, vel ob defectum animi, vel ob defectum corporis.

Ob defectum animi impediuntur I. Infantes sive ii, qui nondum habent tantum rationis usum, ut bonum possint à malo sufficienter discernere. II. Mente capti & furiosi. *l. 2. l. 17. ff. §. l. 3. C. Qui testam. fac. poss.* ita tamen ut valeat testamentum, quod condiderunt tempore lucidi, si quod habent (de quo certo conflare debet) intervalli. §. 1. *Inst. Quib non est perm. facere testam.* sicut & valet id, quod factum est ante furorem: quia superveni. n. tia, quæ facti sunt, non infringunt ea, quæ sunt juris, & bonum habet vere principium: nec

- novum, ut utiliter constituta valeant, vel eo casu existente, unde initium trahere nequiverunt. *l. 85. §. non est novum. ff. de R. I.* Quod autem aliqui concedant, fatuum posse facere testamentum, verum reor, si fatuus pro simplici, substupido, ac obtusi ingenii homine sumatur. Joan. Faber in *§. præterea Inst. Quibus non est permiss. facere testam.* Mantica de *Conject. ultimar. volun. lib. 2. t. 5. num. 14.*
- III. Ebrii ebrietate perfectâ, & cum quodam mentis temporario exilio, quamdiu ejusmodi ebrietas durat: aliud est, si sit modica, & talis, quæ non adimit usum rationis. Nicol. Reiffner. de *Testam. Volum. 1. p. 2. c. 12. n. 3.*
- 16 Ob defectum corporis testari impediuntur muti & surdi simul à natura. *§. 3. Inst. quibus non est permiss. fac. testam. l. 6. §. ult. l. 7. ff. l. 10. C. Qui testam. fac. poss.* Ratio est: quia voluntatem suam certò manifestare non possunt. Quòd si ex accidente surdi & muti facti sint, non prohibentur, modò antè litteras didicerint, & testentur in scriptis: nec ii, qui surdi sunt tantùm, vel muti tantùm, modò illi loqui articulatim, isti scribere possint: per *d. l. 10.* Planè cœci & olim, & nunc, rectè testantur, observatis tamen solennitatibus juris, quæ sunt, ut testentur nuncupativè, cum scripturam videre nequeant: & ad præsentiam septem testium adhibeant Notarium, vel ejus locò octavum testem. *l. 8. C. Qui testam. fac. poss. Recess. Imperii de Anno 1512. sic. von Notarien §. aber zu eines Blinden.*
- 17 Legibus prohibentur alii jure gentium, alii jure Civili, alii jure Canonico.
- Jure gentium* prohibentur I. Servi, *l. 16. pr. l. 19. ff. Qui testam. fac. poss.* His tamen ne accenseas homines proprios, die *Leibeigene*, quia etsi admodum durè in quibusdam locis habeantur, liberi tamen sunt, & ingenui. *Mynsing. cens. 2. observ. 23. Gail de Pignor. observ. 8. n. 2.* ideoque testamenta facere,

aliòsq; actus civiles exercere queunt. *Gloss. in pr. Inst. de Jure personar. II. Capti ab hostibus in bello justo: quia quamdiu sunt in hostium potestate, servi sunt. §. 3. & 4. Inst. de Jure personar.* Hinc licet redierint, testamenta in captivitate confecta non convalescunt; ea verò, quæ ante captivitatem jure fecerunt, valent, vel jure postliminii, si redierint; vel ex lege Cornelia, si ibi decesserint. *§. ult. Inst. Quibus non est permiss. facere testam. l. 8. ff. Qui testam. facere poss.* Moribus nostris, & secundum humaniorem sententiam testamenta, quæ Christiani captivi conlunt, etiam apud Turcas, aliòsve barbaros pro justis habenda, ne afflictis afflictio addatur. *Covar. in relect. c. peccatum tom. 1. §. 11. n. 6.* Quamvis jus antiquum contra Turcas in bello captivos obtinere, testetur Sch. *Reidevy. ad §. penult. Inst. de Jure personar. Mynsing. ibid. n. 5.* cum aliis. Idem dicendum de obsidibus, qui publicarum conventionum firmandarum causa ab uno populo alteri, quasi pignoris locò dantur. *l. obsides. l. 1. juncta Gloss. ff. Qui testam. fac. poss.*

Jure Civili aliqui prohibentur testari ob defectum ætatis; nonnulli ex defectu integri status; plures ob vitium morum.

Ob defectum ætatis testari prohibentur impuberes, masculi scilicet ante annum decimum quartum, feminae ante annum duodecimum completum, *l. 5. ff. Qui testam. fac. poss.* quia nullum eorum est animi judicium, tale nimirum, quale requiritur in his, qui de omnibus facultatibus suis disponere cogitant. *§. 1. Inst. Quibus non est permiss. facere testam. l. ult. C. de Testam. milit.* Neque rectè quis dixerit, hic malitiam supplere ætatem: quippe hæc repræsentat aliquem adultum quoad certum solummodò effectum, scilicet quoad effectum habilitatis contrahendi matrimonium; non verò quoad effectum absolutæ, & perfectæ ætatis: cum Leges præcisè certum annorum numerum ad testamenti factionem

requirant. Hinc & Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. de Tutela & rationib. distrab.* respondit, pupillos ne quidem auctoritate Tutoris interveniente, testari posse. Cæterum puberes, licet alios actus inter vivos sine consensu suorum Curatorum celebrare nequeant, possunt tamen sine eorum consensu testari: quandoquidem testandò sibi non præjudicant, cum effectus testamenti primum post mortem eveniat. *l. 20. §. 1. ff. de Libert. legat.*

19 Ob defectum integri status à testamenti factioe removentur filii familias, non quidem simpliciter, sed pro diversitate bonorum, quæ habent. *pr. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l. 6. pr. l. 16. ff. Qui testam. facere poss. l. 3. §. fin. Eod.* Enim verò de peculio castrensi, & quasi castrensi testari possunt, cum in illis pro patribus familias habeantur. *§. ult. Inst. de Milit. test. pr. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l. penult. & ult. C. Qui testam. facere poss.* De peculio profecticio autem & adventitio minus pleno, seu regulari testari nequeunt, etiamsi consensus patris accedat. *pr. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l. 6. ff. Qui testam. facere poss.* quia testamenti factio per LL. XII. tab. ad patres familias restricta est, & cum juris publici sit, saltem auctoritate, formâ, & approbatione, *l. 3. ff. Eod.* privatâ pactione concedi non potest. *l. 38. ff. de Pactis. l. 15. §. 1. ff. ad L. falcidiam.*

An autem in peculio adventitio irregulari, in quo pater usumfructum non habet, testamenti factio filiis familias competat? *controvertitur.*

20 Treutl. *vol. 2. disp. 11. th. 2. lit. A. Hun. 2. var. resol. §. 9. 10.* & alii, qui affirmant, præcipue se fundant in *l. 8. §. 5. C. de Bonis, qua liberis.* juxta quam filii familias in his dumtaxat casibus, in quibus ususfructus apud parentes constitutus est, de iis rebus testari non licet; facili argumento, quòd ergo in aliis casibus, ubi parentes non habent usumfru-

ctum, uti in hoc peculio, testari liceat. Deinde in *Novel. 117. c. 1.* ubi filiis familias libera de ejusmodi peculio indulgetur dispositio.

Nihilominus verior est negantium opinio I. quia facultas testandi tantum patribus familias concessa est, & filiis familias in peculio castrensi, & quasi castrensi, quatenus in iis pro patribus familias habentur. *l. 120. ff. de V. S. II.* ob textum expressum in *l. penult. C. Quæ testam. facere poss.* ubi Justinianus Imperator perspicue facultatem testandi in his bonis filiis familias negat, & jus antiquum servari jubet. Ita cum Covar. Fachinæo, Harprecht, & Vinnio, Clariss. D. Frid. Ernest. à Something ad *Inst. Quib. non est permiss. facere testam. n. 4.*

Neque oppositæ sententiæ opitulatur *d. l. 218. §. 5. C. de Bonis, qua liberis*: quia argumenti à contrario sensu nulla vis est contra textum expressum, & apparet ex *d. l. penult.* quòd ejus promulgandæ nulla alia fuerit ratio quàm hæc, ne superesset amplius occasio errandi. Minus juvat *d. Novel 117. c. 1. §. 1.* nam generalia illa verba: *quovis modo disporre &c.* restringenda sunt ad dispositionem inter vivos: neque enim verisimile est, Justinianum per illam Novellam *d. l. penult.* immutare voluisse: & sanè infirmum est argumentum, quòd ex verbis generalibus ad legem particularem corrigendam & tollendam desumitur.

Ob vitium morum Jure Civili testari prohibentur I. prodigi, quibus interdicta bonorum administratio dato Curatore. *§. 2. Inst. Quib. non est permiss. fac. testam. l. 18. ff. Qui Testam. fac. poss.* tales enim quoad administrationem bonorum furiosis comparantur. *l. 1. ff. de curatorib. furioso.* Quod de jure ad eum etiam casum extendendum, quo salubriter & prudenter posteritati suæ consuluerint, aut quidquam utiliter de suis bonis disposuerint: quamvis enim contrarium expressè ha-

- beatur in *Novell. Leonis 39.* & ideo dissentiant Cujacius in *l. 6. ff. de V. O.* & Carpzov. *q. 3. const. 6. de fin. 11.* hæc tamen Novella contra jura manifesta nihil potest, nec ubique recepta est. Perez. *ad C. tit. Qui testam. fac. poss. n. 2.* Richt. *decif. 43. n. 7.* Planè illud testamentum, quod prodigi fecerunt, antequam interdictio bonorum iis fieret, ratum manet etiam post interdictionem. *d. §. 2. Inst. Quib. non est permiff. fac. testam. d. l. 18. pr. ff. Qui test. fac. poss.*
- 22 II. Qui se incestis nuptiis polluerunt, eò, quòd jure novissimo bona omnia statim amittant, eaque fisco cedant; nisi fortè liberos habeant ex justis nuptiis legitimos, qui fisco sunt potiores, *Novell. 12. c. 1.* Quin imò hodie non tantum descendentes, sed & ascendentes usque ad tertium gradum, fisco præferuntur. *Novell. 134. c. ult.*
- 23 III. Qui ob carmen, seu libellum famosum, quod vulgò *pasquillum* vocant, damnati, *l. 18. §. 1. ff. Qui testam. fac. poss.*
- IV. Rei perduellionis, qui scilicet hostilia adversus Principem, aut Rempubicam moliti sunt, fortè quòd sumptis armis, ac inità pactione in necem Principis, aut perniciem Reipublicæ conspirarunt per *l. 20. C. de Accusationib.*
- 24 V. Deportati. *l. 8. §. 1. ff. Qui testam. fac.* non item relegati: quippe hi unà cum civitate jus testandi retinent. *d. l. 8. §. 3.* Hodie deportatis similes putantur Banniti & proscripti ab Imperatore, vel Camera Imperiali, *die in die Reichs. Ucht erklärt seyn:* tales enim non tantum desinunt esse cives Romani, sed insimul pro hostibus Imperii habentur. *Gail. de Pace publ. lib. 2. c. 12. n. 3. & 5.* Relegatis verò comparantur, qui tantum ab aliquo Statu Imperii proscripti sunt, utpote quibus jus Civitatis Romanæ, & per consequens etiam jus testandi salvum manet. *Hau-nold de F. & F. tr. 6. c. 4. n. 220.*
- 25 VI. Damnati ad mortem, seu ultimum su-

plium. *l. 8. §. 1. ff. Qui testam. fac. l. 6. §. 6. ff. de Injusto. rupto. irrit.* ubi additur ratio: quia servi pœnæ sunt, bonaque eorum confiscantur. Et quamvis jure Novellarum capite damnati nec libertatem perdant, *Novell. 22. c. 8.* nec bona, ut quæ modò non fisco, sed Ascendentibus, & descendentibus usque ad tertium gradum *Novell. 134. c. ult.* (quibus compillator authenticarum ex errore adjecit Collaterales in *auth. bona damnatorum C. de Bonis proscript.*) applicentur; quia tamen saltem peregrini efficiuntur, & civitatem per sententiam capitalem amittunt, probabilius est, eos etiam jure novo esse intestabiles, licet contrarium observet praxis, teste Claro *§. testamentum. q. 21. num. 1. Natà consil. 178. n. 4.* Illud certum est, quòd ante sententiam testati & mortui, imò etiam qui postea (siquidem ab eo appellaverint, ut possunt, spectato jure communi, ac pendente appellatione moriantur) pro legitime testatis habeantur, haud dubiè ideo, quia adhuc integri status sunt, cum appellatio effectum sententiæ suspendat. *l. 9. l. 13. §. 2. ff. Qui testam. fac. poss. l. 1. ff. de Pœnis.*

Jure Canonico aliqui testari prohibentur ob conditionem status, alii in pœnam delicti. Ob conditionem status prohibentur I. Religiosi professi. *c. 7. causa 19. q. 3. & ibi Glossa in V. testandi. c. 2. h. 1. & ibi Covaruv. n. 18 & 9.* quia sui juris non sunt, & nec velle, nec nolle proprium habent. *c. non dicatis. causa 12. q. 1.* Et hæc prohibitio procedit etiam de ipsis Prælatiis, & elevatis ad Episcopalem dignitatem, quia votò paupertatis & aliis substantialibus, per prælaturam, aut electionem ad Episcopatum non liberantur. *c. de Monachis. 3. causa 16. q. 1. c. penult. de Vita & honestate Cleric. c. nullus. de Elect. in 6.* Navarrus *de Redditib. Eccles. q. 1. monit. 9. n. 22.* Barbosa *ad c. 1. h. 1. n. 7.* ubi notat, quòd Episcopus regularis, obtenturus dispensationem,

licentiam testandi à Summo Pontifice, duo impedimenta explicare debeat: unum Religionis, alterum Episcopatus, si nimirum testari velit de bonis Ecclesiasticis. Porro Novitii religionum possunt pro suo libitu sive ante ingressum religionis, sive durante Novitiatu etiam ante duos menses proximè præcedentes professionem, quin & sine petita licentia Superioris testari, eo, quo voluerint, modo. *auth. nunc autem. C. de Episcop. & Cleric. c. si qua mulier. 9. §. fin. causâ 19. q. 3. Sanchez lib. 7. Moral. c. 3. num. 3. Molin. disp. 139. n. 8.* Neque testamenta eorundem per subsecutam professionem rumpuntur, sed potius per eandem, tanquam mortem civilem, ita firmantur, ut postea revocari nequeant: & si Religio illa, quam professi sunt, bonorum sit incapax, bona statim ad hæredem devolvuntur; si vero bonorum & successio- nis in communi capax existat, hæreditas non prius ad hæredem transibit, quam post mortem naturalem testatoris professi, cujus bonis Monasterium interim fruetur. Panormit. in c. *in presentia 6. de Probat. n. 58. Covar. ad c. 2. b. 1. n. 9. Rosmer de F. & F. in t. de Hæred. ab Int. n. 3.* Quod tamè usus non ubiq; observat.

27 II. Episcopi, & Clerici sæculares: quamvis enim hi testari possint ad causas tam profanas, quam pias de bonis *patrimonialibus individualibus, & parimonialibus; c. quia nos. 9. b. 1. & ibi Covar. Auth. presbyteros. C. de Episcop. & Cleric. Navar. de Redditib. Eccles. q. 1. n. 59. & 82.* de bonis tamen *superfluis profectu Ecclesie acquisitis*, ne quidem ad causas pias testamentò disponere possunt. *c. 1. 7. 8. 9. & 12. b. 1. c. 1. & 3. de Pecul. Cleric.* quia, ut dicitur in *cit. c. 7. b. 1.* in officiis charitatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. Unde cum Episcopi, ac alii beneficiati non exiguos, sed amplios fructus ab Ecclesia percipiant, æquum est, ut penes Ecclesiam fru-

ctus superflui remaneant, sive intestati decederint, sive aliis conferre voluerint. Interim dubitandum non est, quin Summus Pontifex Clericis licentiam concedere valeat, quâ possint de omnibus superfluis testari: arg. *c. 2. de Prabend. in 6. & c. 4. de Concess. Prabend.* Atque ex hac licentia probabiliter etiam testamentum, prius conditum, vires accipit, cum tam concedentis, quam supplicantis mens fuisse videatur, ut impetrans decederet testatus; quod ex benigna interpretatione de testamento facto, & faciendo intelligi potest. *Tuschus concl. pract. 145. P. Engl. b. 1. sub n. 9.* Mallem tamen in sententiam contrariam deflectere, propter *c. non firmatur. & c. qua contra. de R. F. in 6. §. præerea. Inst. Quib. non est permiff. fac. testam. & l. 20. §. 1. ff. de Testam. milit.* Ab Episcopis autem, & aliis inferioribus Prælati talis licentia concedi nequit, nisi privilegio, vel consuetudine fulciantur. arg. *Clem. 2. pr. de Elect. & c. dilectus. de Temporib. ordinat.*

An per consuetudinem introduci possit, ut 28 Clerici de redditibus Ecclesiasticis ad usus profanos liberè testentur? Negant absolutè *Navarus tr. de Redditib. Eccles. q. 1. monit. 53. & q. 3. monit. 2.* Panormit. in *c. 7. b. 1. n. 5.* *Henricus Canisius in c. 1. n. 18. Eod.* Affirmant simpliciter *Covar. in c. 7. n. 9. b. 1. & apud hunc laudati Joan. Andr. Imola, Faber, & Paludanus, Barbosa F. E. V. lib. 3. c. 17. num. 7. Garc. de Beneficiis. p. 2. c. 1. num. 16. Haunold. de F. & F. tom. 2. tr. 6. controuv. 7. n. 258.* Alii variè distinguunt. Tu ante alios consule *P. Engl. b. 1. n. 3.*

29 In pœnam delicti Jus Canonicum testandi facultatem adimit. I. Hæreticis, & hæreticorum receptatoribus, defensoribus, & fautoribus. *c. 13. §. credentes. de Hæretic. auth. credentes C. Eod.* Quò referuntur Manichæi, Donatistæ, Anabaptistæ, Wiclephiani, Hussitæ, & ejusdem generis plures fungi. Ve-

Verum hæc prohibitio procedit de hæreticis non toleratis: nam tolerati, quales in Imperio sunt Lutherani, & Calvinistæ, validè testantur, teste P. Engl. *sub n. 3. ad fin.* II. Percussoribus Cardinalium, ac iis, qui Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter insequuntur, percutiunt, capiunt, vel ad id consilium, aut auxilium præstant. *c. felicitis. de Pœnis in 6.*

30 III. Usurariis manifestis ante factam restitutionem, vel saltem cautionem idoneam de restituendis usuris præstitam. *c. fin. de Usur. in 6.* quis autem sit, & dicatur usurarius manifestus, tradit Covar. *lib. 3. var. resolut. c. 3. num. 4.* & Jul. Clar. *lib. 5. sentent. §. usur. a. num. 15.*

Et hi ferè sunt, qui testari nequeunt. Contra omnes alii testari possunt: mares, & foeminae: *l. 5. ff. Qui testam. fac. poss.* Juvenes, & senes, quocumque demùm annorum sint, si modò mens adhuc sine injuria est. *l. 3. C. Eod. sani, & ægroti, etiam morti proximi, si modò morbus tam vehemens non est, ut quoque menti officiat. d. l. 3. C. junctâ l. 2. ff. Eod.* Etiam excommunicati, cum nullo jure testari prohibeantur. Panormit. *ad Rubr. h. r. v. 5.* si modò non ob tale crimen sint excommunicati, quod ipsos aliàs intestabiles reddit. Dissentit Fachinæus *lib. 5. controu. c. 88.* Etiam infames, si modò non sint tales ex delicto, quod speciali jure reos arceat à testamenti factione. *arg. l. 1. §. 2. ff. de Extraord. cognit. junctâ l. 8. §. 3. ff. Qui testam. fac. poss.* Molina *de F. & F. disp. 137. n. 9.* Covar. *3. var. resolut. c. 3. n. 8.*

§. VI.

31 Subiectum testamenti est hæres, qui in eo potest, vel debet institui.

Institui hæredes possunt omnes, qui non prohibentur; in quam classem prohibitorum pertinent I. servi pœnæ. *l. 3. ff. de His, qui pro non script. habent.* II. Peregrini, qui jus civitatis Romanæ ex causa pœnæ amiserunt;

uti sunt deportati. *l. 1. C. de Hæred. instit.* Quibus hodie exaquantur damnati ad trirèmes, & Banniti Imperii. Eckolt *ad ff. Eod. §. 5. in fin.* Aliud dicendum de Peregrinis, id est, alienigenis, sive extraneæ nationis hominibus: cum enim hi ex constitutione Frider. Cæsaris testari possint, *auth. omnes peregrini. C. Communia de success.* possunt etiam institui, quia testamenti factio activa, ceu nobilior, annexam solet habere passivam. III. Damnati ad ultimum supplicium: nam licet hodie non fiant servi pœnæ, *Novella. 22. c. 8.* sunt tamen peregrini, & civitatem amittunt. *l. 29. ff. de Pœnis.* IV. Hæretici, eorumque receptatores, ac defensores. *l. 4. & auth. credentes. C. de Hæretic.* Quod tamen non in omnibus obtinet: siquidem in Pace Religiosa de Anno 1555. in Imperio promulgatâ, secta Lutherana ita permessa est, ut nec Pater Catholicus filium A catholicum, nec hic natum catholicum exhæredare possit. Carpov. *p. 3. const. 14. de fin. 10.* quibus in instrumento Pacis *Monasteriensis art. 6. §. 1.* etiam reformati annumerantur. Andler *ad Inst. de Hæred. instit. n. 1.* V. Apostatae, sive qui à Christiana fide desciverunt. *l. 3. C. de Apostat.* VI. Qui Cardinales hostiliter insequuntur, percutiunt, capiunt, vel cum his quocumque modo participant. *c. fin. de Pœnis in 6.* De cætero excommunicati (exceptis illis, qui excommunicati sunt ob hæresim, apostasiam, aut percussorem, vel eadem Cardinalis) ut institui, ita hæredes institui possunt. VII. Liberi perduellium, & rebellium. *l. 5. §. 1. C. ad Legem Juliam Majest.* VIII. Qui se incæstis nuptiis polluerunt: quippe hi, neque se, neque liberos inde editos hæredes scribere possunt. *l. 6. & auth. ex complexu. C. de Incæstis nupr. auth. licet. C. de Naturalib. liber.* imò neque Pater filium spurium, *arg. d. auth. ex complexu. & Novell. 89. c. ult.* quia jura vagam libidinem detestantur. Avus tamen

nepotem spurium ex filio legitimo, aut ex filio spurio legitime genitum non prohibetur institui per l. fin. C. de Natural. liber. & ibi Gloss. IX. Collegia illicita, quæ scilicet speciali lege aut SCo approbata non sunt, veluti Synagoga Judæorum. l. 1. C. de Judæis. l. 8. C. de Hæretic. Licita possunt institui, veluti collegia opificum. d. l. 8. quin etiam singuli de Collegiis illicitis. arg. l. 20. ff. de Reb. dub. X. Huc referuntur Religiosi, eorumque Cætus, habitò tamen discrimine. Unde

32 Dico I. Minores de observantia, & Capucini neque in particulari, neque in communi capaces sunt hæreditariæ successionis, sive consistat in pecunia, sive in bonis immobilibus, sive in censibus annuis, qui immobilibus accensentur, ita, ut ex tali institutione ipsis nec tantum percipere liceat, quantum ex legato possent. Legatorum tamen capaces sunt, dummodò non sint superflua, & si in immobilibus consistant, nec indigeant pro domo, horto, aut habitatione, solum pretium ad necessitates sublevandas recipiant *Clem. exivit. §. quia igitur. de V. S. Trident. sess. 28. de Regular. c. 3. Layman. in Theol. moral. lib. 3. tract. 5. c. 5. n. 2. 4. & 5.*

33 Dico II. Professi Societ. JESU, & Coadjutores formati hæredes institui nequeunt, ut paritatem paupertatis, & quietem, quam secum afferunt, eo melius conservare possint, prout habetur in p. 6. *Const. c. 2. §. 12.* Aliud dicendum de his, qui nondum ediderunt ultima vota, sicut & de ipsa Societate, ejusque Collegiis, domibus probationis, & domibus professis: nam hos rectè hæredes scribi, docent Molin. de F. & F. disp. 195. n. 3. Laym. loc. cit. num. 2. Haunold. de F. & F. r. 6. r. 5. controu. 1. num. 285. & cum his Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. ad *Instit. de hæred. instit. n. 3.*

34 Dico III. Reliqui Ordines, ac Communitates, earumque Professi etiam mendicantes,

capaces sunt hæreditariæ successionis, sive immediate, sive mediante jure illis ex professione Religiosi acquisito. l. Deo nobis. §. 6. §. 1. C. de Episcop. & Cleric. ita ut Superior hæreditatem Religioso delatam adire possit; nec necessarium sit, ipsum Religiosum adire, utut aliàs ipse institutus hæreditatem adire debeat per Text. in l. per curatorem. 90. ff. de Acquirenda hæredit. cum enim Monasterium, & Religiosus pro una, eademque persona habeantur, Prælato, vel Superiore, aut alio jussu ejus ad eunte, ipse Religiosus adire censetur, imò Prælatus hæreditatem adire potest Religioso eam repudiante: quia in hoc similis est filiofamilias, quo repudiante aditio patri salva manet: l. fin. in pr. C. de Bonis, qua liberis, & dissensus Religiosi nullum in jure effectum sortitur. c. si Religiosus de Elect. in 6. Zoël. ad ff. de Acquirend. hæred. n. 5.

Cæterùm, & unum hominem, & plures³⁵ usque in infinitum, quot quis hæredes velit facere, licet. Text. in §. 4. *Inst. de hæred. instit.* & siquidem plures instituti sint hæredes, unus simpliciter, reliqui per modum collectionis: puta ita: *Cajum, & fratris mei filios, hæredes instituo*: primus, nempe Cajus accipiet semissem, sive medietatem hæreditatis; alteram verò semissem cæteri collectivè instituti, nempe fratris filii: quoniam ii unius personæ vice funguntur. l. II. l. 13. pr. l. 59. §. 2. ff. de Hæred. instit.

Institui hæredes debent I. liberi saltem in legitima, quæ hodie est triens, si liberorum sint quatuor, vel pauciores: semis verò, si plures. Novell. 18. c. 1. aut si hoc non fiat, opus est ut nominatim exhæredentur. pr. Inst. de Exhæredat. liber. Quæ exhæredatio, ut justa ac legitima sit, ex præscripto Novell. 115. c. 3. tria requiruntur, Primum, ut ex justa causa fiat. Sunt autem ejusmodi causæ quatuordecim, his versiculis comprehensæ:

H h

Bis

Bis septem ex causis exhaeres filius esto,

Si Patrem feriat, vel maledicat ei.

Carcere detrusum si negligat, aut furiosum,

Criminis accuset, vel parei insidias.

Si dederit damnum grave, sinec ab hoste redemit,

Testari vetet, se societque malis.

Si Mimos sequitur, vitietve cubile paternum.

Si mutet fidem, filia si meretrix.

Præter has, ne æquæ graves, aut etiam graviores causas admittamus, palam vetat Imperator in cit. *Novell. 115. c. 3. in pr. ibi: præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur; & cum Molin. de F. & F. disp. 170. n. 48. aliisque docet Frider. Ernest. à Somering. ad Inst. de Exhered. lib. n. 19. Alterum requisitum est, ut illa causa ingratitudinis discretè, & in specie in testamento exprimat, quod est exhæredationem cum elogio facere. Hinc non sufficit in genere dixisse, filium fuisse ingratum, quamvis hæres specialem ingratitudinis causam probare velit: quia Imperator in d. *Novell. 115. c. 3. vult causam ingratitudinis nominatim inferi testamento, aut in ejus defectum nullum præjudicium generari liberis. Gomez. 1. var. resolut. 11. Covarruv. de Testament. c. 16. & alii. An verò exhæredatio facta sine elogio relinquat testamentum ipso jure validum? Affirmant Fachin. 4. contro. 9. Zoël. ad ff. de Liberis & Posthumis n. 10. Negant Gomez, & Covarruv. loc. cit. quos sequuntur innumeri alii. Tertiò requiritur, ut causa ingratitudinis ab hærede in testamento instituto probetur: quòd veteri jure secus erat, ut quo ipse filius tenebatur docere innocentiam suam. l. 8. C. de Inofficioso testam. Quamvis autem ut exhæredatio cum effectu procedat, & extraneus hæres institui possit, causa exhæredationis necessariò testamento inseratur, ita**

ut aliàs institutio hæreos extranei nequidem in conscientia valeat, sed hæreditas perinde ad filium spectet, ac si testamentum factum non esset, probatio tamen causæ expressæ non est de forma, adeoque exhæredatus ex eo præcisè, quòd hæres in probatione causæ deficiat, bonâ conscientia testamentum paternum impugnare, aut hæreditatem occupare, vel per malitiosum mendacium ereptam retinere non potest, legis Civilis auctoritate minimè patrocinante, ut quæ in falsa præsumptione innocentia fundatur.

II. Liberis non existentibus juxta cit. *Novell. 115. c. 4. à filiis parentes instituendi, aut nominatim exhæredandi sunt per Novell. 22. c. 47. & quidem servatâ eadem formâ, quâ fieri debet exhæredatio liberorum. Et hic ergo, ut exhæredatio parentum subsistat causa ingratitudinis testamento inferenda, & postea ab hærede probanda est per d. *Novell. 115. cap. 4. Causæ tamen, ob quas Parentes exhæredari possunt, octo saltem prodiæ sunt cum Parentes non totidem modis pietatem in liberos lædere queant, quot filii reverentiam parentibus debitam. Causas autem illas nonnemo his versiculis inclusit:**

Si Pater accuset capitalis criminis, aut se

Adjungat nurni, vitæque est insidiatus.

Testari prohibet gnatum, Matrîque venenum

Præparet, inclusum si carcere, vel furiosum

Negligat, & veram contemnat religionem.

III. Præter liberos & parentes etiam fratres & sorores in casu, quo iis turpis persona præfertur, vel hæredes instituendi, vel exhæredandi sunt. §. 1. *Inst. de Inofficioso testam. l. 27. C. Eod. Causæ autem ingratitudinis, ob quas fratres hæreditate paternâ excluduntur, etiamsi turpis persona instituta fuerit, tres assignantur, quæ sequentibus versiculis continentur:*

Tres licet ob causas ingratorum pelleret fratrem,

Si fratri insidias, perniciemque struat.

*Si scelerat impingat, ferro fatòque pianda,
Aut si fraternas perdere sentet opes.*

§. VII.

39 *Materia, seu objectum testamenti est vel primarium, vel secundarium.*

*Primarium est hæreditas, hoc est, jus universum, quod defunctus habet tempore mortis, sive deinde sit activum, sive passivum l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. F. nisi enim in testamento caveatur de translatione universi juris testatoris, non est testamentum, sed codicillus, aut alia ultima voluntas per §. 2. Inst. de Codicill. Relinquitur autem hæreditas, vel tota, quæ est, libra, aut pondo dicitur, vel pro parte tantum. §. 5. & seqq. Inst. de Hæred. instit. imò & in re certâ, l. 13. C. Eod. Et verò refert, an unum tantum hæredem, an plures testator scripserit, aut nominaverit? Si unum tantum: tunc sive in tota hæreditate, sive in parte hæreditatis, sive in re aliqua determinata instituerit, institutus semper ex assè hæres erit. d. §. 5. Inst. l. 1. §. 4. ff. l. 13. C. Eod. l. 41. §. ult. ff. de Vulg. & pupill. substit. et ratione l. 7. ff. de R. F. quia nemo paganus partim testatus, partim intestatus decede-
re potest. Quòd si plures hæredes scripserit, aut nominaverit, tunc vel omnes instituit in re, rebusve certis? & singuli res illas certas sibi reliquias capient jure prælegati, hæredes verò per se loquendo erunt ex æqualibus partibus: l. 9. §. 13. ff. de Hæred. instit. vel quosdam instituit in re certâ, alios verò universali-
ter, & sive ex tota hæreditate, sive ex parte hæreditatis, sive simpliciter? & tunc illi, qui in re certâ instituti sunt, Legatariorum locò habentur. l. 13. C. Eod. vel omnes instituit universali-
ter, nullum in re, rebusve certis? & tunc quomodo pro diversitate institutionis factæ singuli ad hæreditatem admittantur, docet Imperator in §. 6. & 2. seqq. Inst. de Hæred. instit. & ibi Clariss. D. Ernest. à Somperting. n. 5. aliique Interpp.*

Ad secundarium objectum testamenti pertinet I. donatio mortis causâ, quæ fit ob suspicionem mortis, l. 2. & seqq. ff. de Mortis causâ donat. & explicatur triplici modo. Primus est, quando quis nullo præsentis periculi metu, sed sola cogitatione mortalitatis donat; & hæc donatio durat, dum donans in eadem voluntate manet, & effectum suum morte subsequuta sortitur. Secundus, quando quis metu præsentis periculi commotus, sic donat ut res statim fiat accipientis, ita tamen, ut si mors non sequatur, rem ita donatam velit ad se reverti, sibi que restitui. Tertius, quando quis dictò periculò motus, non sic donat, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum, cum mors fuerit infecuta. Et hæc donatio cessante tali periculo, vel si mors secuta non fuerit, adeoque conditio, sub qua donatio facta est, non evenerit, ipso jure expirat, sine alia revocatione. l. 2. & ibi Gloss. l. 31. l. 35. §. 4. ff. de Mortis causâ donat. Ceterum donatio mortis causâ non est, quam facit moriens, vel in periculo mortis constitutus, nisi specialiter expresserit, se ex motivo mortis donare: aliud enim est morientem donare, aliud causâ mortis donare. l. 42. §. ult. ff. Eod. & in dubio potius donatio inter vivos, quàm mortis causâ præsumitur, atque allegans contrarium illud probare tenetur. per d. l. 42. §. ult.

*II. Legatum, quod est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda. §. 1. Inst. de Legat. hoc est, quòd donationis species sit, non univoca, sed analogica, dum neque in donationem inter vivos abit, cum non detur à testatore, sed relinquatur; neque in donationem mortis causâ incidit, cum illa à Donatario, vel procuratore ejus acceptari debeat. l. 38. ff. de Mortis causâ donat. De eo alter-
cari DD. video, an sicut de Jure Civili valet legatum rei alienæ, ita quoque valeat de Jure Canonico?*

Difficultatem facessit text. in c. filius §. b. t.

Hh 3

ubi

ubi Summus Pontifex: leges quidem sæculi, infit, hoc habent, ut hæres ad solvendum cogatur, si auctor ejus rem legaverit alienam: sed quia lege DEI, non autem lege hujus sæculi vivimus, valde mihi videtur injustum, ut res tibi legata, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, qui aliena restituere debuisse. Ex quo textu Antiqui differentiam constituunt inter Jus Civile, & Canonicum, atque de Jure Canonico indistinctè legatum rei alienæ invalidum esse statuunt, adeò ut nec ipsa res legata, nec æstimatio ejus debeatur legatario. Panorm. in cit. c. 5. Sichardus in l. cum alienam. C. de Legat.

Attamen ut affirmativæ patrocinium suscipiam, juris veritate compellor per c. si Episcopus. causa 12. q. 5. ubi aperte legatum rei alienæ valere supponitur. Neque verò Jus Civile iniquitatem redolet, dum legatum rei alienæ admittit cum hac conditione, ut hæres à Domino volente rem emat, & legatario præstat, aut, si vendere nolit, ejusdem justam æstimationem arbitrio Judicis solvat. l. 14. §. 30. §. fin. ff. de Legat. 3. l. cum rem l. proprias. C. de Legat. proinde nec admittit correctionem à Jure Canonico. Covar. ad cit. c. filius §. n. 6. Fachin. lib. 5, c. 38.

Ad textum d. c. filius, respondet *ibid.* Gloss. Pontificem tantum prohibere, ne res aliena invito Domino detineatur, quia ad alienationem cogi non potest. Sed quia ex hoc nullum à Jure Civili, discrimen relucet, Innocentius ait, cit. c. filius, tantum procedere de rebus Ecclesiæ, quæ difficulter, & non nisi urgente magnâ necessitate alienari possunt, pro ut ob eam rationem res Cæsari legari prohibentur. l. idem Fulianus. §. fin. ff. de Legat. 1. Fachin. loc. cit. ex integra illius cap. lectione existimat, testatorem ibi filiis hæredibus institutis exiguum valdè patrimonium reliquisse, atque ideo eos nec ad rem legatam, nec ad ejus æstimationem præstandam obligatos fuisse.

III. Ad objectum secundarium testamenti refertur fideicommissum, quod vel universale, vel singulare. Universale dicitur, quando hæres gravatur restituere alteri hæreditatem vel totam, vel partem ejus. Singulare, cùm quis rogatur alteri restituere rem aliquam singularem. Ne verò hæres fiduciarius propter nullum, vel exiguum lucrum recuset adire hæreditatem, & sic fideicommissum evanescat, ex fideicommissio universalis deducere potest quartam partem hæreditatis, quæ Trebellianica vocatur, c. 16. h. t. §. 7. & 8. Inst. de Fideicommiss. hæredit. ex singulari autem, (quod Imperator legato exæquavit in §. 3. Inst. de Legat.) Falcidiam, arg. l. 1. ff. ad SCum Trebell. Zoël. ad ff. cit. ad leg. Falcid. n. 5. & seq.

Hinc controversa illa emergit quæstio: an quando filius à patre rogatus est, ut totam hæreditatem restituat, præter legitimam etiam Trebellianicam, adeoque duas quartas deducere valeat?

Sanè plerique Legistæ ad hanc quæstionem pro negativa leges ingeminant, nempe l. Papinianus 8. §. 14. ff. de Inofficiosa testam. ubi querelam inofficiosi non potest movere filius pro consequenda sua legitima, qui jam habet quartam falcidiæ: l. cohæredi 41. §. 3. ff. de Vulg. substit. ubi retentâ falcidiâ reliqua hæreditas restituenda venit: l. 6. C. ad SC. Trebell. ubi liberi fideicommissio gravati jubentur restituere dodrantem, id est, novem uncias, ergo retinent tantum quartam, sive tres uncias, aut hodie secundum Novell. 18. trientem, sive quatuor uncias. Ita Cujacius 8. observat. §. Struvius Exercitat. 36. th. 30. Zoël. in ff. ad SC. Trebell. n. 92. & alii.

His reclamant Canonistæ: quòd enim filius, præsertim quando fideicommissio sub conditione gravatus est, Jure Canonico præter legitimam Trebellianicam deducere possit, textus luculenti sunt in c. Raynaldus 16. & in c. Reynaldus 18. h. t. ubi Pontifex confirmat Judi-

§. VIII.

*Forma testamenti alia est generalis, alia spe 44
cialis.*

Generalis consistit in directa hæredis institutione, quæ est basis omnium testamentorum, utpote à qua omnem suam vim, atque firmitatem mutuantur. §. *ante heredit.* 34. *Instit. de Legat. l. penult. ff. de his, qua in testament. delent. l. 10. & ult. C. de Jure Codicill.* Circa hanc

Controvertitur I. an non saltem de Jure Canonico hæredis institutio in alienum arbitrium committi possit? v. g. dicendo: *ille hæres esto, quem Parochus meus nominaverit; vel Titius pro suo arbitrio bona mea distribuatur?*

Sunt, qui affirmant, moti textu *c. cum tibi 13. h. t.* ubi dicitur: *qui extremam voluntatem alto ius dispositioni committit; non videtur decedere intestatus.* Alii sunt, qui docent, nec de Jure Can. consequenter nec in terris Pontificiis, nec inter Clericos hæredis institutionem, & determinationem absolutè committi posse, verum hoc ipso, quòd talis commissio fiat, piam causam institutam esse censeri. *Gloss. & Panormit. in d. c. 13. n. 3. Covarr. ibidem num. 13.*

Sed magis est, ut censeam, *cit. cap.* neque hanc præsumptionem piæ causæ institutæ introducere, nec quidquam novi contra Jus Civile, quo hæredis institutio ex alieno arbitrio pendere nequit. *l. 32. pr. ff. de Hæredib. instit.* Itatuere; sed loqui de calu, quò in alterius voluntatem non confertur principalis dispositio ac institutio, sed tantum committitur electio hæredis incerti ex certis, vel sub certa demonstratione; veluti si ex circumstantiis, & modo agendi constet, testatorem intendisse ad pias causas disponere, sive deinde ipsam piam causam saltem in genere instituire, sive eum, cujus arbitrio commisit, hæredem facere voluerit cum onere restituendi & distribuendi hæreditatem ad causas pias; quod fieri posse,

Hh 3

ira-

Judicis sententiam, qui pronuntiabat, legitimam non fuisse restitutioni obnoxiam, & Trebellianicam detrahi posse. Et licet multi magni nominis Jcti in fideicommissio puro diversum statuunt, ne uno, eodemque tempore duæ deductiones contra Juris regulas concurrant. *l. 11. §. quod vulgò. ff. Ad L. Falcid.* quod non fit, quando fideicommissum sub conditione, vel in diem relicum est, cum deductiones diversis temporibus fiant, id quod jure non prohibetur; *Gail. 2. obs. 121. n. 4.* tamen in utroque indistinctè, sive purè, sive sub conditione relicum sit, duplicem deductionem Jure Canonico faciendam, tuetur *Fachin. §. contrav. c. 2.* eò quòd Pontifex in *cit. cap.* se non fundaverit in conditionato fideicommissio, sed in hos, quòd legitima liberis debita à testatore gravari non potuerit, juxta *l. quoniam. C. de Inoffic. testam.* Trebellianicam verò filius recipiat, sicut quisvis alius hæres extraneus restitutione gravatus, quo filius deterior esse non debet. Quæ ratio, cum de jure quoque Civili militet, non putem, in hac controversia pugnam adstruendam esse inter Jus Canonicum & Civile, sed potiùs leges civiles ad claram canonum decisionem inflectendas. *arg. c. 1. de Novi oper. nunciat.*

Unde ad textus oppositos respondeo, dictis locis antea deductam fuisse legitimam, quandoquidem in ponenda ratione *quarta, seu Trebellianica* primò deduci debet omne æs alienum, quod defunctus debuit. *§. in ponenda. Instit. ad leg. Falcid.* legitima autem æs alienum est. *l. cum ratio 7. ff. de Bonis damnat. Novell. 18. in prefat.* adeoque ante deduci debet, & ex residuo retentà quartà dodrans restitui.

Denique ad *secundarium* objectum testamenti spectant Codicilli, tutorum, & libertatum dationes, aliæque similia capirula, de quibus testamento cavemus; ea verò brevitatis gratià ad Civilistas remitto.

traditur in l. 7. §. 1. ff. de Reb. dub. Fachin.
Lib. 5. controu. c. 57. Gonzalez in cit. cap. 13.
h. t. Zoëf. Eod. n. 18.

45 *Controvertitur II.* Valeatne hæredis institutio facta a moribundo ad interrogationem alterius, si simpliciter sic, vel ita responderit?

In negativam propendere videtur Cujacius *Consult. 36.* quia ut legitima sit institutio. I. testator coram septem testibus idoneis, ac specialiter rogatis ipse, vivâ voce, & non alius hæredem nuncupare debet. §. *fin. Inst. de Testam. ordin. l. 21. ff. Qui testam. fac. poss. l. 21. §. 2. l. 26. l. 29. V. oportet enim. C. h. t.* II. quia testator tribus saltem verbis debet usus fuisse, quibus per nuncupationem aliquem testari posse, habetur in l. 1. §. 3. in *fin. ff. de Hæred. instit.* III. quia testator debet posse articulatè loqui. d. l. 29. pr. §. *si enim talis. C. h. t.* Menoch *consil. 45. n. 22.* articulatè loqui verò non videtur, qui per verbum unicum respondet. Manzius *de Test. tit. 3. q. 5. num. 16.* Gabriel *Conclus. commun. lib. 4. concl. 2. n. 4.* IV. quia non expediret, tale testamentum esse validum: facile enim post mortem existeret aliquis, ac diceret, testatorem ab alio interrogatum per verbum ita respondisse, adeoque via fraudibus sterneretur.

Verùm valere testamentum nuncupativum confectum ad interrogationem alterius, si testator articulatè loqui possit, sustinent Molin. *de F. & F. disp. 127. n. 2.* Covarruv. *ad c. cum tibi h. t. n. 4.* Clar. *§. testam. q. 37. n. 2.* & plures alii ab his relati, ob rationes subsequentes. *Prima* est, quia paria videntur ore proprio, vel alieno, ex consensu tamen proprio hæredem nuncupare. *Secunda:* quia si non jubeatur nuncupare nomina hæredum, at hæc ratio non sufficit: ita enim licet ad stipulationem verba utriusque contrahentis requirantur, tamen interpreti adhiberi potest. l. 79. ff.

de V. S. similiter licet Judex proferre jubeatur sententiam, tamen adhibere potest scribam, qui eam recitet. l. 2. C. de Sent. ex breviculo recitand. poterit igitur nomen hæredis ore quoque alieno nuncupari. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 8. num. 11. & 13.* *Tertio:* quia, quamvis cæcus testamentum confecturus teneatur nomina hæredum exprimere, tamen si voluntatem ejus scripto comprehensam testibus prælegerit, ipseque subjunxerit: ita se velle; tenet testamentum. l. 8. §. at cum humana. C. Qui testam. facere poss. ergo etiam valet institutio, de qua agimus.

Ex his facilis est resolutio argumentorum contrariorum: etenim *primum* quod attinet, etsi jura caveant, ut testator confecturus testamentum nuncupativum coram septem testibus vivâ voce nomen hæredis exprimat, paria tamen sunt ore proprio, vel alieno hæredem nuncupare. Certè licet Testator nomen hæredis non dixerit, indubitabili tamen signo demonstraverit, valet institutio. l. 9. §. 8. ff. de Hæredib. instit. valebit igitur etiam, si nomen hæredis quidem non dixerit, ad interrogationem tamen alterius per vocem ita responderit, quia vi hujus responsionis persona hæredis Testibus sufficientissimè innotescit. *Secundum* quoque non stringit: tametsi enim testamentum nuncupativum verbò unicò confici nequeat, si interrogatio nulla præcesserit, cum verbo unico mens & voluntas interna declarari non possit; diversum tamen obtinet, si præcesserit interrogatio: utpote ex qua subsecutâ responsione testatoris resultat una dispositio, quemadmodum ex interrogatione unius & congrua responsione alterius resultat una stipulatio. arg. l. 1. §. 7. l. 52. §. 2. ff. de Oblig. & act. Simili responsione evertitur *tertium:* enim verò si interrogationem alterius Testator per vocem ita, clarè & perspicuè expressam approbet, suffi-

clenter constat de voluntate ejus, aliis præsertim adminiculis concurrentibus; cumque vocabulum istud perfectum sensum contineat participare censetur naturam sermonis articulati, quandoquidem articulata loqui ille creditur, qui ad interrogationem alterius tale aliquid respondet, ut testes intelligant, quæ sit mens, ac voluntas ejus: *l. 15. C. de Testam.* Denique & argumentum quartum infirmum est: quamvis enim perniciosum foret, à militate ad interrogationem alterius unico verbulo testamentum posse confici, de quo casu expressè loquitur Cujac. *cit. consult. 36.* dispar tamen est ratio testamenti, quod jure communi coram septem testibus conficitur: per præsentiam enim tot testium fraudibus, & imposturis via sufficienter præcluditur.

Forma specialis, spectatur in solennitatibus testamenti solennis tum scripti, tum nuncupativi, quæ plures.

46 *Prima est continuus actus*, hoc est, ut fiat actu continuo sine interruptione, vel admixtione actus extranei, & omnino impertinentis ad testamenti factionem, §. 7. *Inst. de Testam. ord. l. 21. §. ult. ff. Qui testam. facere poss.* ideo: ne turbetur serietà, enixa, & constantis animi applicatio, & deliberatio, qualem negotii hujus gravitas desiderat. Intelligitur autem per actum continuum non compositio ipsius testamenti, quæ utique interruptim absolvi potest, *l. 21. pr. C. h. t.* sed adhibitio solennitatum, *d. l. 21.* Itaque non valet testamentum, si contractus intervenierit in ipso actu testandi, arg. *l. 20. ff. de V. S. Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. ad Inst. de Testam. ord. n. 11.*

47 *Secunda respicit certum testium numerum*, qui non ab utroque jure æqualis desideratur; nam Jure Civili constat in omni testamento solenni requiri septem testes, eosque puberes, Cives Romanos, masculos, non feminas, rogatos, non fortuitos, *d. §. 3. Inst. l.*

30. C. h. t. propterea: ut per plures homines perfectissime veritas reveletur. *l. fin. C. de Fideicommiss.* & ne quid falsitatis committatur circa ultima hominum elogia, quæ exitum habere, interest Reipublicæ. *l. 1. C. de SS. Eccles. l. 5. ff. Testam. quemadmodum aper.* De Jure vero Canonico testamentum coram Presbytero; & duobus, vel tribus testibus à parochiano conditum valet. *c. cum esses 10. & c. relatum 11. h. t.* Ratio hujus diversæ Juris desumitur ex illis S. Scripturæ verbis: *in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Matth. 18.* Et hoc etiam quoad pias causas in foro civili obtinere, testatur Bart. in *l. 1. n. 66. C. de SS. Eccles. Alexand. volum. 4. consult. 15. Wurml. tit. de Testam. observat. 1. n. 1. & 2.* De cætero in terris imperii etiam Jure Can. probabilius standum est Juri Civili, cum non versemur hic in materia peccati, aut causa spiritali, sed in materia adiaphora, seu profana, circa quam quodlibet jus in suo foro servandum est. Covarruy. in *d. c. cum esses. n. 12. Molin. de F. & F. disp. 133. n. 4. & 8. P. Engel h. t. n. 12.* ubi fatetur, hanc sententiam esse communiorem. Barb. in *collectan. add. c. 10. n. 2.* contra Panorm. & Hostiens. *ibidem.*

Præterea tertio ad testamentum scriptum⁴⁸ requiritur, ut hæres in eo vel ab ipso testatore, vel ejus jussu ab alio scribatur, & si alius scripserit, ut ab ipso testatore, vel ab octavo teste subscribatur. §. 3. *in fin. Inst. de Testam. ord. l. 28. C. h. t. Novell. 119. c. 9.* Item ut testes adhibiti testamentum propria manu subscribant. *d. §. 3. Inst. de Testam. ord. l. 22. §. 4. l. penult. ff. Qui testam. fac. poss. & simul omnes subignent proprio, aut alieno annulo, vel alio signo characteres habente. §. 5. Inst. de Testam. ord. l. 22. §. 5. ff. Qui testam. fac. poss. l. 22. C. h. t. R. F. de An. 1512. tit. von den Testamenten, §. 7.* ubi generale verbum *Signet* legitur. In testamento⁴⁹

autem nuncupativo opus est, ut Testator coram septem testibus idoneis & rogatis ultimam suam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quam legata, & alia palam, distincteque enunciet. §. *fin. Inst. de Testam. ordin. l. 21. §. 2. l. 26. C. Eod.* Certa tamen verborum formula non exigitur, sed sufficit, ea esse apta ad declarandam voluntatis intentionem. *l. 15. C. Eod.*

49 Illud acriter disceptatur: utrùm testamentum in ratione nuncupativi valeat, si testator hæredis nuncupationem faciat cum relatione ad schedam, dicendo: *cum hæredum instituo, quem in scheda apud Confessarium meum deposita designavi?*

50 Ita putant Clarus §. *Testamentum. q. 36.* Covarruv. *inc. cum tibi h. t. num. 5.* Berlich. *p. 3. concl. 4. n. 22.* Brunnem. *ad l. 21. §. 2. C. h. t.* eò quòd demonstratio, quæ fit per relationem, fungatur vice nominationis, & expressionis individuae. *per l. 34. ff. de condit. & demonstrat. l. 6. ff. de Reb. credit. l. 6. ff. de Rei vindicat.* ita ut paria sint in testamento aliquid exprimere nominatum, & specificè, vel per relationem ad aliud. Gabriel *commun. concl. 11. de Testament. lib. 4. per tot.* Quare licet nominatio hæredis sit de forma testamenti, modus tamen, per quem nominatio ista fit, de forma testamenti non est, sed sufficit potius, de ea constare. *arg. l. 2 ff. de Liber. & posthum.* Accedit Text. *in l. asse 100. ff. de Hæred. instit.* ubi hæredis institutio per relationem facta valere dicitur.

51 Nihilominus sub negantium vexillo contra affirmantes, & ego merebor propter Text. expressum *in l. 21. §. 2. C. h. t.* ubi postquam in principio causa, ob quam inventum fuit testamentum scriptum, allata est, nempe ut testibus hæres occultetur, subjungitur, quòd testamentum per nuncupationem factam aliter non valeat, quam si septem testes simul uno, eodémque tempore collecti voluntatem testa-

toris audiverint. Ergo testes in testamento nuncupativo audire & scire debent nomen hæredis, nec textus accipi potest de implicita auditione, sive per relationem ad schedam, quòd in scripto etiam fieri solet, sed de tali auditione intelligendus est, quæ hæres in propria persona testibus innotescat. Vasquius *l. 2. q. 16* Sichardus, & Gilkenius *in l. hac consularissima. C. h. t.*

Nec contrarium suadet ratio superius opposita, cum enim in testamento nuncupativo pro forma requiratur, ut nomen hæredis testibus audientibus exprimat ore testatoris, dici non potest, quòd sola expressio nominis requiratur, & non modus exprimendi, si quidem auditus per sonum fit, & aures nec vident, nec legunt. Quod attinet *l. asse 100. 77. ff. de Hæredib. instit.* eam non moror; quia solum dicit, quòd valeat institutio testatoris scribentis: *quem in codicillis hæredem fecero, hæres esto;* quòd utique fieri potest in testamento scripto, utpote in quo opus non est, ut testes voluntatem testatoris, & nomen hæredis sciant.

§. IX.

Finis testamenti est benefacere hæredi, ex motivo conjunctionis, affectionis, amicitie, gratitudinis, vel alio simili: unde Testator potius præsumitur honorare velle hæredem; quam gravare. *l. 67 §. 8 ff. de Legat. 2.*

§. X.

Effectus testamenti jure sive solenniter, sive insolenniter facti multiplex se offert.

Primus est aditio hereditatis, qua mediante in hæredem præter dominium rerum hereditariarum transeunt omnia alia jura hereditaria, activa, & passiva, credita, & debita, lucra & onera. *l. 37. ff. de Acquirend. vel amittend. hæred. l. 24. l. 178. §. 1. ff. de V. S. l. 59. l. 62. l. 128. §. 1. ff. de R. F.* Fit autem aditio hereditatis vel verbis, cum quis declarat, se hæredem esse: & hæc dicitur aditio hereditatis

aditus in specie; vel facto, cum quis idem declarat factio aliquo, ex quo prudenter possit conijci animus quærendæ hæreditatis, ut si quis res hæreditarias distrahat, ædes inhabitet, agros colat, æs alienum solvat, debita exigat &c. & hæc vocatur *pro hærede gestio*. *f. ult. Inst. de Hæred. qualit. & differ. l. 20. ff. de Acquirend. vel omitt. hæred.* Utraque si fiat ab hærede ext. aneo, nuncupatur *adiitio*; si ab hærede suo, & necessario (qualis est, qui proximè in patria potestate defuncti tempore, mortis ejus, vel saltem delatæ hæreditatis existit) *immixtio* appellatur. Clariss. D. Frid. Ernst. à Someting. *ad Inst. de Hæred. qualit. & differ. n. 2.*

17. *Alter effectus testamenti est parata executio.* Welenb. *in Paratit. tit. Qui testam. facere poss. n. 12.* si modò testamenti causa sit liquida, ita ut testamentum non cancellatum, nec aliàs vitiosum sit prolatum, nec legitimus contradictor, adsit. *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. collen.* si enim talis contradictor extiterit, tum causa remittitur ad ordinarium procellum, & in judicio competentis causæ in possessionem missionis, & subsequente contraditionis ventilantur, & ei possessio acquiritur, qui potiora ex legitimis modis jura ostenderit. *d. l. fin. §. fin. autem.* Ludwell. *in tr. de ultim. volunt. p. 1. c. 4.* ubi prolixè tractat, quando beneficio huic paratæ executionis locus sit, quando non. Vide quoque Sichard. & Brunneinan. *ad cit. l. fin.*

Tertius effectus conspicitur *in actionibus*, quæ ex testamento pro persequenda hæreditate, legatis, & fideicommissis competunt; cujusmodi sunt petitio hæreditatis, simplex & qualificata, civilis & prætoria, actio familiæ heriscundæ, persecutio fideicommissorum extraordinaria, actio hypothecaria, actio ex testamento, & realis; quarum posteriores concurrunt non exercitio, seu cumulativè, sed originè seu electivè *l. 108. §. 2. ff. de Legat. 1.*

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

l. 76. §. 8. ff. de Legat. 2. Bachov. *ad Trentl. vol. m. 2. disp. 13. ch. 7.*

Quartus effectus testamenti est hæreditatis transmissio, id est, translatio successionis ab hærede defuncti in alium. Non transmittitur autem hæreditas per se loquendo, nisi fuerit adita. *l. un. §. 5. C. de Caduc. tollend.* Addidi: *per se loquendo*: fallit enim I. in suo hærede, ut qui mortuus ante immixtionem, vel abstentionem hæreditatis paternæ, aut avitæ, transmittit illam hæreditatem in quoscunque hæredes etiam extraneos jure sunitatis. *l. 8. C. de suis, & legitim. hæred.* Ratio est, quia suus hæres statim ipso jure hæres est sine ulla immixtione, & Dominus rerum paternarum, adeoque mirum non est, quòd dominium jam quæsitum transmittat in quoscunque successores. Fallit II. in descendantibus defuncti: hi enim hæreditatem ascendentium, quamvis necdum aditam, jure sanguinis transmittunt in liberos suos sine discrimine sexûs, gradûs, & familiæ, sed non in hæredes extraneos. *l. un. C. de his, qui ante apert. tabul.* ubi simul ratio additur: quia perindignum est, fortuitas ob causas, vel casus humanos liberos successionem fraudari. Fallit III. In omnibus aliis hæredibus: nam si hæres quicumque sive ex testamento, sive ab intestato sciens, hæreditatem sibi delatam esse, & de ea adeunda deliberans moriatur intra annum ad deliberandum datum, transmittit jus deliberandi & adeundi hæreditatem ad hæredes quoscunque ita ut ipsis cedat totum tempus residuum, quod defuncto ad deliberandum supererat. *l. 19. C. de Jure delib.* Clariss. D. Frid. Ernst. à Someting. *ubi supra n. 6.*

Quintus effectus testamenti est obligatio hæredis, quâ in conscientia tenetur obtemperare voluntati rationabili, quam defunctus in testamento expressit; cum nihil magis hominibus debeat, quàm ut suprema eorum voluntas, postquam jam aliud velle non

possunt, exitum & effectum habeat, l. 5. ff. Testament. quemadm. aperiant. l. 1. C. de SS. Eccles. Pertinet autem executio, si Testator in testamento nullum alium executorem specialiter nominaverit, etiam quoad legata pia ad hæredem defuncti; hærede verò, quamvis Laicus sit, vel alio executore ab ipso Testatore nominato in legatis & dispositionibus piis exequendis negligente, ad Episcopum, tanquam generalem piarum voluntatum executorem, devolvitur, cap. 3. & 6. h. t. & ibi DD. Trid. sess. 22. c. 8. de Reform. l. nulli. 28. C. de Episcop. & Cleric. Mantica de conjest. ult. volunt. lib. 3. tit. 1. n. 23. Sed

59 *Quæres I.* Intra quod tempus legata solvenda, aliæque in testamento expressa executioni mandanda sint, si Testator nullum tempus determinavit? *ꝛ.* Legata ad causas piæ secernenda esse à legatis profanis. Profana intra annum, pia intra annum medium, sive sex menses præstanda sunt juxta *auth. hoc amplius C. de Fideicommiss. Novell. 131. c. 12.* Sed hoc ita, si certa res, aut quantitas dari iusta est: nam si testator pro anima sua aliquid facere iussit, puta Ecclesiam ædificare, hæredi pro executione inchoanda datur annus, sicut in relictis ad causas profanas. c. 3. & ibi DD. h. t. Quòd si hæres solutionem legatorum piorum ultra terminum juris tam diu distulerit, donec in iudicium vocetur, tenebitur ad duplum: §. *vi autem. 19. Inst. de Action. & generaliter, qui relictis sive ad piæ, sive ad profanas causas intra annum non exsolvit, postquam de hoc à iudice sæculari, vel Ecclesia sitico monitus est, perdit omne lucrum, omniaque sibi in tali testamento relictis, salva duntaxat legitimâ, si hæres sit suus, & necessarius. d. *auth. hoc amplius. c. 3. & ibi Panorm. n. ult. h. t. Novell. 1. c. 1.**

60 *Quæres II.* Quâ ratione, & quibus solvenda sint legata in genere pauperibus, vel incertæ piæ causæ relictis? *ꝛ.* recurrendum esse ad

præsumptam mentem Testatoris. Ita in legato pauperibus relictis pauperes consanguinei extraneis: magis egeni minus egeni: pauperes illius loci, ubi Testator defunctus est alienigenis præferendi sunt, nisi aliud suadeant circumstantiæ; nam si quis, v. g. miles, alibi bona sua fortè non adeo iusto titulo acquisivit, non improbabiler de iis potius pauperibus, ubi bona acquisivit, quàm de pauperibus loci, ubi mortuus est, cogitasse censetur. Videatur Zypæus lib. 3. consult. 1. de Parochiis. Similiter, si quis in genere Ecclesiam, vel Ecclesiam, aut Sodalitatem B. Virginis instituerit, posito, quòd plures hujus nominis, ac tituli sint in eadem civitate, ac vicinia, præsumitur ante alias cogitasse de Ecclesia sua parochiali, vel de Sodalitate, cujus fuit Sodalis; sin autem æqualiter in utraque Ecclesia, vel in neutra solitus sit Sacramenta frequentare, eam in qua elegit sepulturam; si & in hoc paritas sit, eam, quæ est pauperior, instituisse censetur. His omnibus paribus, ad alias conjecturas, & denique ad determinationem Episcopi, seu Ordinarii deveniendum erit. Zypæus loc. cit. Panorm. in c. 19. h. t. num. 4. Covarruv. ibid. n. 2. per l. fin. C. de SS. Eccles. nam, quòd Molina & alii doceant, hoc casu divisionem faciendam esse, minus placet; cum enim ex hypothesi constet, Testatorem de una aliqua Ecclesia, aut Sodalitate locutum esse, & tantum dubium sit, de qua cogitaverit, potius ad quascunque conjecturas, vel ad determinationem Episcopi recurrere, quàm contra expressam intentionem testatoris divisionem facere oportet.

Quæres III. Quid juris sit, si dispositio ad piæ causas non possit adimpleri eò modo, quò testator voluit, ut si legatum certo pauperi relictum sit, & ille moriatur ante Testatorem; aut si certa summa relinquatur ad ædificandam Ecclesiam, & ad hunc usum applicari nequeat? *ꝛ.* legatum ejusmodi ad aliam piæ

piam causam nominatæ similem, ac propinquam applicandam esse, ut quantum fieri potest, voluntas Testatoris impleatur. *c. 3. h. t. sine dubio* idè, quia relicta ad pias causas siue in genere siue in specie, principaliter non in favorem certi pauperis, vel Ecclesiæ, sed ipsi DEO, & pro salute Testatoris facta censentur, consequenter Testator ita constitutus fuisse præsumitur, ut si uno modo DEO obsequium præstare, & animæ suæ consulere nequeat, alio simili modo id facere intendat. *Panorm. loc. cit. n. 6. Molin. de F. & F. disp. 249. n. 7. arg. l. 16. ff. de Usu, & usufr. leg.* Atque ex tali necessaria, vel alia gravi, & iusta causa Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, pias defunctorum voluntates commutare, & ad certum pium usum relicta ad alium applicare posse, præmissâ summariâ, & extrajudiciali cognitione de veritate præsum, decretum est in *Trid. sess. 22. cap. 6. de Reformat.* Quamvis alioquin non nisi S. Pontifex de plenitudine suæ potestatis possit jus in piam causam quantum in aliam transferre, ut docent DD. uno ore.

§. XI.

Contraria testamenti sunt modi, quibus testamentum infirmatur; quod fit vel *via juris*, vel *facto hominis*. *Via juris*, cum testamentum *rumpitur*, *irritatur*, aut *desinitur*.

Rumpi dicitur testamentum, cum in eodem statu manente testatore vitium incurrit in ipsum testamentum. §. 1. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* quæ *rumpitio* dupliciter accidit.

I. *Agnatione sui hæredis*, tam naturali, quam civili: *naturali*, si post factum testamentum suus nascitur hæres. *l. 3. §. 4. ff. de Injusto, rupto*. intellige, si vivus nascatur, & homo; nam si vel mortuus editus est, vel vivus quidem, sed declinans in monstrum, talis natiuitate suâ testamentum non rumpit. *l. 3. C. de Posth. hæred. instit.* *Civili*, si post testamentum conditum quis testatori hæres suus effi-

ciatur. *d. l. 3. §. 1. ff. de Injust. rupt.* ut si filius naturalis post testamentum legitimetur: *Novell. 89. c. 12.* vel si ab ascendente quis in filium adoptetur: §. 2. *Inst. de Adopt.* aut à quocunque arrogetur. §. 1. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* Hoc modo rupto testamento neque legata debentur. *l. 1. in fin. C. de Posth. hæred. instit.*

II. *Mutatione*, seu *revocatione voluntatis*; quæ, alia est *realis*, alia *verbalis*. Circa *verbalem* regula traditur, eam ad eversionem testamenti non sufficere, licet coram septem testibus expressa sit. §. 7. *Inst. Quib. mod. testam. infirm. l. 27. C. h. t.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 10. ch. 7.* Carpzov. *lib. 6. respons. 17. tit. 2. Besold. p. 4. consil. 144. num. 16.* Excipitur, nisi revocatio illa, vel coram idoneis testibus saltem tribus, vel inter acta manifestata sit, & insuper decennium à tempore testamenti conditi elapsum fuerit. *d. l. 27. C. h. t.* Julius Clarus §. *testamentum 1. 91.* Stephan. Gratian. *tom. 4. decis. 763. num. 14.* Carpzov. *ubi supra n. 2. & seqq.* *Realis* mutatio inducitur primò incisione, deletione, inductione, cancellatione, laceratione, corruptione, aliòve modò, consultò vel à testatore ipso, vel per alium facta. *l. 1. l. 2. ff. de His, quæ in testam. delent. l. penult. C. h. t.* Secundo surrogatione novi & alterius testamenti ritè perfecti. §. 2. & 3. *Inst. Quib. mod. testam. infirm. l. 2. ff. de Injusto rupto.* Et hoc modo rumpitur testamentum prius etiamsi eidem clauula derogatoria, vel juramentum de non revocando adjectum fuerit: *ambulatoria*, namque est hominis voluntas usque ad extremum vitæ exitum. *l. 4. ff. de Aliment. legat. nec potest sibi quis hanc legem dicere, ut à priorè voluntate recedere non liceat. l. 22. pr. ff. de Legat. 3.* ipsùmque juramentum sequitur naturam actûs, cui adicitur, & nullam majorem firmitatem ei conciliat. *arg. l. fin. ff. qui jussuare cogantur.* adeo,

aded, ut ne quidem perjurium testator revocans incurrat, si causam justam revocationis habuerit, aut conditionaliter juraverit. Gilkenius ad d. l. 27. C. h. r. in fin. arg. c. quemadmodum 25. de Jure juras.

64 *Irritum* redditur testamentum, si Testator post testamentum conditum patitur *capitis diminutionem maximam*, hoc est, si ex libero homine fiat servus: *mediam*, hoc est, si ex cive Romano fiat peregrinus: aut *minimam*, hoc est, si testator facto testamento se alteri arrogandum det. §. 4. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* l. 6. §. 5. & seqq. ff. de Injusto, rupto. l. 8. §. 3. ff. de Jure Codicill. l. penult. §. 2. ff. de Bonor. possess. secund. tabul. Neque officit, quod superveniens furor, aut prodigalitas non irritet testamentum jure factum. §. 1. & 2. *Inst. Quib. non est permiff. fac. testament.* est enim diversa omnino ratio: nam furor, & prodigalitas sunt impedimenta facti, quæ quidem impediunt testamentum fieri, sed jam ante factum non irritant; econtra capitis diminutio est impedimentum juris, quod non tantum impedit testamenti factionem, sed etiam jam factum infirmat. Quomodo autem recuperato statu, in quo testari licet, testamentum reviviscat? exponunt Imperator & interpretes in §. 6. *Inst. Quib. mod. testament. infirm.*

65 *Destituit* testamentum dicitur, si nemo ex eo hæres existat. §. 2. *Inst. Eod.* Quod contingit duobus casibus: primo si hæres scriptus non possit esse hæres, vel quia adhuc vivo testatore, vel post mortem ejus, sed ante aditam hæreditatem decessit, nec eam transmisit ad alios; vel quia conditio, sub qua hæres scriptus est, defecit. Secundo si hæres scriptus nolit esse hæres, sed hæreditatem vel repudiet, vel inde se absteat.

Hic illa se insinuat *difficultas*: num Prælati sine solennitate hæreditatem, aut Legatum suæ Ecclesiæ relictum repudiare possit?

Affirmativam Zoëf. ad ff. de Acquirend. vel omittend. hered. n. 46. Barb. F. E. V. lib. 3. c. 30. n. 42. Panormit. in c. tua 8. de His, quas sunt à Prælat. num. 9. & Sanchez de Matrim. lib. 6. disp. 4. n. 15. ex ea potissimum ratione commendant, quod nomine alienationis Prælati prohibita veniat alienatio strictè dicta, sive ea, quæ aliquid ex dominio Ecclesiæ in alterum transfercur; repudiatio autem hæreditatis, ac legati non sit alienatio, quandoquidem diversa in jure æstimantur alienare, & non acquirere. l. si sponsus 5. §. 13. ff. de Donat. inter. vir. & uxor l. quod autem. 6. in pr. & §. 5. ff. Quæ in fraud. creditor. l. alienationis verbum 28. in princ. ff. de V. S. Additamen Zoëf. d. n. 46. Prælatum, qui temerè & sine justa causa hæreditatem, aut legatum Ecclesiæ relictum repudiavit, ad instar tutoris obligari Ecclesiæ ad refusionem damni ex propriis bonis, cum ex officio, consequenter ex lege justitiæ, teneatur bene administrare arg. c. quicumque 2. causa 12. q. 4. l. quidquid 7. C. Arbitrium tutela. Sanchez verò in cit. n. 15. subjungit, quod contra talem repudiationem Ecclesia exemplo minorum restitutionem in integrum petere valeat arg. l. ait prætor. 7. §. hodie 6. & seqq. ff. de Minor. juncto cap. 1. extra de In integr. restitut. ibi: Ecclesia jure minoris debet semper illa servari.

Azorius *Instit. moral.* p. 2. l. 9. c. 1. q. 12. Molin. de F. & F. disp. 468. n. 11. alique hæreditatem à Legato puro & certæ speciei separant, & in illa priorem sententiam admittunt, non in isto propter textum notabilem in l. magis puto 5. §. fundum 8. ff. de Reb. eor. qui sub tutel. ubi expressè Ulpianus JC. fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris auctoritate non potest: esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, non dubitat. Ecce hic repudiatio legati respectu pupilli habetur pro alienatione rei ipsius pupilli:

illi: ergo etiam pro tali habenda est respectu Ecclesie, cum summa sit ratio, quæ pro religione facit, per l. 43. in fin. ff. de Relig. & sumpt. funer.

His ad rationis stateram appensis videtur utraque sententia valde probabilis, & quod consequitur, ille, qui ex repudiatione insolentem rem acquirit, in foro tam externo, quam interno securus, nec non repudians à penis Extravag. ambitiosa. de Reb. Eccles. non alienand. inter comm. in male alienantes latis immunis, ut etiam notavit Quaranta in Summ. Bullar. V. alienatio rerum Eccles. n. 23.

Facto hominis infirmatur testamentum, quando proposita querela inofficiosi testamenti per sententiam Judicis rescinditur, qua de tit. iit. Inst. & ff. de Inoffic. testam.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

SUMMARI A.

1. Successionis ab intestato Synonymia. 2. Definitio.
3. Divisio. 4. Origo. 5. Quibus deferatur hæreditas ab intestato? 6. usque 10. Qua ratione liberi succedant Parentibus? 10. usque 14. Parentes liberis? 14. usque 19. Collaterales collateralibus? 19. Coniux conjugis? 20. Fiscus in bonis vacantibus? 21. Ecclesia in bonis Clericorum? 22. Quæ sit Successionis ab intestato materia? 23. 24. 25. Quæ requisita? 26. 27. Quis finis, qui efficiendus?

Post successionem testamentariam succedit Successio ab intestato, & ideo succedit, quia quamdiu speratur hæres ex testamento, cessat Successio ab intestato. l. 89. ff. de R. F. l. 39. ff. de Acquirend. hæred.

§. I.

1. Successio ab intestato vulgò legitima appellatur, quòd immediatè, ac solà lege, sine ulla hominis dispositione, deferatur arg. l. 3.

§. 2. ff. Pro socio. l. 2. §. 4. ff. de Suis, & legit. ad differentiam Successionis testamentariæ, quæ mediante testamento obvenit. §. 6. Inst. Per quas person. cuique adquir. l. 1. ff. de Hæredit. petis.

§. II.

Definitur Successio ab intestato, quòd sit hæreditatis legitimæ extra casum ultimæ voluntatis defuncti acquisitio. tot. tit. ff. Si quis omiff. caus. testam.

§. III.

Dividitur Successio ab intestato, quòd alia sit in stirpes in die Stämmen/ alia in capita in die Häupter. Successio in stirpes illa dicitur, quando non habetur ratio multitudinis, vel paucitatis personarum succedentium (ita ut inter eas hæreditas æqualiter, seu viritim distribuatur) sed potius totius stirpis, ex qua unaquæque persona descendit, omnibusque simul sumptis certa assignatur portio inter illas denuo dividenda, sive multæ, sive paucæ sint: wann sie in die Stämme gehen / oder der Stämmen Theil nehmen. §. 6. & ult. Inst. de Hæred. qua ab intest. Successio in capita illa est, quando inter plures ejusdem gradus hæredes secundum numerum personarum viritim hæreditas dividitur; Germani dicunt: so viel Mund/so viel Pfund. Novell. 118. c. 3. in fin. Inde autem dicitur in capita Successio, quòd secundum numerum capitorum, id est, personarum nullâ habitâ ratione stirpis, unde illæ personæ descendant, divisio fiat in portiones æquales. Folterus de Success. lib. 3. c. 34.

§. IV.

Causa efficiens Successionis ab intestato est partim jus naturale, partim civile: Naturale quidem, quia naturalis ratio suadere videtur ut emolumentum hæreditatis paternæ potius filiis, quam remotioribus in gradu agnatis, hisque prius, quam extraneis, ignotisque deferatur. Facit c. 7. dist. 1. ubi inter exempla

juris naturalis recensetur liberorum successio. *Civile*, quia sicut ad hæreditatem ex testamento suprema testatoris voluntas, ita ad hæreditatem ab intestato vocat suprema legum potestas. l. 3. §. 2. ff. *Pro socio*. l. 2. §. ult. ff. *Unde legitimi*. tot. tit. ff. *de Suis, & legit. hered.*

§. V.

5 *Subjectum* hujus successionis sunt hæredes à lege ad hæreditatem defuncti intestato vocati, quos Imperator antiquo jure in totum antiquato in *Novell.* 118. in tres ordines distinxit. *Primus* est Descendentium, *Secundus* Ascendentium, *Tertius* Collateralium. Post hos succedunt etiam Conjuges, & postremo Fiscus. tot. tit. ff. & *C. Unde vir, & uxor.* & tot. tit. *C. de Bonis. vacant.* Clariss. D. Frid. Ernest. à Someting. ad *Inst. de Hæredit. qua ab intest. sub. n. 5.*

6 *Primo* igitur, & ante omnes juxta *d. Novell.* 118. c. 1. vocantur *Descendentes*, sive *liberi* tam nascituri, quam nati, tam *foeminae*, quam masculi, tam emancipati, quam sui, tam Clerici, & Monachi, quam laici: quamdiu enim liberi supersunt, tamdiu alii consanguinei cujuscunque gradus à successione excluduntur: tum ex naturali æquitate dictante alimentacionem filiorum ex bonis paternis: tum ex præsumpta defuncti voluntate, qui filiis potius, quam extraneis bona congregasse censetur. Inter ipsos verò descendentes unus alterum gradu etiam remotiorem non excludit, sed omnes omnino, quantumcunque in gradu remoti succedunt. §. 5. & 15. *Inst. de Hæredit. qua ab intest. d. Novell.* 118. cap. 1. Sub hac tamen differentia, quòd si omnes sint in primo gradu succedant *in capita*, tot scilicet æqualibus factis portionibus, quot sunt personæ; si verò sint ulterioris gradus, sive soli inter se sive cum aliis proximioribus concurrant, tantum succedant *in stirpes* jure representationis, id est, remotiores in gradu

parentes primi gradus repræsentant, & in illorum locum succedunt, consequenter licet plures sint, habentur tamen loco unius, & non plus consequuntur, quam eorum Patens, quem repræsentant, consecutus fuisset, si vixisset, sicque illius portio dividenda venit: ut ecce: si concurrant duo filii, quivis habebit dimidiam partem hæreditatis, & ita succedent *in capita*, si concurrant unus filius, & tres nepotes ex filia, non succedent *in capita*, id est quatuor æquales portiones, sed hæreditas dividetur in duas semisses, quarum unam filius, alteram tres nepotes loco filia inter se dividendam accipient. Idem dicendum, si ex uno filio duo nepotes, & ex altero tres supersint: tantum enim illi duo, quantum isti tres consequentur. *d. Novell.* 118. c. 1. §. 6. *Inst. de Hæred. qua ab intest. l. 1. §. 4. & 6. ff. de Suis, & legit. hered. R. F. de Anno 1500. tit. von Succession der Döchter.* Clariss. D. D. Franz de *Success. ab intest. p. 1. n. 26. & seqq.*

Et hæc ita procedunt in *liberis legitimis*, 7 sive deinde sint *legitimi & naturales simul*, seu ex legitimo matrimonio procreati, sive sint *legitimati per subsequens Matrimonium*, ut qui favore matrimonii in omnibus æquiparantur legitimè natis, & succedunt non modò in allodialibus, sed probabilius etiam in feudalibus arg. c. 6. *Qui filii sint legit. §. 2. Inst. de Hæredit. qua ab intest. l. cum quis, & auth. seq. C. de Natural. lib. Myning. §. observ. 42. Gail. 2. observ. 14. n. 2.* sive sint *legitimati tantum*, id est, arrogati, vel adoptati, vulgò *angewünschte* / oder *angenommene Kinder*; nam & isti etiam cum aliis liberis legitimè natis in allodialibus succedunt *Pacti adoptivo*, nisi ipsò adhuc vivente adoptio dissoluta sit, quò casu cessat successio. §. 14. *Inst. de Hæred. qua ab intest. l. 10. pr. §. 1. & 2. C. de Adopt. juncto tit. 26. §. adoptivus. Fend. 2.* De reliquis liberis diversum jus est; nam *legitimati per rescriptum Principis*, vel per *Comi.*

Comitem Palatinum non aliter Parentibus succedunt, quam si ex iustis nuptiis procreati liberi nulli extent *auth. item sine C. de Natural. lib. Novell. 74. c. 1. Novell. 89. c. 9.* usu tamen fori, & praxi hodiernâ invaluit, ut legitimati cum filiis ex matrimonio post contracto natis simul succedant. Gail. 2. *observ. 142. n. 5. Struv. exerc. 38. th. 20. II. Liberi naturales tantum*: qui ex concubina, quam quis uxoris loco citra maritalem affectionem domi habuit, progeniti sunt, matri quidem, reliquis que ascendentibus in linea materna unâ cum legitimis liberis æqualiter succedunt, etsi mater fuerit illustris. l. 2. & 8. ff. *unde cognati. l. 5. C. ad Scrum Orphitianum.* Patri verò non aliter succedunt, quam si ei nec liberi legitimi nec uxor legitima exstet, & quidem tunc tantum in sextantem, hoc est, in duas uncias, siue sextam partem hereditatis, cum sua matre ex æquo dividendam. *Novell. 18. cap. 5. cit. Novell. 89. c. 12. §. 4.* His liberis naturalibus hodie ex duobus solutis, inter quos matrimonium tenet, procreati comparantur. Jacob Schyz *ad ff. tit. Quis ord. in poss. ff. Struvius exercit. 30. th. ult. III. Spurii, seu vulgò quæsi, qui scilicet ex vaga, & promiscua libidine concepti sunt, nihil capere possunt ex bonis ejus, quem patrem dicunt arg. §. 4. Inst. de Success. cognat. l. 2. cum *auth. licet. C. de Natural. lib. ad matris tamen, quæ semper certa est, & parentum maternorum successionem unâ cum legitimis admittuntur, nisi mater fuerit persona illustris, quæque alios liberos ex iusto matrimonio procreatos habeat, quò casu spurii ex bonis maternis solùm alendi. §. 3. Inst. l. 5. & 8. C. ad Scrum Orphitian. l. 5. §. 4. ff. de Agnos. & alend. lib. Gabriel Paleot. tr. de Nob. & spur. c. 21. n. 3. IV. Denique Sacriligi, & adulterini, nefarii, atque incestuosi, qui ex complexibus damnatis progeniti sunt, omni successione tam paternâ, quam maternâ privantur, licet nulli extent liberi legitimi; *auth.***

ex comp' exu C. de Incest. nupt. Novell. 74. c. ult. Novell. 89. c. fin. Imò de Jure Civili nec alendi forent à Parentibus per d. *Novell. 89. c. ult.* quod tamen ex æquitate Juris Can. in c. 5. de eo, qui duxit in matr. mitigatum est, ita ut saltem necessaria alimenta ipsis debeantur.

Quotidiana questio est: quò modò liberi ex diversis nuptiis nati Parentibus succedant? *9* R. eos, si privigni sint, singulos suo succedere Parenti; sin verò Parentem communem habeant, æquâ lance ejus hæreditatem dividere, ita ut consanguinei in bonis paternis, uterini in maternis succedant, juxta vulgarem illum Verficulum: *Maternis cedant materna, paterna paternis; & Text. in l. 3. 4. & 5. C. de Secund. nupt. l. 4. C. ad Scrum Tertullian. l. 13. C. de Legit. heredib. Novill. 22. c. 25. 26. & 29. & Novell. 84. c. 1. Haunold. tr. 5. de F. & F. c. 3. contrav. 2. n. 405.* Quæ distinctio ideo statuta est: quòd in istis bonis propriè non dicantur ejusmodi liberi succedere, sed bona ad eos reverti. arg. l. filio ff. de Lib. & posth. Sed hoc ita, nisi pactum unionis siue parificationis prolium, die Einkindschaft und Gleichmachung der Kinder intervenierit, quo bona utriusque matrimonii communicantur, & liberi ex diversis matrimoniis quoad jus successionis tanquam ex uno matrimonio nati habentur; prout illud pactum generali Germaniæ consuetudine receptum, & ab Imperiali Camera approbatum esse, tradit Gail. lib. 2. *observ. 125.*

Deficientibus liberis primi ordinis successoribus, ad successionem legitimam secundo loco vocantur *Ascendentes*, puta *Parentes* utriusque sexûs in infinitum, quorum ordo alius est simplex, alius mixtus.

Simplex est, quò Ascendentes soli sunt, Ubi refert, an sint ejusdem gradûs, ut pater & mater, vel avus & avia, aut gradu dispares ut Pater, & avus? *Priore casu* Parentes illi, licet dispares numero, pariter succedunt, paternis
qui-

quidem dimidiâ, maternis verò alterâ portio-
ne dimidiâ delatâ. *d. Novell. 118. c. 2. Poste-
riore*, non attento repræsentationis jure, quod
in linea ascendente locum nullum habet, pro-
ximiores remotiores excludunt; ut si Pater &
Mater unâ cum avis maternis, vel paternis
sint superstites, soli succedunt exclusis avis:
vel si mater sit mortua, pater excludit avum
maternum, etiam quoad bona, quæ à linea ma-
terna ad filium pervenerunt. *per d. Novell. 118.
c. 2. in qua Imperator utique expressisset, si
voluisset, habendam esse rationem qualitatis
honorum. Mynsing. cent. 6. obser. v. 55. n. 3.
Bachov. ad Treutl. volum. 2. disp. 16. th. 4.
tit. C. Clariss. D. Frid. Ernest. à Somering. ad
Inst. de Hæredit. qua ab intest. n. 112. contra
Bartolum, quem secutus est Schneidew. de
secund. ord. succedendi. n. 112.*

¶ *Ordo mixtus Ascendentium* est, quo A-
scendentes cum fratribus, vel fororibus ger-
manis defuncti concurrunt. Hoc casu hi ex
privilegio simul cum ascendentibus admit-
tuntur. & quidem in capita, hoc est, in æqua-
les partes. *d. Novell. 118. c. 2.* ita nimirum ut
si defunctus ex una parte reliquit avum, &
aviam paternam, ex altera solam aviam ma-
ternam, & præter hos Fratrem Germanum,
hæreditas in quatuor viriles partes dividenda
sit: interventus enim fratris efficit, ut hære-
ditas in capita dividatur, quæ aliâs, si Ascen-
dentes soli fuerint, secundum lineas, quasi in
stirpes, consequenter partes dispares divideretur.
Frid. Ernest. à Somering. *loc. c. num. 15.*
Fach. 6. *controv. c. 7.* Imò si præter Germa-
num Fratrem simul cum Ascendentibus con-
currant alterius fratris prædefuncti filii, vel
filia, isti quidem secundum *Novell. 118. c. 3.
§. si autem cum fratribus.* expressè à succes-
sione remoti fuerunt, sed per *Novell. 127. c. 1.*
cum Parentibus & fratribus simul ad hæredi-
tatem vocantur in stirpes, quatenus jure re-
præsentationis succedunt in locum sui Patris.

Zoëf. ad ff. de Suis & legie. hæred. n. 8. quod
tamen privilegium ad fratrum, aut fororum
prædefunctorum Nepotes, multò minus Pro-
nepotes non extenditur, cum in correctiis,
seu materia exorbitante nulla extensio conce-
datur. *c. qua à jure communi. 28. de R. J. in 6.
l. 41. ff. Eod. Zoëf. loc. cit. n. 30.*

In contentione sarram trahitur: an fratrum
germanorum prædefunctorum filii cum Pa-
tre, avo, aut aliis ascendentibus succedant, si
soli supersint?

Negant Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 16. th. 4. lit. G.* Cujac. *ad d. Novell. 118. Zoëf. ad ff. de Suis, & legie. hæred. n. 28.* freti au-
toritate *cit. Novell. 127. c. 1.* quæ illo dun-
taxat casu jus vicariæ successionis prædefun-
ctorum Germanorum liberis impertitur, quò
fratres, fratrumque liberi cum Ascendentibus
concurrunt, proinde ad casum, quo germano-
rum filii soli, & nulli germani existunt, porrigi
non potest, cum omnis correctio in jure sit
odiosa, & quod non mutatur, quare stare pro-
hibeatur? *l. precipimus. 32. §. ult. C. de Ap-
pellat.*

Affirmat Forster. *de Succession. 3. cap. 7. 13*
& Frid. Ernest. à Somering. *ubi supra n. 15.*
ed quòd non possit prudens disparitatis ratio
assignari, cur Fratrum germanorum filii suc-
cedant cum Parentibus, si adsint Patruus, & non
succedant, si soli sint: cum utroque casu re-
præsentent suos Parentes, neque verò putan-
dum, jus repræsentationis exigere fratres ger-
manos superstites, ceu medium: si enim in
linea descendendum liberi mediati diversæ
stirpis succedunt jure repræsentationis Paren-
tibus suis, licet nullus adsit ex illo gradu, quo
fuit is, qui repræsentatur, adeoque nullum ta-
le medium, quale requirunt AA. idem erit
in nostro casu.

In theoria utraque sententia defendi potest
in praxi autem videtur servanda posterior.

Atque hæc ita se habent de jure communi.

Securæ

Secundum particularia verò quorundam locorum statuta, & consuetudines (sicuti in Austria) ascendentes nullò modò succedunt descendentibus, eò quòd inconueniens videatur, hereditatem ascendere, & liberos thesaurizare parentibus. Joan. Henr. Reutter *in tr. de Differ. jur. Civil. & Austr. p. 12. n. 4.* Joan. Weingarten *de Conc. & discord. jur. con. Austr. cum iure com. lib. 3. pag. 154.* Interim quia per talem consuetudinem sapius contra naturalem æquitatem repelluntur Parentes, ut si iniquitate fortunæ ad paupertatem redacti sint, & liberi postea satis nummati sine liberis decedant relicto consanguineo quodam valde remoto, ideo quantum fieri potest in praxi similis consuetudo, vel statutum limitandum est, & parentibus succurrendum.

Cæterum cum iura successionum respectu Parentum, & liberorum correlativa sint, eò modò Parentes liberis succedunt, quo diximus, liberos succedere Parentibus; unde sicut spuri non succedunt Patri, ita nec Pater illis. *l. si ab eo. 11. C. de Legit. hered. auth. licet patri. C. de Natural. lib. in correlativis namque idem est iudicium, eadèmq; disciplina, & quòd statuitur in uno, si in utroque haud dispar sit ratio, videtur etiam statutum in altero.* Everhard. *in Top. legal. loc. 20.* Excipiuntur specialiter filius arrogatus impubes, cui Pater arrogans non succedit, si intra impuberatis annos moriatur, item etiam filius adoptatus ab extraneo, cui absolute non succedit Pater adoptivus. *§. 2. & 3. Inst. de Adopt.*

14. Tertium ordinem successionis ab intestato occupant collateraliales, die von der Seiten/ oder Zwerch/ Linie einander angehören/ oder verwandt seyn. Et ex his ob duplici-
tatem vinculi primò vocantur fratres & sorores ex utroque Parente defuncto conjuncti, quos germanos Brüder und Geschwister von voller Geburt/ oder beyden Banden salutamus, eorùmque præmortuorum filii;

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

exclusis fratribus consanguineis, & uterinis; ita quidem, ut si fratres germani soli sint, successio fiat in capita; si fratrum filii cum his concurrant, fratres in capita veniant, filii jure representationis in stirpes, capturi partem, quam capisset parens, si viveret; si soli extant fratrum præmortuorum filii, adhuc excludunt agnatos & cognatos, quamvis in eodem gradu secum exstantes. *d. Novell. 118. c. 3.*

*Dubium est: Quomodo fratrum filii, si soli extant, in bonis Patruum succedant: utrum in capita vel in stirpes? Ecquidem Accursius, Bartolus, & alii eorum sectatores contendunt, eos succedere in stirpes. Sed magis est, ut censeam, quòd in capita succedant, ita ut si ex uno fratre duo, & ex altero quatuor liberi sint, hereditas Patruum in sex æquales portiones dividenda sit. Mynsing. *cent. 3. observ. 94.* Cephal. *consil. 431.* Hotom. *quest. illust. c. 14.* quia jus vetus, quò certum erat, fratrum liberos tunc in capita succedere. *l. 2. §. 2. ff. de Suis, & legit. l. penult. §. 1. C. de Legit. hered. nullibi in hoc passu correctum est, quin potius in d. Novell. 118. c. 3. approbatur: Statuitur enim, quòd fratrum filii tunc beneficium representationis habeant, quando vocantur cum filiis, hoc est, patruis, avunculis, ergo non habent, quando soli sunt, ergo quando soli sunt, succedunt in capita: non in stirpes. Ad hæc sententiam istam Carolus V. Sacratissimus Imperator confirmavit expressa constitutione in Comitibus Spirensibus de Anno 1529. *tit. Kayserliche Constitution, und Satzung wie Brüder, oder Schwester Kinder / ihres Vatters Bruders / oder Schwester verlassene Erbschaft / unter sich theilen sollen.***

Fratribus utrinque conjunctis non extantibus, nec filiis eorum, ad successionem defuncti vocantur fratres & sorores altero tantum Parente conjuncti, nempe consanguinei, vel

Kk

118.

uterini, vulgò Stieff-Brüder, halb-Brüder / Halb-Schwestern / Halb-Geschwistrigt. *Auth. post fratres. C. de Legit. hered. d. Novell. 118. c. 3. §. bis autem non existentibus.* Sed quo ordine & modo? eodem, quò germani, & utrinque conjuncti: ideòque si extant soli consanguinei & uterini, successio fit in capita; si concurrant pramortuorum filii successio fit in stirpes; si fratrum defunctorum filii soli sint, successio fit in capita, quia tunc jure suo, non repræsentationis amplius succedunt.

Illud autem hic *dispicendum*, utrum in successione fratris consanguinei, & uterini in bonis prædefuncti fratris concurrentium, ratio aliqua bonorum habenda sit?

17 Sunt, qui consanguineo paterna, uterino materna bona deferant; quibus non modò tritus versiculus: *maternis cedant materna, paterna paternis*; sed & apertus textus suffragatur in *l. de emancipatis. 13. §. 2. C. de Legit. hered.* ubi habetur: *exceptis maternis rebus, in quibus si de eadem matre fratres, vel sorores sint, eos solos vocari oportet.* Hanc sententiam amplexi sunt Cujac. in *Parat. C. de Legit. hered. & in Novell. 84.* Forster. *de Success. lib. 8. c. 8. n. 2. & 4.* & alii.

Sed displicet hæc sententia non uno ex capite. *Primò*: quia si Imperator voluisset fieri divisionem bonorum in concursu fratrum consanguineorum & uterinorum, debuisset hoc exprimere in sæpè cit. *Novell. 118. c. 3.* Atqui ibi tali loquendi modo utitur, ut potius videatur, omnem hujusmodi divisionem, tanquam obnoxiam litibus propter difficultatem in bonis illis separandis rejicere. *Secundò*: quia postquam bona pervenerunt ad filios desinunt esse paterna, vel materna, & efficiuntur bona fratris: ad bona autem fratris admittuntur consanguinei & uterini æqualiter. *Tertio*, quia ex Adversariorum sententia sequeretur, quòd consanguinei etiam cum germanis deberent admitti in bonis paternis, & uterini in mater-

nis, quos tamen constat à germanis penitus excludi. Ita Fachin. *lib. 6. contrav. c. 5.* cum Baldo, Saliceto, Fulgoso, Corneo, & aliis.

Ad Textum *ex cit. l. de emancipatis. 13. §. 2.* oppositum, est expedita responsio, quòd *per d. Novell. 118. c. 3.* correctus sit.

Denique post fratres & horum filios vocantur promiscuè reliqui *collaterales* absque ullo sexus, vel agnationis discrimine, & sine differentia bonorum, secundum prærogativam gradus, ita ut propinquiores semper excludant remotiores, & pares gradu pariter in capita admittantur, idque in infinitum *d. Auth. post fratres. & Novell. 118. c. 3. §. 1. Berlich. p. 3. concl. 24. n. 88. & seqq. Schuff. consil. 89. p. 2.*

Verùm hæc omnia accipienda sunt de fratribus, & aliis collateralibus legitimis, & naturalibus simul: Fratres enim legitimum, seu adoptivi non succedunt sibi invicem nisi ab aliquo ascendentium fuerint adoptati. *l. penult. §. & idco C. de Adopt.* Fratres naturales tantum, aut spurii succedunt quidem fratribus uterinis, non verò consanguineis. *l. 4. ff. Unde cognati.*

Si nec *Descendentes*, nec *Ascendentes*, nec *Collaterales* adsunt, tunc *quarto loco* ad successionem ab intestato admittitur *conjunctio*; in qua successione primùm observanda sunt pacta dotalia *per l. fin. C. de Pact. convent.* deinde consuetudines, & statuta cujuslibet loci. *Gail. 2. observ. 156. n. 3.* iis verò deficientibus confugiendum erit ad jus commune, quòd Prætor propter legitimam conjunctionem maritalem ante fiscum vocat *superstitem conjugem dando ei bonorum possessionem, unde vir & uxor. tot. tit. ff. & C. unde vir & uxor.* dummodò justum fuerit matrimonium, & ad mortem alterius duraverit. *l. 4. C. de Incest. nupt.* Forster. *de Successione in præf. ad lib. 9. nec maritus uxorem, nec uxor maritum interfecerit. l. 10. §. 1. ff. solut. matrim.* Imò jure

jure novissimo sancivit Justinianus, ut si matrimonium fuerit indotatum, & conjux defunctus locuples, uxor autem superstes inops, illa marito succedat una cum liberis communibus, vel etiam alterius matrimonii, in quarta parte honorum defuncti, si liberi tres sint, vel pauciores; si vero plures extent liberi in parte virili, in eum Rinds & Heil; ita tamen ut tantum utrumfructum habeat istius quartæ, vel virilis portionis, proprietate servatâ liberis, si qui extiterint; his autem deficientibus potitur etiam dominio istius portionis, in quam imputatur id, quod ei relictum, vel donatum est à conjuge. *Novell. 53. c. ult. Novell. 117. c. 5. anth. prat. C. Unde vir, & uxor. & ibi DD.*

10. *Ultimò si nec conjux adsit, bona vacantia, die erblose Güter sibi vendicat fiscus, tot. tit. C. de Bonis vacant. Sixtinus de Regal. lib. 2. c. 9. n. 3.* Bona tamen ista ad fiscum transeunt cum suo onere, nimirum ut fiscus debitoribus ob defuncti æs alienum satisfaciat, siquidem fiscus non jure proprio, sed jure hæreditis succedit l. 3. §. fin. l. 6. §. si fisco ff. ad Scam Trebell. l. 6. §. 14. ff. de Jure fisci. l. 7. C. de Distract. pign. l. un. §. 14. C. de Caducis tollend. Hinc etiam legata & fideicommissa, quæ ab hærede præstanda sunt, solvere obligatur per l. 96. §. 1. ff. de Legat. 1. l. dicitur. l. 4. ibi: quibuslibet aliis causis fisco vindicantur. ff. de Jure fisci.

21. *Quæstio superest: quò modò fiat successio in bonis Clericorum? Breviter, in bonis superfluis respectu Ecclesiæ, seu ex beneficii redditibus acquisitis ipsam tantum Ecclesiam succedere, exclusis omnibus consanguineis, nisi consuetudine aliter sit introductum e. l. 7. §. 12. de Testam. In reliquis vero bonis, nempe patrimonialibus, industrialibus, sicut & patrimonialibus, fieri successionem eodem modo, quò de Laicis priùs dictum est, juxta lineæ, aut gradus prærogativam, ut notant communiter Interpp. ad c. 1. lit. præterquam,*

quòd ante fiscum Ecclesiasticum (qui succedit Clericis, sicut laicis fiscus secularis) aliis consanguineis deficientibus, succedat Ecclesia, vel altare, cui Clericus inservivit, d. c. 1. Et meritò cum per illam in sortem Domini sint vocati, ut adedò non injurià illam successionem honorent, à qua beneficio, à honore Clericali affecti sunt.

§. VI.

Materia, seu objectum successionis ab intestato est hæreditas legitima, quæ nempe obvenit ab intestato juris legitimi dispositione. Wefenbec. in Paratit. de Hæred. inst. n. 3. lit. E.

§. VII.

Forma successionis ab intestato consistit in 23 requisitis, quæ tria.

Primum est, ut deferatur sola lege. Hinc in prohibitione Testatoris, ne in alienam familiam res alienetur, successio legitima non continetur: quoniam hæc non est alienatio hominis, sed ipsius legis, quæ ab intestato successiones defert. §. 1. Inst. de Hæred. qua ab intest. l. 3. ibi: lege ad se rediret. l. 11. ibi: hæreditatem possideant lege ff. Si quis omisâ causâ testam. Et necessaria omninò est: quia per mortem, quæ omnibus est necessaria, causatur, consequenter sub hominis interdicto contineri intelligitur. l. alienationes 13. ff. Famil. herciscund.

Secundum est, ut intestatus sit, de cujus hæreditate agitur, quamdiu enim ex testamento potest adiri hæreditas, ab intestato non defertur. l. quamdiu 31. ff. de Acquirend. hæredit. Dicitur autem intestatus, qui caret hærede testamentario; quod fit l. si quis testamentum non fecit, cum tamen facere potuisset. l. 1. in pr. ff. de Suis, & legit. II. Si quis voluit quidem testamentum facere, sed non potuit, impeditus vel de facto, quia morte præventus, vel de jure, quia lege testari prohibitus, ut pupillus, filiusfamilias &c. licet enim hi strictè loquendo intestabiles dicantur, latè tamen, & ex communi usu loquendi

Kk 2

pro

pro intestatis habentur. *d. l. i. pr. & planè*
 III. Quando quis testamentum quidem con-
 didit, sed non jure, omissis scilicet solennita-
 tibus à jure præscriptis. *pr. Inst. h. t. IV.* Si
 testamentum jure quidem factum sit, sed
 agnatione posthumi, vel arrogatione, vel
 adoptione ab ascendente ruptum est. *d. l. i. in*
pr. ff. de Suis, & legit. vel per capitis diminu-
 tionem quamcunque sit irritum. *pr. Inst. h. t.*
 V. Si testamentum sit perfectum, ex eo ta-
 men nullus hæres existat. *d. l. i. in pr.* hic enim
 omnibus casibus res dicitur ad causam inte-
 stati redire.

Porro si controversia inter hæredem ab in-
 testato, & extraneum, qui testamentum fa-
 ctum esse asserit, oriatur, probatio non hære-
 di ab intestato venienti, sed extraneo illi in-
 cumbit, tum quòd talis extraneus affirmet, &
 alleget factum aliquod, quod ab allegante
 semper probandum est, per *l. 2. ff. de Fur. &*
facti ignorant. tum quòd fundet se in testa-
 mento, consequenter teneatur probare testa-
 mentum factum esse, tanquam fundamen-
 tum suæ intentionis. Accedit, quòd hæredes
 ab intestato habeant intentionem pro se fun-
 datam in jure, & successionem sibi à Lege de-
 latam eò usque retineant, donec probetur,
 testamentò contrarium esse dispositum. Me-
 noch. *presumpt. 1.* Covarruv. *2. V. R. c. 6.*
n. 5. Fachin. *6. controu. 46.*

25 *Tertium* requisitum est, ut hæres ab inte-
 stato probet mortem ejus, in cujus bona cupit
 succedere: siquidem viventis nulla est hære-
 ditas. Peragitur autem probatio hæc I. per
 duos testes: Mascard. *de Prob. concl. 1075.*
n. 2. nonnunquam etiam per unicum, ut si
 quis in loco aliquo remoto, mari, aut morbo
 contagioso obiisse dicitur. Carpz. *p. 1. constit.*
16. def. 38. II. Per attestationem Judicis, aut
 Magistratus eò in loco, quo quis obiisse per-
 hiberetur. Carpz. *Furispr. consistor. lib. 2. def.*
168. n. 5. idem est, si præfectus militiae, sub

quo quis militavit, in documento attestetur,
 militem, in quodam conflictu, aut alio modo
 inter turbas bellicas periisse. Mevius *p. 5. dec.*
134. III. Per attestatum Parochi extractum
 ex libro, in quo mortui describuntur. Rota
dec. 220. n. 1. p. 2. divers. Gratian. discipulat.
forens. c. 653. n. 59. IV. Aliquando per iam-
 mam, cujus limitationes, & exceptiones,
 vide sis apud Mascard. *de Prob. vol. 3. concl.*
1074. V. Per diurnam absentiam: ita enim
 in Regno Bohemiæ absens per triginta annos
 annum & diem, habetur pro mortuo, ejus-
 que bona proximis agnatis sine cautione
 deferuntur, & Scabini Lipsienses statuunt ab-
 sentes per 70. annos pro mortuis haberi.
 Richter *p. 1. dec. 66. n. 5. & 6.* Carpz. *p. 3.*
const. 15. def. 57. Omitto alias mortis pro-
 bationes, quas suggerit Mascard. *concl. 1075.*
& seqq.

§. VIII.

Finis, ob quem introducta est successio ab in-
 testato, est, ut hæreditas intestati iis obve-
 niat, quos propinquitas sanguinis & natura
 conjunctio vocavit.

§. IX.

Effectus successionis ab intestato est idem, 27
 qui successionis ex testamento, de quo prolixè
 in *tit. preced.* disseruimus.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUMMARIA.

1. *Sepultura diversa acceptio. 2. definitio. 3. origo*
& causa impulsiva. 4. Cæmeteria constituere per-
tinet ad Episcopum. 5. 6. Quibus Ecclesiis compe-
tat jus sepulturae? 7. 8. 9. Ubi quisque sepeliri de-
beat? 10. Quinam excludantur à Sepultura sa-
cra? 11. Qui ritus funerum? 12. Quis sinit Se-
pulturae? 13. quis effectus?

Successio tam testamentaria, quam legiti-
 ma demum post mortem locum habet,
 quam,

quam quia proximè comitatur *sepultura*, de ea in præfenti agitur.

§. I.

1 *Sepultura* tripliciter sumitur. I. Pro officio quod impenditur corporibus humanis. *c. 105. causâ 1. q. 1.* II. Pro jure sepeliendi, seu assignandi locum in Ecclesia. Gonzalez in *c. 13. h. t. n. 4.* III. Pro loco, in quo quis sepelitur. *d. c. 13. h. t. c. aurum causâ 12. q. 2.* In qua acceptatione.

§. II.

2 *Definitur* Sepultura, quòd sit locus religiosus, in quo Christianorum ex hac vita piè decedentium corpora tumulantur.

§. III.

3 *Causa efficiens* sepulturæ est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est Jus Canonicum quòd locus quidam communis consecratus, & ab aliis profanis separatus, qui *cœmeterium*, sive *dormitorium* dicitur, juxta Ecclesias pro sepultura destinari solet, ut fidelium cadavera minùs à spiritibus immundis vexentur, memoria eorum in Divinis officiis frequentior sit, vivi etiam commoneant sæpius suæ mortalitatis, & defuncti Sanctorum illorum suffragiis, ac patrocinio gaudeant, quibus Ecclesia consecrata est. *c. 19. causâ 13. q. 2.* Quamvis de rationabili causa similia cœmeteria etiam in loco remoto ab Ecclesia construi possint, præsertim pro pestiferis, & in contagioso morbo decedentibus, ut bene notat Sylvester V. *sepultura q. 1.*

4 *Proxima* est Episcopus: non enim Jure Canonico, ut Civili, quisque locum religiosum facere potest, sed tantum Episcopus, si quidem ad rationem cœmeterii requiritur, ut locus publicè Episcopi autoritate pro fidelium sepultura deputetur, & ante illationem cadaveris consecratur, vel benedicatur arg. *c. 4. de Religios. domib. Panormit. in c. penult. n. 4. h. t.*

§. IV.

Subiectum sepulturæ sunt Ecclesiæ Parochiales, quarum sacro sinu Christianorum corpora recipiuntur; quippe jure communi tantum Ecclesiæ Parochiales jus sepulturæ habere censentur per *Clem. dudum. §. verum. h. t. c. 1. causâ 13. q. 1.* Panormit. in *c. 9. h. t. n. 7.* Monasteria, quæ populum & jus parochiale non habent, possunt quidem habere cœmeterium, sed pro suis duntaxat, & pro Religiosis hospitibus ibi morientibus. *c. 1. causâ 6. q. 1. c. fin. h. t. in 6.* & licet defunctus elegerit sepulturam in alia Ecclesia, vel Monasterio, propterea tamen admitti non debet, cum ad hoc ipsum, ut v. g. Monasterium possit sepelire aliquem, qui ibidem ultrò sepulturam elegit, speciali privilegio opus sit, juxta *c. in nostra 10. h. t.* Quale privilegium concessum est ordini Prædicatorum, & Minorum in *d. Clem. dudum. §. hujusmodi.* Imò defacto omnibus Monasteriis Regularium vel ex consuetudine jus sepeliendi defunctos competere ex Lancelloto refert P. Engel *h. t. n. 3.* Hujusmodi autem privilegium non solum summus Pontifex, sed etiam Legatus de latere intra suam Provinciam, Episcopi, & quasi Episcopali jurisdictione præditi, intra suas Dioceses concedere possunt. Panormit. in *d. c. 9. h. t. n. 8.* Molin. *diff. 214. n. 21.* Barbol. *de officio Parochi. c. 26. n. 9.*

Porro qui nullo jure, aut privilegio muniti defunctum in Ecclesia sepeliunt, maximè si id dolosè, & violenter faciant, tenentur tam ipsum cadaver, quam omne id, quod occasione funeris perceperunt, Ecclesiæ Parochiali, ubi de jure sepeliendus erat, restituere. *c. 6. h. t.* ordinariè tamen cadaver exhumari non debet, propter scandalum, & alia incommoda, sed solum oblationes, & quæcunque occasione sepulturæ percepta, restitui debent juxta text. & DD. in *cap. 10. §. ult. hoc tit.*

Kk 3

§. V.

§. V.

7 *Obiectam* sepulturæ sunt corpora Christianorum defunctorum. per c. 28. causâ 13. q. 2. c. 27. & 28. dist. 1. de Consecrat. Ubi *Quæres I.* In qua Ecclesia, aut cœmeterio quisque sepeliri debeat? R. &

Dico I. Cuius liberum est, eligere, ubi post mortem suam sepeliri velit. c. 1. 3. 4. 8. & 10. h. t. c. 1. & 2. Eod. in 6. dummodo eligatur locus, qui jus sepulturæ vel ex jure communi, vel ex privilegio habet. c. 16. & 17. de Ex. off. Pralat. Quod adeo verum est, ut etiam filius familias inconsulto Patre, modo pubes sit, & uxor etiam invito marito sepulturam sibi eligere possint, non obstante potestate aliena, cui subsunt, quia disponunt in tempus, quò potestas illa penitus cessabit, scilicet post mortem, quæ omnem potestatem solvit. c. 7. h. t. c. 4. Eod. in 6. Excipiuntur Religiosi, quibus potestas eligendi sepulturam extra suum Monasterium non est, nisi ita remoti sint, ut ad id, cum moriuntur, commodè deportari nequeant, tali namque casu ex licentia à Jure indulta sepulturam sibi eligere permittuntur. c. ult. h. t. in 6.

8 *Dico II.* Nullâ sepulturâ electâ defunctus in sepulchro majorum, si quod habet, sepeliendus est: quia tacitè hoc sibi elegisse videtur, dum sibi à Majoribus paratum agnovit, nec tamen contrariam voluntatem declaravit. c. 1. h. t. c. 3. Eod. in 6. Excipitur fœmina conjugata, vel vidua, quæ non in sepulchro suæ familiæ, aut Majorum, nisi specialiter id elegerit, sed in sepulchro mariti, & si plures habuit, ultimi sepelienda est: uti enim unaquæque mulier relictâ familiâ propriâ virum suum in vita, sic & in morte sequi debet. c. unaquæque causâ 13. q. 2. c. 3. h. t. in 6.

9 *Dico III.* Qui nec ipsi sibi sepulturam elegit, nec à Majoribus, vel à Marito determinatam sepulturam habet, in cœmeterio Ecclesiæ suæ Parochialis, ubi vivus Sacramenta fre-

quentare solebat, tumulari debet. c. 1. & 10. h. t. c. 1. Eod. in 6. adeo, ut tamen aliquis extra Parochiam moriatur, v. g. in villa sua, ubi recreationis causâ comorabatur, nihilominus non in ea Parochia, ubi decessit, sed in qua domicilium habuit, sepeliendus sit, siquidem commodè deferri possit. c. 3. Eod. in 6. Quod si defunctus in duobus locis domicilium habuit, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare solitus fuit, in illa sepeliatur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus est, in ea, ad quam arbitrio amicorum commodius deportari potest. arg. c. 2. h. t. in 6. Econtra si aliquis nullam omnino certam Parochiam habuit, vel si ad Parochiam suam comodè deferri non possit, ut peregrinus, miles, vagabundus; pro diversâ locorum consuetudine, aut commoditate vel in Parochia, in qua decessit, vel relictus in cœmeterio Ecclesiæ cathedralis, si in eo loco aliquid extat, sepeliri debet per ea, quæ notat Sylvester d. num. 8. Panormit. in c. 1. h. t. n. 4. ubi rationem subdit; quia Ecclesia Cathedralis talibus administrat Sacramenta. c. officium de Offic. Archid.

Quæres II. Quinam in loco sacro sepeliri possint? R. pro regula tenendum: omnes fideles piè & religiosè defunctos sepulturâ Ecclesiasticâ gaudere. c. 28. causâ 3. q. 1. Unde I. Excluduntur gentiles, Judæi, & omnes non baptizati. c. 27. & 28. de Consecrat. dist. 1. etiam infantes Christianorum, qui decesserunt sine baptismo, ut ostendit quotidiana Ecclesiæ praxis, nisi in utero matris mortui sint, tunc enim tanquam pars ventris cum matre sepeliuntur. Gloss. in c. 35. dist. 4. de Consecrat. Armilla V. sepultura n. 21. Murga disquis. moral. t. 2. disq. 1. dub. 11. n. 3. & 4.

II. Hæretici, eorumque in crimine hæreseos defensores, fautores & receptatores, licet hæresis post mortem primùm fuerit manifestata. c. 8. c. 13. de Hæret. c. 2. Eod. in 6.

III. Po-

III. Publicè, & notoriè excommunicati, quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis in sepultura communicare debemus. *c. 1. causâ 24. q. 2. c. 12. h. t.* ubi excommunicati in loco sacro sepulti, si ab aliorum corporibus discerni valeant, exhumari jubentur. His accensentur notorii, & denunciati interdicti. *Clem. 1. h. t. c. is cui. 10. de Sent. Excomm. in 6. c. 8. de Privileg. in 6.* Sitamen interdicti, uti & excommunicati ante obitum pœnitentiæ signa dedissent, & quò minus reconciliarentur, per eos non stetit, etiam post mortem absolvendi, & sepulturæ Ecclesiasticæ, sed non ante absolutionem, mandandi essent. *c. 28. de sent. excomm.*

IV. Usurarii manifesti, quamvis in extremis pœniteant, nisi tamen vel actu restituant, vel saltem de restituendo idoneam cautionem præstent, non sepeliuntur: *c. 3. de Usur. c. quanquam. 2. Eod. in 6.* Raptores & incendiarii, si ante restitutionem sine signis pœnitentiæ decedant: *c. 2. & 5. de Raptor. Decimas Ecclesiæ debitas injustè detinentes: c. prohibemus. 19. de Decimis. Maledici, sive blasphemii. c. 2. de Maled. Religiosi proprietarii: c. 2. & 4. de Statu Monach. qui omiserunt confessionem annuam, & communionem paschalem, nisi specialia signa pœnitentiæ dederint: c. 2. de Pœnit. & remiss. qui in torneamentis occiduntur, *c. 1. de Torneament.* aut in duello occumbunt, etiam si pœnitentes decedant. *Trid. sess. 25. de Reformat. c. 19. & nos infra ad tit. de Cleric. puniant. in duello n. 17. & 20.**

V. Omnes in notorio, & certo peccato mortali absque pœnitentiâ decedentes per *c. 19. & 21. causâ 13. q. 2.* Censentur autem in peccato mortali decessisse, ac propterea sepulturâ Ecclesiasticâ indigni, qui in ipso crimine furti, vel adulterii interempti sunt. *c. fures 31. causâ 13. q. 2.* Item illi, qui sibi ipsis mortem consciverunt ex desperatione, ira-

cundia, tædio vitæ, impatientia doloris, vel criminis conscientia. *c. 12. causâ 23. q. 5. Farinac. in praxi criminali q. 128. n. 17.* asserens, sui interfectoris cadaver, si per ignorantiam in loco sacro sepultum fuisset, compertò errore exhumandum, & extra sacrum locum projiciendum esse. Secus est, si quis ex fatuitate, amentia, aut alia mentis alienatione, & præter intentionem se occidisset, aut casu in flumen immersus occubisset. *c. 11. h. t.* vel si quis illato sibi ex desperatione lethali vulnere, postea adhuc ederet pœnitentiæ signa; talem enim non esse privandum sepulturâ Ecclesiasticâ, docet Sylvester *V. sepultura. n. 9.* Adde, quòd adhuc, ut in puteo, aut flumine submersus, laqueo suspensus, ferro, aut veneno interfectus à sacra sepultura removeatur, constare debeat Ecclesiæ, quòd à se ipso interfectus sit: & quòd in dubio præsumatur, potius vel casu, vel ex mentis alienatione, vel per vim, aut insidias, ab alio, quàm sponte à se ipso interfectum, cum in dubio delictum, præsertim tam grave, de nemine præsumatur. *l. 51. ff. pro socio. Barb. de Offic. Paroch. c. 26. n. 49. Navarr. h. t. consil. 7. Covar. var. resolut. lib. 2. c. 1. n. 11.*

§. VI.

Forma sepulturæ stat in pompa funerali, cultu exequiarum, & reliquis sacris ceremoniis, quibus sepultura adornatur juxta gradum, qualitates, & facultates defunctorum. De his vide Jac. Pignatell. *tom. 4. consult. 229.* ubi eas contra hæreticos egregiè defendit.

§. VII.

Finis sepulturæ est, ut in mortalibus excitetur memoria mortalitatis, & futuri ex hac vita exitûs, quâ nulla est salubrior cogitatio. *Eccles. 7.*

§. VIII.

Effectus sepulturæ est perceptio funeralium. *13* Nomine autem funeralium non solum intelliguntur ea, quæ cum funere deferuntur, ut

voluit Gloss. in Clem. 2. h. t. sed omnia, quæ obveniunt Ecclesiæ ratione funeris, ut sunt mortuaria, oblationes, pannus, quò tumba, vel parietes teguntur, candelæ, aliæve pro locorum consuetudine, teste Barb. in d. Clem. 2. num. 27.

14. Illud hic *quæri* potest: quid juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam, aut in sepulchro Majorum sepeliatur? R. quòd propter curam, & consueta onera præcipuè ratione obligationis administrandi Sacramenta Parocho debeatur *portio canonica*: & si defunctus in duabus Parochiis æqualiter domicilium habuerit, ac Sacramenta mixtim perceperit; atque in tertio aliquo loco sepulturam elegerit, portio canonica inter utramque Parochiam dividenda sit. c. 1. 8. & 10. h. t. c. 2. Eod. in 6. Trid. sess. 25. c. 13. de Reformat. Est autem ista *portio canonica* nihil aliud, quàm certa pars funeralium, & omnium illorum, quæ occasione funeris quocunque titulo alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, obveniunt, proprio Parocho restituenda. Quanta verò sit ista portio? sæpiùs dubitatur: nam in c. 1. h. t. dicitur esse *tertia* in c. 2. *media*, & in c. 8. Eod. *quarta* pars prædicatorum honorum. De jure loquendo esse quartam partem colligo ex Clem. 2. h. t. ubi absolute *quarta* appellatur, & cum portione *canonica* identificatur. Neque obstat c. 1. & 2. h. t. quia loquuntur de speciali consuetudine prout colligitur ex c. 9. Eod.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

SUMMARIA.

1. Parochia etymologia. 2. homonymia. 3. definitio.
4. Origo. 5. Quis possit constituere Parochiam? 6. Quinam dicantur Parochiani proprii, aut alieni?
7. usq. 12. Reversentur requisiti ad constituendam Parochiam. 12. finis Parochia. 13. ejus effectus.

Cum sepultura in propria Parochia sit peragenda, idcirco subjicitur rubrica de Parochiis & alienis Parochianis.

§. I.

Parochia dicitur quasi *partitio cura*: quòd cura populi partita sit inter Ecclesias Parochiales. Panorm. ad rubr. h. t. n. 1. Alio nomine vocatur *Paracia*, quòd à S. Gregor. Magno lib. 12. Regist. Episc. 2. usurpatum reperitur.

§. II.

Acceptio Parochiæ duplex in jure reperitur, aliquando enim denotat totam Diocesim, sive civitatem & territorium, in quo Episcopus jurisdictionem spirituales exercet. c. 1. 2. & 3. dist. 92. sicut vox *Parochianus* subditos Diocesanos significat, c. nullus 3. h. t. frequentius & in præsentem accipitur pro districtu Ecclesiæ Cathedrali inferioris, ut demonstrat Gonzalez ad c. 2. h. t. n. 8.

§. III.

Definitur Parochia, quòd sit locus certis finibus circumscriptus, in quò degit populus alicui Ecclesiæ deputatus cum Presbytero sive Rectore, à quò Sacramenta, verbum Divinum, aliæque spiritualia ex officio ministrantur. Panorm. in c. extirpanda. §. qui verò, n. 20. de Prabend. Sylvest. in V. Parochia.

§. IV.

Causa efficiens Parochiæ alia est *remota*, alia *proxima*.

Remota est Jus Ecclesiasticum, quò juxta exigentiam necessariæ administrationis Sacramentorum Parochiæ distributæ sunt: nam licet initio soli Episcopi essent Rectores Diocesim, quas administrabant per Sacerdotes ad nutum & beneplacitum à se missos, cum assignatione determinati temporis, modi & limitum suæ administrationis (qui modus teste Henriquez adhuc in Diocesi Hispalensi & Cordubensi perseverat) succedente tamen tempore ob multiplicationem populi Christiani, & efficacius ejusdem regimen, Dioceses

In Parochias divisae sunt, designato cuilibet Parochiae suo stabili Parocho, idque ex decreto S. Anacleti Papae in *Epist.* 3. quam ad omnes Episcopos & Sacerdotes scripsit, & aliò Dionysii Papae circa annum 260. emanatò, cujus hæc super re ordinatio extat in *Epist. ad Severum* relatà in *c. 1. causà 13. q. 1. c. 9. de his qua sunt à Pralat.* Barb. *J. E. V. lib. 1. c. 1.*

Proxima est S. Pontifex, aut Episcopus, qui Ecclesiam Parochialem constituit mediante speciali erectione in titulum parochialem cum finium & plebis designatione. *c. nullus omnino causà 16. q. 7.* Azorius *Inst. moral. p. 2. l. 3. c. 11. q. 14.* Et verò si Parochiae non habeant certos fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta ministrant, Episcopus pro tutiori animarum sibi commissarum salute distincto populo in certas, propriasq; Parochias unicuique suum perpetuum peculiarémq; Parochum assignare potest. *Trid. sess. 24. de Reform. c. 13.* Imò ubi propter locorum distantiam Parochiani non nisi cum magno incommodo ad propriam Parochiam accedere queant, vel si numerus Parochianorum in tantum excreseat, ut populus non sufficienter per unam Parochum regi possit, potest Episcopus erigere novam Parochiam juxta *c. ad audientiam, 3. de Eccl. adif. & Trid. sess. 21. de Ref. c. 4.*

§. V.

Subiectum Parochiae sunt *Parochiani*, non *alieni*, sed *proprii*, qui intra limites Parochiae Parochi curæ subijciuntur; tales sunt, quicumque intra limites Parochiae ab Episcopo determinatos verum, vel etiam quasi domicilium figunt; quod verum non tantum de Laicis, sed etiam de Clericis, imò etiam de Beneficiatis, vel Curatis, qui neglecto suo beneficio intra fines Parochiae alienae stabile domicilium habent. Neque interest, trum ad residentiam in suo beneficio obligentur, adeòq; male faciant si alienam Parochiam commorando: quia

etiam injustum domicilium parochianum facit, ut bene docet Tuschus *lit. P. conclus. 99. n. 2.* Quòd si quis habitet in confinio duarum Parochiarum, censetur Parochianus illius, in qua domus habet aditum. ex notabili doctrina Bartol. in *l. 6. n. 6. in fin. ff. de Damn. infect.* Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. numer. 71. p. 2.* Quòd, si domus habeat duas portas, quarum una tendat ad unam, altera ad aliam, judicetur de ea Parochia, in qua residet porta principalis, & aditus magis frequentatus. Aloys. Ricc. in *Prax. for. Eccles. decis. 333. in 1. edit. resol. § 10. in 2. edit.* Cæterum, quæ requirantur ad domicilium constituendum, colligi potest ex iis, quæ tradidi in *principiis ad tit. de Foro compet. an. 8.*

§. VI.

Forma Parochiae consistit in requisitis, quorum quatuor.

Primum est Auctoritas Episcopi, limites sive fines designantis, & populum Parochianum constituentis. *c. nullus omnino causà 16. q. 7.* ideòque in controversiis an Ecclesia sit Parochialis, inter cætera quoque inquiri solet, quando, & cujus consensu vel auctoritate talis sit constituta. Azorius *Instit. moral. lib. 3. c. 12. q. 14.* Erecta tamen præsumitur Superioris auctoritate, & consensu, ex lapsu temporis, ex celebratione Divinorum officiorum, Sacramentorumq; administratione. Barb. cum aliis *de Offic. & potest. Paroch. c. 1. n. 38. & 39.* *Secundum* est locus certis limitibus ab Episcopo constitutus, in quo populus alicui Ecclesiae deputatus degit. *c. Ecclesias causà 13. q. 1.* neque enim Ecclesia Parochialis salutari potest quæ non habet distinctionem limitum, domum & personarum, adeò ut si ministrant Sacramenta sine illis requisitis, signum manifestum sit, quòd non sit Parochia, sed Capella constructa pro succursu & auxilio Matris Ecclesiae, atque ut magis commodè fidelibus Sacramenta ministrantur. Rebuff. *de Decim.*

q. 6. n. 1. Rota *decif.* 268. n. 6. p. 1. *Recent.* Quamvis autem in Concilio Toletano relato in c. unic. *causà* 10. q. 3. constitutum sit, quòd Ecclesia Parochialis debeat sub se habere decem *municipia*, vel ut alii legunt, *municipia*, id est, *domus aut familias* Barb. *de Offic. & potest. Paroch.* n. 20. nihilominus de jure hodierno alia regula dari non potest, nisi quòd tanta debeat esse Parochia, ut & Parochus ex decimis & oblationibus congruam sustentationem habere, & aliunde populus commodè ad Ecclesiam Parochialem convenire, ibiq; Sacramenta percipere, & officia Divina frequentare possit.

9 *Tertium*, & principale requisitum est potestas fori pœnitentialis, scilicet potestas ligandi, atque solvendi, exercenda à Sacerdote, qui ratione muneris, quod gerit, Sacramenta fidelibus ministrare, & ab his illa percepturis adiri debet. Gloss. in *Clem. dudum. de Sepult.* Mascard. *de Probat. conclus.* 469. Rota *decif.* 52. p. 2. *divers. & decif.* 380. p. 5. *Recent.*

10 *Quartum* requisitum Parochiæ est, ut habeat proprium Rectorem, qui curam exerceat nomine suo, & non tantum alieno. c. *extirpanda. §. qui verò de Prabend.* imò qui exerceat curam hanc nomine suo singulariter, & solus, non cum aliis ad regimen Ecclesiæ Parochialis adjunctis, ut declarat Rota in *decif.* 52. à num. 1. usque ad 17. p. 2. *divers.* quia quemadmodum una mulier non potest duos, vel plures sponfos habere. c. 1. *de Sponsa duor.* nec unum corpus duo capita. c. *quia plerisque de Offic. ordin.* sic nec Ecclesia duos, aut plures curatos. c. *cùm non ignorus. 15. de Prob. c. in apibus causà* 7. q. 1. c. *sicut una. 22. q. 2.* Mascard. *loc. cit.*

11 Atque hæc quatuor requisita ordinariè probanda sunt, ut Ecclesia parochialis esse credatur. Barb. *de Offic. & potest. Paroch.* p. 1. c. 1. n. 27. Alia indicia, & proprietates Ecclesiarum Parochialium, ut quòd omnes Ecclesiæ

parochiales curam animarum in foro pœnitentialem exerceant: quòd certus populus ibi missam, conciones & Divina audiat: quòd Evangelia constanter asservetur: quòd matrimonia ibidem celebrentur: quòd fontem baptismalem, item cœmeterium, & jus sepeliendi defunctos habeat: quòd Rectori Ecclesiæ decimæ solvantur, oblationes fiant; singula quidè præsumptionem faciunt pro Ecclesia Parochiali, & e contra, si unum ex dictis indicis desit, contraria præsumptio inducitur, certum tamè est, quòd nonnulla ex iis etiam Ecclesiæ non Parochiali competere possint, & e contra multæ sint Ecclesiæ Parochiales, in quibus ea omnia non reperiuntur, vel propter negligentiam Parochorum, vel per contrariam præscriptionem, aut concordata specialia. Ceterum *Parochialitas* non probetur, Ecclesia potius simplex, quàm parochialis præsumitur. Garz. *de Benef.* p. 1. c. 6. n. 8. Barb. *de Offic. & potest. Paroch.* c. 1. n. 36. & 37. Rota *decif.* 101. in *fin. decif.* 233. n. 4. *decif.* 258. n. 5. p. 1. *Recent.*

§. VII.

Finis, ob quem distinctæ sunt Parochiæ, assignatò cuilibet proprio Parochò, est, ut unusquisque diligentius suas oves cognoscat, custodiat, & gubernet, & earum rationem Domino reddat. arg. c. 1. *causà* 13. q. 3.

§. VIII.

Effectus Parochiæ spectatur in *Juribus Pa. 13. rochialibus*, quæ varia refert Panorm. ad rubr. *h. t. n. 2.* & Azorius p. 2. *Inst. moral.* lib. 3. c. 12. q. 4. Præcipua sunt.

I. Quòd Parochiani in Parochiali Ecclesia teneantur recipere Baptismum: ex quo Episcopi officium baptizandi, quod ipsis per se primò competit, Parochis duntaxat communicarunt. Barb. *de Offic. & potest. Paroch.* c. 18. n. 1. ubi cum comuni docet, Parentes graviter peccare, si proles suas extra casum necessitatis, vel sine licentia Parochi alieno baptizandas offerant.

II. Quòd in ea Parochiani quotannis semel con-

confiteri, & in paschate sacram Eucharistiam percipere debeant. *c. omnis utriusq. de Pœnit. c. remiss. Zoëf. h. t. n. 2.* ubi rectè advertit, Sacramentum Pœnitentiæ à Parocho, vel Presbytero alieno sine expressa, vel tacita licentia, proprii Parochi administratum penitus invalidum esse propter defectum jurisdictionis. Sed hoc ita spectato *jure communi*, cujus rigor multum mitigatus est, dum passim extra tempus Paschale Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non tantum apud Regulares specialiter privilegiatos, sed & in aliis Ecclesiis ex privilegio vel consuetudine non contradicentibus, atque ita saltem tacite consentientibus Parochis frequentantur. *P. Engel h. t. n. 25.*

III. Quòd in Ecclesia Parochiali matrimonium, seu nuptiæ solenni ritu celebrandæ sint. *c. 1. de Claustr. desponsat. Trid. sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim.* ita quidem, ut matrimonium, cui sine licentia proprii Parochi assistit alienus, irritum sit juxta *Trid. d. c. 1.*

IV. Quòd à proprio Parocho tempore debito petendum sit Sacramentum Extremæ unctionis. *Clem. dudum. de Sepulturis. Clem. 1. de Privil.* ubi Regularibus etiam exemptis sub excommunicatione prohibetur, ne sine licentia Parochorum Sacramentum hoc administrent.


V. Quòd Parochiani in Ecclesia Parochiali diebus Dominicis & Festis Divinis interesse obligentur juxta *c. 2. h. t.* ubi Parochi, priusquam talibus diebus Missam celebrent, alienos Parochianos ejicere jubentur; & *Extra. tit. 2. de Treuga inter comm.* ubi fratribus Mendicantibus prohibetur, ne prædicent, populum ad Missam diebus festis in propria Parochia audiendam non teneri. Hodie tamen de consuetudine, & propter diversa Religiosorum privilegia, videmus ubique contrarium observari, & pro cujuslibet comoditate diebus etiam festivis extra Ecclesiâ Parochialem Missas, & Divina officia frequentari.

VI. Quòd defuncti Parochiani in Ecclesia Parochiali ordinariè sepeliri debeant, ut constat ex dictis *tit. proced. n. 9.*

VII. Quòd Parocho quotannis solvendæ sint decimæ præter primitias, & alias oblationes, de quibus *tit. seq.*

VIII. Quòd Ecclesia parochialis gaudeat privilegio, ut intra fines suos alia Ecclesia, vel Capella non possit ædificari invito ejus Rectore. *c. quicumque causâ 16. q. 1. Barb. de Off. & pot. Paroch. c. 1. n. 26. §. & ista Ecclesia.*

IX. Quòd finibus Parochiarum, si de iis legitima autoritate constitutis constet, ne quidem præscriptione 100. annorum, vel temporis immemoralis præscribi possit. *c. 4. & ibi Panorm. Barb. ac alii h. t.* cum enim præscriptio à jure positivo vim suam habeat, ei locus esse non potest, ubi lex, vel canon resistit. *c. 6. causâ 16. q. 3. l. 3. C. de Fundis limitrophis.*



TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARI A.

1. Decimarum definitio nominalis. 2. Definitio realis.
3. Divisio. 4. An dentur decimæ mixtæ? 5. Quo jure sint introductæ? 5. usq. 11. Quinam teneantur solvere decimas, qui non? 11. 12. 13. 14. Quibus solvenda sint decimæ? 15. 16. Quorum proventuum decimæ præstandæ sint? 17. 18. 19. Quo modo solvenda sint? 20. Quis sit finis decimarum? 21. Quinam effectus? 22. 23. de Primitiis & Oblationibus.

Inter jura Parochialia non postremum locum obtinet jus decimarum, primitiarum, & oblationum.

§. I.

Vox *decimarum*, si notionem, & derivationem ejus spectes, decimam cujusque rei, vel honorum partem significat, unde comprehendit quoque decimas, quæ solvuntur titulo merè profano, & exiguntur instar tributi à Dominis temporalibus prædiis aliquando impositi: item eas, quas urgente Ecclesiæ necessitate SS. Pontifices de bonis Ecclesiasticis sibi, vel aliis ad tempus solvendas extra

ordinem exigunt juxta *Clem. 2. h. r. & Extrav. 1. Eod. inter commun.* Secundum communem verò usum loquendi decimæ significant quamvis aliam partem frugum, & bonorum quotannis Ecclesiæ Ministris præstandam juxta *c. 4. causâ 16. q. 7.* & vernacula dicuntur *der Zehend.*

§. II.

2 *Definiuntur* decimæ, quòd sint certa quota, id est, decima pars fructuum, & proventuum, seu lucrorum justè acquiritorum, DEO in recognitionem universalis domini debita, & ipsius ministris propter spirituale ministerium persolvenda. *P. Engl. h. r.*

§. III.

3 *Dividuntur* decimæ in prædiales, & personales. *Prædiales* sunt, quæ solvuntur de terræ fructibus. Et hæc rursùm sunt *maiores*, & *minores*, seu *minuta*, vulgò *grosser/ und fleisner Zehend*: *maiores*, quæ scilicet ex frumento, oleo, vino, penduntur: *minores seu minuta*, quæ ex hortis, de sale, agnellis, vitulis, fuculis, lana, caseis, butyro, pullis, ovis, & similibus præstantur. *c. 3. & 30. & ibi Gloss. h. r. Zoëf. eod. n. 14.* *Personales* dicuntur, quæ solvuntur ex acquisitis personæ labore, & opera, sive proveniant ex artificio, industria, scientia, militia, mercatura, negotiatione, piscatione, venatione, vel ex alio quolibet actu, & quæstu licito. *c. 20. c. 22. & 28. h. r.* harum rarior usus est, & in Germania omnium pene locorum consuetudine, vel disuetudine sublata sunt. *Besol. thesaur. præf. voc. Zehend. Joan Werndle l. 2. c. 1.*

4 Tertium quoque genus decimarum constituit *Hostiens.* in *Summa h. r. §. 1. Gonzal. in d. c. 7. h. r. n. 4.* & communiter alii, quas *mixtas* vocant, partim scilicet prædiales, quatenus proveniunt à natura, partim verò personales, quatenus hominum industria accedit, & hujusmodi censent esse decimas animalium, seu ex fructibus pecorum, vel avium, ut gallinarum, apum, perceptoras, scilicet ex lana, lacte, ovis,

melle. Attamen aperta ratio est, quare hæc speciem pro genuina agnoscere nequeamus: quia enim natura plus cooperatur, quam industria hominum: & aliàs quoque omnes reliquæ decimæ prædiales mixtæ dici deberent, eò quòd fermè semper aliqua hominum industria intervenire soleat, ut patet in plantandis vineis, colendis agris &c. hinc decimæ animalium ad prædiales non incommode revocari poterunt. Accedit, quòd in *c. ad Apostolica 20. h. r.* & alibi tantum de duobus prædictis decimarum generibus mentio fiat, & ita jura hæc duo tantum agnoscere videantur. *P. Engl. num. 1. Pirrhing. n. 4. h. r. P. Jacob Wex in insign. manip. decim. q. 2. n. 4.*

§. IV.

Causa efficiens decimarum duplex est: alia *remota*, alia *proxima*.

Remota est jus; quò jure autem introductæ sint decimæ, Divino, an Ecclesiastico? non una omnium est sententia. Receptor distinguit in decimis *substantiam*, quatenus sunt necessarium stipendium ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & *taxationem, quotam, seu quantitatem* decimarum, quatenus scilicet sunt decima pars fructuum. Decimæ quoad *substantiam*, seu ut alii loquuntur *materialiter* consideratæ non tantum jure humano, sed etiam naturali & Divino debentur, jure naturali quia naturalis ratio dicitur spiritualia ministratibus necessariam vitæ sustentationem, tantquam debitum stipendium, tribuendam esse; jure Divino positivo, quia Christi testimonio *dignus est operarius cibo suo: Matth. 10. v. 10.* & effato Pauli *1. ad Corinth. 9. §. 14. Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Et in hoc sensu accipiendi sunt textus in *c. 2. causâ 16. q. 2. in c. 1. causâ 16. q. 7. in c. 14. & 25. h. r.* in quibus asseritur, decimas à DEO institutas, & jure Divino introductas esse. Econtra decimæ *formaliter*, seu quoad ipsam quotam spectatæ neque sunt

juris

juris naturalis: cum nulla ratio naturalis, imò
vix aliqua convenientia adferri possit, cur præ-
cisè decima, & non undecima, vel nona pars
pendenda sit? neque Juris Divini, eò quòd in
Testamento novo nullum extet præceptum,
& licet in veteri Testamento præcisè decima
pars Sacerdotibus sit attributa *Levit. 22. & 27.*
quia tamen hæc lex non fuit lex moralis, in ra-
tione aliqua naturali fundata, sed partim cere-
monialis, partim judicialis, ut docet S. Thom.
2. 2. q. 87. art. 2. in C. ea cum aliis hujusmodi
legibus per mortem Christi extincta est, nec
in Ecclesia obligat, nisi quatenus ab eadem
denuo fuit reassumpta per c. un. de Paris. post
part. Gutierrez Can. quæst. lib. 2. c. 21. n. 16.
Covar. lib. 1. var. resol. c. 17. in pr. Clariss. P.
Jacob Wez in manip. decim. q. 3. per tot. Ad-
de, quòd aliàs obligatio præstandi decimas nec
privilegio remitti, nec consuetudine tolli, ac
minui possit, cum tamen defacto privilegio
Apostolico Regulares quodammodo à sol-
vendis decimis eximantur. c. 10. h. t. c. fin. de
Privileg. & plurimorum fructuum decimæ
consuetudine omninò sublata sint, appro-
bante hujusmodi consuetudinem c. 32. h. t.

6 Proxima sunt illi, qui decimas solvunt, cer-
tum autem est, omnes cujuscunque ordinis,
vel dignitatis sint, etiam Reges & Principes
teneri ad decimas solvendas, nisi specialem ex-
emptionem allegare possint. *c. 23. & 24. h. t.*
Igitur I. & præcipuè decimas solvere tenen-
tur Laici. *c. 14. 26. & 32. h. t.* etiam Judæi &
paganus de prædiis, ac fundis, quæ à Christianis
Possessoribus ad ipsos pervenerunt venditio-
ne, permutatione, aliòve titulo, nisi ejusmodi
prædia, aut fundos dimittere malint per Text.
inc. 16. Eod. & in c. 18. de usur. Ratio est, quia
ex quo tempore Dioceses distinctæ sunt in
Parochias, prædiis ntra harum fines existen-
tibus annexa est obligatio pendendi partem
decimam fructuum Ecclesiæ Parochiali, quæ
obligatio tanquam onus reale ipsi prædiis in-

hæret, & ad quemcunque possessorem tran-
sit. *arg. c. 5. de Pignor.*

II. Clerici & Parochi, qui respectu prædio-
rum in aliena Parochia sitorum decimas sol-
vere debent de illis bonis, & fructibus, quos
habent titulo, ac jure sæculari, puta ex patri-
monio, hæreditate, donatione, quia quantum
ad hoc pro Laicis habentur, ad eò quidem, ut
tametsi ipsi Episcopi, & alii Prælati etiam ex-
empti agros patrimoniales possideant in alie-
na Parochia, nihilominus ad decimas obligen-
tur. *c. 42. & 44. causâ 16. q. 1.* Aliud dicendū
de bonis, & fructibus, quos Clerici recipiunt
jure clericali, cujuscumque sunt, fructus & reddi-
tus beneficiales; de quibus procedit textus in
c. 2. h. t. qui ita habet: *novum genus exactiois*
est, ut Clerici à Clericis decimas exigant. Lay-
man in *Theol. moral. lib. 4. tr. 6. c. 3. n. 1.* Barb.
J. E. V. lib. 3. c. 26. §. 3. n. 10. Pirrhing. *h. t.*
n. 40. Panorm. & alii Interpp. *ad cit. c. 2.*

III. Monachi, ac Religiosi tam exempti, 8
quàm non exempti de prædiis, quæ ab aliis
conducta habent. *c. 8. h. t.* sicut & de terris, ac
possessionibus acquisitis hætenus, & amodò
acquirendis, quæ decimales fuerant, solvere co-
guntur. *c. 3. 4. & 34. h. t. c. 2. §. ceterum. Eod.*
in 6. generalitamen privilegio in corpore juris
inserto omnes Religiosi in tantum immunes
sunt, ut saltem in hortis, & nutrimentis anima-
lium, item de novalibus auß den neubrûchen/
quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt,
decimas non persolvant per text. *in c. ex parte*
10. h. t. specialiter verò Cistercienses, Tem-
plarii, & Hospitalarii privilegiati sunt in om-
nibus agris ante datum privilegium acquisi-
tis, quos proprio labore colunt. *d. c. ex parte*
juncto c. 34. Eod.

Porro exemptio à solvendis decimis acquiri
potest I. Privilegio, non quidem Principis
Laici, *c. 25. h. t.* vel etiam Episcopi, quia iste
jus commune relaxare nequit, sed solius Papæ
juxta *cit. c. ex parte 10. h. t.* Interim hujus-

modi privilegia sive Clericis, sive Laicis concessa strictè interpretanda, nec ad novaalia extendenda, & si valde damnosa sint Ecclesiis, ita scilicet, ut Rectores non habeant congruam sustentationem, quoad excessum per Episcopum loci corrigenda sunt per *c. 31. de Privil. c. 2. h. t. in 6.* Amplius: si ex postfacto privilegium exemptionis incipiat redundare in gravem læsionem Ecclesiæ, ut si certa Religio, Hospitale, vel aliud certum genus hominum à decimis eximatur, successu temporis autem exempti in tantum multiplicentur, & locupletentur, ut major ferè pars agrorum ab ipsis possideatur, eo, inquam, casu privilegium impugnari posse, quasi res ad eum casum devenerit, quem, si S. Pontifex prævidisset, tam generale privilegium concessurus non fuisset, textus est in *c. 9. h. t.*

9 II. *Præscriptione* quadragenariâ cum titulo: quia minor contra Ecclesiam non currit; sine titulo autem temporis immemorialis. *c. 1. de Præscript. in 6.* Potest autem hanc immunitatem etiam Laicus præscribere, non obstante, quòd jus decimandi præscribere nequeat. *c. 7. Ead.* id enim inde est, quòd Laicus jus decimandi, utpote rem spiritualem, possidere non possit, quæ ratio in proposito non militat; ex quo laicus non solvens decimas nullum jus spirituale usurpat, sed tantum integros fructus percipit ex agro suo, & contra Parochus jure suo decimandi non utitur: neque enim aliud ad præscriptionem immunitatis requiritur, quàm ut Parochus jure suo non utatur, atque ita per suam negligentiam & non usum jus decimandi amittat, quòd ipsò Laicus immunitatem acquireret sine alia possessione. Cardinal. de Luca *discurs. 1. de Decim. n. 26. & 29.* Molin. *de F. & F. tr. 2. disp. 75.* Pirrhing. *h. t. n. 130.*

10 III. *Gratuità cessione, aut compensatione*, ut si Parochus decimas Religiosis pro re, sive jure aliquo spirituali, quò ad faciendas v. g.

conciones, vel administranda Sacramenta in Ecclesia Parochiali obligarentur, remitteret. *c. 3. h. t. c. 2. & 8. de Transact. P. Engel ibid. n. 5.* Quæ tamen remissio, si sit perpetua, probabilius fieri debet auctoritate Sedis Apostolicæ juxta *d. c. 8.* si verò ad tempus tantum, sufficit intervenire auctoritatem Episcopi. Gloss. in *Clem. 1. V. propriis. de Reb. Ecclesi. non alien.* Sed an hæc immunitas pro re temporali commutari possit? *ambiguitur.* Dixeris, posse, siquidem juxta dicta immunitas à solvendis decimis nihil est spirituale. At contrarium perspicue decisum est in *c. fin. de Rev. permut.* ubi contractus inter duos Prælatos inicitus, quorum unus volebat à petitione decimarum desistere, si alter certam pecuniæ summam refunderet, penitus annullatur, ex ratione, quòd permutatio à spiritualibus ad temporalia à jure improbatam sit. Neque adversatur ratio opposita: quoniam licet ipsa immunitas nihil spirituale sit, atque adeò is, qui immunitatem emeret, nihil spirituale acquireret, nihilominus alter, qui immunitatem venderet, hoc ipsò jus suum decimandi, quòd spirituale est, vendere deberet, quòd est simoniacum.

§. V.

Subiectum decimarum sunt personæ, aut Ecclesiæ, quibus debentur. Certum autem est post factam in singulis diocesis Parochiarum, & beneficiorum divisionem eas jure communi Ecclesiis parochialibus, seu Parochis propter ministerium spirituale populo exhibitum solvendas esse, adeò ut hodie Parochus fundatam intentionem in jure habeat etiam contra Episcopum, cui proinde cum Parocho concurrenti onus probandi incumbet, quòd jus decimarum vel ex privilegio, vel aliunde habeat. *c. 29. & 30. h. t.* Covar. *lib. 1. var. resol. c. 17. n. 7.* Barbof. *de Off. Parochi c. 28. §. 2. n. 7.* Sicut ex adverso quoad quartam decimarum, sive portionem canonica-

1200 etiam Episcopi intentio in jure fundata
est. c. 16. de Offic. Ordin. c. 13. h. t.

12 *Quæres I.* Cui Parocho decimæ solvendæ
sint, si Parochianus in diversis Parochiis prædia
possideat, aut si in una Parochia habitet, in alia
verò agros habeat? R. decimas prædiales se-
cernendas esse à personalibus, & utrasq; à mix-
tis. *Personales* ubi in usu sunt, illi Parocho sol-
vendæ sunt in cujus Parochia quis habitat, &
Sacramenta, cæteraque Divina percipit, quan-
tumvis alibi fortasse negotiationem exerceat,
aut quocunque modo lucrum acquirat. c. 20.
h. t. c. fin. de Parochiis. Decimas *Prædiales*
quod attinet, de iis nihil in jure determinatum
reperitur, sed consuetudo attendi jubetur in
c. 18. & 20. h. t. Interim rationabilius videtur.
& ubi de contraria consuetudine non constat,
potius judicandum est, quòd decimæ istæ illi
Parocho debeantur, intra cujus fines agri, &
prædia sita sunt, quantumvis Dominus & Co-
lonus illorum alibi Sacramenta percipiat: ut
rectè docuit Sylvester *V. decima n. 14.* Na-
var. h. t. consil. 1. n. 6. partim quia sic minùs
confunduntur, sed perpetuò certi manebunt
fines Parochiarum; partim quia etiam Judæi,
qui utique Parochiani non sunt, nec Sacramen-
ta frequentant, ex agris, quos intra fines ali-
cujus Parochiæ possident, decimas dare com-
pelluntur Parochiis loci per c. 16. h. t. Denique
decimæ *mixtae*, quæ v. g. ex foetibus peco-
rum solvuntur, debentur Parocho, in cujus
Parochia pecora pascuntur, ita ut si diversis
anni temporibus pascantur in Parochiis diver-
sis, inter has pro ratione temporis, quò in ip-
sis aluntur, sint dividendæ, quandoquidem
hujusmodi decimæ prædialibus potius, quam
personalibus accensentur. Gloss. in c. ad Apo-
stolica 20. §. *personales h. t.* Navar. d. consil. 1.
n. 7. Barb. *J. E. V. lib. 3. c. 26. §. 1. num. 11.*
& §. 2. n. 39.

13 *Quæres II.* Cui debeantur de jure decimæ
Novalium, der Behend auß den Neureut/

und Neubrücken? R. si nomen *Novalium*
improprie accipiatur pro novis agris, aut vi-
neis, quæ ex pomariis, pratis, aut pascuis fiunt,
wann solche Gärten / Wiesen umbgerissen
werden; expeditum est, indifferenter illis sol-
vendas esse decimas frumenti, & vini, quibus
ante sive de jure, sive ex privilegio, aut præ-
scriptione decimæ fœni, vel animalium solve-
bantur, aut solvi debuissent: quia licet mutetur
terræ cultura, ejus tamen substantia manet. c.
4. h. t. & ibi Joan. Andr. n. 2. Quinimò li-
cèt quis pratum habuerit, & de fœno ibidem
crescente decimas, ut in plerisque locis dari
non solent, non præstiterit, si tamen postea ex
eo agrum, vel vineam fecerit, decimas omninò
dare tenebitur. P. Engl. h. t. sub n. 11. Si autem
proprie loquamur, & juxta c. 1. & 21. de *V. S.*
nomine novalium intelligamus agros ex sylvâ,
palude, aliâve terrâ omninò sterili primò præ-
cisos, & no viter ad culturam redactos, de qui-
bus non extat memoria, quòd aliquando culti
fuerint, attendendum est, an novalia intra fines
certæ Parochiæ exurgant, an verò, quod fre-
quentius accidit, in confinio Parochiarum, v. g.
in sylvâ, aut palude, quæ pro termino Parochi-
arum ab Episcopo constituebatur: *Priori casu*
de jure decimæ ad Parochum loci spectant. c.
cum contingat 29. h. t. ita quidem ut decimæ
Novalium Parocho debeantur, esto alius intra
fines suæ Parochiæ jus decimandi præscripse-
rit. d. c. 29. & 30. h. t. aut ex privilegio obtinu-
erit. arg. c. tna 25. in fin. h. t. Zoël. h. t. n. 56.
Covar. lib. 1. *variâ. resolut. c. 17. n. 13.* *Pos-*
teriori casu, quia tales agri, aut vineæ novæ
in nulla certa Parochia sunt, solum Episcopum
pro Parocho loci habent, ac proinde eidem
decimæ de jure debentur juxta c. *quoniam* 13.
h. t. & ibi Panormit. n. 5. Canis. eod. tit. c.
11. n. 4.

Cæterum etiam Ecclesia contra Ecclesiam 14
jus decimandi acquirit I. Speciali Pontificis
concessione: quippe hæc sæpe decimæ, quæ
jure

jure spectarent ad certam Ecclesiam Parochialem, alii Ecclesia, sive Parochiali, sive Regulari applicantur. *c. 2. h. t. in 6.* II. Donatione *c. 7. de his, quasunt à Pralat.* III. Compromisso in arbitrium. *c. 8. & 9. de Arbitris.* IV. Transactione, sive amicabile compositione super dubio jure decimas percipiendi, modò tamen nullum interveniat pretium. *c. 2. & ibi Gloss. §. decimis. c. 8. de Transact.* V. Permutatione, quâ Ecclesia una decimas suas cum alterius Ecclesie decimis, vel alio jure spirituali commutare potest. *c. 6. & fin. de Rerum permut.* ubi Gloss. hoc observat. VI. Unione unius Ecclesie cum alia. arg. *c. 33. de Prabend.* Quare si Parochia sit alicui Monasterio unita, Monasterium, licet curam animarum per Vicarium ibidem exerceat, locò Parochi censetur & non minùs, quàm alius Parochus sine aliqua probatione juris decimandi intentionem in ipso jure fundatam habet, sive deinde Parochianus, sive Episcopus, aut etiam ipse Vicarius controversiam moveat, qua de re extat clara decisio Rotæ, quam refert Tambur. *de Jure Abb. tom. 3. decis. 102.* His tamen casibus consensus superioris, aliæque solennitates alienationum plerumque intervenire debent. Panorm. *in c. 4. de Arbitr. n. 8.* Moneta *de Decim. c. 5. n. 120.* VII. Præscriptione, nimirum decennii, si decimæ contra privatum, quadraginta annorum sine titulo, si contra Ecclesiam, intra cujus fines proveniunt, præscribantur, juxta *c. 4. 6. & 8. de Præscript. & auth. quas actiones C. de SS. Ecclesiis.* si verò ex prædiis sitis intra Parochiam alienam præscribantur, spatio quadraginta annorum cum titulo, vel tempore immemoriali opus est: juxta *c. 1. de Præscript. in 6.* Panorm. *in c. 3. h. t.* Covarr. *1. var. resol. c. 17. n. 7.* Planè Laicos juris decimandi incapaces faciunt Canones propterea, quòd hoc jus spirituale sit. *c. 15. & 17. h. t.* possunt tamen capaces reddi beneficio S. Pontificis. Panorm. *in c. 7. de Præscript.*

§. VI.

Materia seu objectum decimarum sunt res, de quibus debentur. In genere decimæ prædiales debentur ex quibuscunque fructibus, seu proventus rerum omnium, seu mobilium, seu immobilium: personales ex omnibus lucris per actionem & industriam hominis justè acquisitis. *c. 3. 5. 6. 21. 22. 26. 27. & 28. h. t.*

Controversia est, cum jura citata de omnibus licitè acquisitis decimas dare jubeant, an econtra lucra, & fructus illicitè percepti à decimis sint immunes? In qua controversia distinguo inter decimas prædiales & personales. Prædiales dantur etiam de fructibus illicitè acquisitis, ut si quis malâ fide agrum alienum colat; quandoquidem hæc obligatio decimarum inest ipsi terræ, & tanquam onus reale transit ad quemcunque possessorem. Quod attinet decimas personales, refert, an lucra ita sint illicita, ut nec licitè quæri, nec licitè retineri possint, sicut, quæ per usurariam pravitatem, bellum injustum, fraudes, & injurias acquiruntur? & de his non debentur: cum nec lucra sint, quippe restitutioni obnoxia: vel an lucra sint talia, quæ illicitè quidem acquiruntur, licitè tamen retinentur, uti lucra histriionum, meretricum &c. & ex his rigore juris debentur decimæ; quamdiu tamen acquirentes in tali statu ac vitiiis persistunt, Ecclesia non acceptet, oportet, ne modum acquirendi videatur approbare, dum in acquisitis partem habere contendit. Post conversionem autem licitè recipiet. Panorm. *in c. ex transmissa n. 3. h. t.*

§. VII.

Ad formam decimarum refertur modus eas solvendi, qui tribus potissimum requisitis absolvitur: Etenim

I. Decimæ statim fructibus collectis, hoc est, à solo separatim solvendæ sunt. *c. 7. & 22. h. t.* ita ut grave peccatum incurrat non tantùm ille, qui omninò non solvit, sed & qui tardius solvit. *c. 66. causa 16. q. 1. & Exod. 22.* ibi:

ibi: decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere. Hinc Parochianus etiam non requisitus ad decimas præstandas obligatur, die pro creditore interpellante. Panormit. in c. 4. n. 3. h. t. & Parocho quoque licet propter periculum fraudis decimas in ipso agro separare, vel jubere, ut præmoneatur ad hoc, ut in sua præsentia, vel sui substituti decimatio fiat. arg. l. 29. ff. de Inoffic. testam. Illa tamen consuetudo, quæ decimatio in horreo fit, non est improbanda, modò fraudes absint, aliàs Parochus eâ non obstante decimationem in agro exigere poterit. Speculator h. t. n. 11. Pialetius in prax. Episcop. 2. c. 4. h. t. n. 60.

II. Præstandæ sunt decimæ, antequam tributorum vel censuum prædialium exactiones fiant. c. 33. h. t. & sine deductione seminis, ac expensarum in mercenarios pro agris colendis, & colligendis fructibus factarum. c. 4. 7. 8. 22. & 23. h. t. Sed hoc ita se habet in decimis prædialibus: nam personales post deductas expensas de residuo, quasi de lucro solvendas esse, dilertè rescripsit Innocent. III. in c. 28. Eod. Cujus differentia ratio est, quòd decimæ prædiales debeantur ex fructibus non civiliter acceptis, prout sunt lucri domini, vel usufructuarii alicujus prædii, quod remanet deductis jam expensis juxta l. fructus. 7. ff. Solut. marr. sed naturaliter consideratis, prout omne id includunt, quod DEI beneficio ex terra nascitur, quo modo ex præcepto Divino in veteri Testamento decimæ solutæ sunt; ad cuius imitationem in Novo præstantur reales, non etiam personales, ut quæ lege primum Ecclesiasticâ introductæ, & ex istius dispositione tantum de lucro quod deductis expensis superest, præstandæ sunt. Gonzalez in c. 7. n. 8. h. t. Barb. de Offic. Paroch. c. 28. §. 1. n. 37.

III. Decimæ à Parochianis suis sumptibus deferendæ sunt ad horreum Parochi, maxime ubi commune, & publicum aliquod horreum pro decimis destinatum existat per Text. in c.

revertimini 65. causâ 16. q. 1. & ibi Gloss. Panorm. in c. pervenit 5. h. t. Consuetudine tamen passim, & præsertim in Germania contrarium obtinuit, teste Canis. de Decimis c. 7. quæ consuetudo valet, & observari debet. Moneta de Dec. c. 61 n. 6. & 7. Gonz. ad c. 7. h. t. n. 6. §. VIII.

Finis decimarum est, ut Ministri Ecclesiæ commodè sustententur, & per eos à cura vicili solutos expeditiùs rebus Divinis vacetur.

§. IX.

Effectus decimarum est, quòd pro iis non solutis Ecclesiæ, aut Parocho detur rei vindicatio vera, aut utilis. Vera, si fructus decimales jam separati sunt à reliquo cumulo, & per designationem quasi traditi in dominium Ecclesiæ, aut Parochi transferunt. Utilis, si fructus decimales nondum fuerunt separati à reliquo cumulo: quoniam hoc in casu Parocho contra quemcunque Possessorem fructuum adhuc extantium utilem vindicationem, aut si non extant, saltem utilem conditionem ex Canone competere, cum P. Engel h. t. n. 16. docet Clariss. P. Jacob Wex in manip. decim. q. 8. th. 12.

§. X.

Affines decimis sunt primitiæ & oblationes, de quibus agit altera pars hujus Rubricæ.

Primitiæ sunt certa pars primorum fructuum, qui ex agris, vel animalibus percipiuntur ac de jure semel tantum persolvuntur in signum gratitudinis erga DEUM omnium Largitorem. c. 1. & 65. causâ 16. q. 1. quibus etsi olim Primitiæ perceptæ fuerint, hodie tamen in plerisque locis earum usus per desuetudinem abolutus est, ut testatur Lessius lib. 2. de F. & F. c. 39. n. 31. neque consuetudo hæc adversatur juri naturali: etsi enim jus naturale inculcet, homines debere esse DEO gratos in genere, non tamen præcipit, eos debere esse gratos in specie per istud opus.

Oblationes sunt largitiones, quas fideles pro peccatis in Ecclesia, vel ad Altare offerunt. c. 13

causâ 10. q. 1. Atque hæc de jure communi scripto omnino arbitrariæ sunt, & ex libera offerentiâ voluntate, seu beneplacito dependent, sicut aliæ donationes gratuitæ erga DEUM absque ulla determinatione quantitatis, vel qualitatis. Si tamen aliunde Parochus defectum sustentationis pateretur, Parochianos ad faciendas proportionatas oblationes compelli posse communiter sentiunt DD. & ita accipiunt textum in *c. omnis 69. dist. 1. de consec.* ubi oblationes inter missarum solennia præcipiuntur. Certè per consuetudinè Parochianos ad præstandas certas oblationes obligari posse, *ex c. 42. de Simonia* concludit P. Engel *b. t. n. 64.*

Sciscitanti: cujus sint oblationes, quæ sunt Oratoriis, atque Ecclesiis, vel Capellis, ac Imaginibus sitis intra limites cujusdam Parochiæ? respondeo, esse Parochi, ut qui intentionem fundatam in jure habet super omnibus oblationibus factis intra fines suæ Parochiæ juxta *c. quia Sacerdos & c. Sanctorum causâ 10. q. 1.* & notant Canonistæ in *Rubr. de Parochiis.* Hostiens. *n. 1.* Panorm. *n. 4.* Nisi eâ intentione offerrentur, ut in honorum, ornatumque Sacelli, vel imaginis infunderentur: etenim talis offerentium intentio servanda esset. *c. causâ 12. de V. S. Angelus V. Ecclesia. §. 9.* Seraph. *dec. 774. n. 1.* Fagn. in *c. pastoralis. de his, quæ fiunt à Pralat.*

TITULUS XXXI.

De Regularibus & trans-euntibus ad Religionem.

SUMMARIA.

1. Quid sit professio religiosa? 2. Quotuplex? 3. Votum solennitas inventa est lege Ecclesiastica. 4. usque 12. Quinam capaces, ut religionem profiteantur.
12. Qui non? 13. In qua Religione emittatur professio? 14. 15. 16. 17. Requisita professionis. 18. Ejus finis. 19. & seqq. Ejusdem effectus.

HActenus de Clericis secularibus, eorumque beneficiis, & juribus. Deinceps agemus de Regularibus, quos facit professio religiosa.

§. I.

Definitur professio religiosa, quoddam sit apud probatæ ab Ecclesia Religionis solennis promissio, quâ quis se observationi certæ alicujus Monachalis regulæ obstringit. Hostiens. *b. 1. §. ad quid §. professio.*

§. II.

Dividitur professio religiosa in expressam, & tacitam. *Expressa* est, quando quis expressè vel verbis, vel scriptis, vel utrisque simul se alicui probatæ religioni devotet. *Tacita* quando quis non verbis, sed alio indicio mentem suam religionis à se tacitè susceptæ explicat; veluti si habitum Professis proprium per triduum, vel habitum Novitiis, & Professis communem per annum gestaverit. *c. 8. c. 22. b. 1. c. 1. c. 2. Eod. in 6. Clem. 2. Eod.* Atque hic tacitus Professionis modus etiam post Conciliū Tridentinum obtinet, modò actus, per quos tacita fit professio, à Novitio liberè, & cum intentione profitendi post decimum sextum ætatis annum, & annum integrum probationis pergantur. Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 41. n. 4.* Miranda in *man. Pral. tom. 1. q. 24. n. 12.* Sanè in præi tacita ista professio vix amplius in usu est, sed ordinariè verbaliter, ac in scriptis fieri solet.

§. III.

Causa efficiens professionis Religiosæ est vel remota, vel proxima.

Remota est jus, non Divinum, sed Canonicum, ex quo voti solennitas profluit, ita testante Bonifacio VIII. in *c. un. de voto in 6.* per illa verba: *Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesia est inventa.* Cui succinit Gregor. XIII. in Bulla: *Ascendente Domino* ubi contra impugnatores instituti S. J. statuit, Coadjutores ejusdem Societatis, tametsi vota tantum simplicia edant, esse tamen verè Religiosos, indutus ratione *d. c. un.* ut ipse intinuat: *Nos considerantes, voti solennitatem solè Ecclesia constitutione inventam esse &c.*

Proxima est mas, aut scemina, qui religio-

nem profiteretur. Potest autem profiteri omnis, qui non expressè prohibetur. Prohibetur verò

I. *Furiosus*, seu ex aegritudine *mente alienatus*. c. 15. h. t. quia Professio religionis petit voluntatem plenam, & deliberatam. c. 1. de *His, quæ vi, metûsve causâ.*

II. *Impubers*, & quicumque decimum sextum ætatis annum non implevit, adeò ut Professio antea facta sit nulla, nullamque, & per consequens nec voti simplicis, obligationem inducat. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 15.* per quod corrigitur c. 1. c. *placuit causâ 20. q. 1. c. 1. & 8. b. t. Clem. 1. Eod.* & plura alia. Gonzal. ad c. 6. h. t. ubi refellit errorem Lutheri, qui asserit, viros tantum post 70. aut 80. annos vitam monasticam profiteri oportere: & Calvini, qui refert, olim nefas fuisse, ante annos 60. feminas votum continentiaë emittere.

III. *Filius*, si Parentes ita ejus operis indigeant, ut absque illis in gravi necessitate constituantur, & defectum sustentationis patiantur, nisi filius subveniat, & ab ingressu religionis ablineat: tali enim casu tenetur filius ingressum Religionis differre, & Parentibus succurrere. *can. 1. dist. 30. S. Th. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. q. 189. a. 6.* Si tamen Professio defacto emissâ sit, valida est, cum substantiali defectum non habeat. Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 42. n. 20. in fin.*

IV. *Servus*, qui durante servitute absque consensu Domini Professus, intra triennium revocari potest. *de fin. causâ 17. q. 2.* nisi Monasterium sciverit servitutem, vel neglexerit inquirere; quo casu, si admissus fuerit servus non repetetur, sed à Monasterio arbitrio boni viri affirmatio ejus præstabitur. c. 12. *dist. 54. Barb. in c. 2. de Servis non ordin.*

V. *Obligatus ad ratiocinia*, id est, reddendis rationibus propter officium aliquod publicum obnoxius, aut ingenti *are alieno gravatus*, si adhuc spem habeat satisfaciendi. Tambur. *de Jure Abb. rom. 3. disp. 6. q. 3.* tum quia propter opus consilii, ut est ingressus in reli-

gionem, non est omittendum opus præcepti, ut est solutio debitorum; tum quia nemini licet cum alterius injuria locupletari, nec in bonis temporalibus, nec in spiritualibus. *cap. suam de Pœnis.*

VI. *Episcopus*, cui Episcopatum deserere, & transire ad Religionem, in eaque Professionem emittere haud licet: siquidem, sicut Maritus suæ uxori, ita hic obstrictus est suæ Ecclesiæ; unde sicut maritus non potest deserere uxorem absque ejus consensu, ita nec Episcopus Ecclesiam suam sine consensu Papæ, qui talem licentiam concedere non solet, nisi Episcopus ad exequendum officium suum sit inhabilis. c. 18. h. t. c. 10. *de Renuntiat.* Quod tamen intelligendum est de Episcopo consecrato, vel etiam de electo & confirmato, ut qui similiter est sponsus Ecclesiæ suæ, cui sine licentia Papæ profitendo religionem renuntiare nequit. c. 2. *de Translat. Episc.* Episcopus autem electus tantum, cum nondum spirituali conjugio sit ligatus suæ Ecclesiæ, ideo sine licentia Papæ Episcopatu renuntiare, religionemque profiteri potest. Pirrhing. *h. t. n. 125. & seqq.*

VII. *Is, qui laborat caducò*, vel alio simili *gravi morbo*, propter quem sine turbatione comunitatis in monasterio habitare, & regulam religionis observare non potest. Quòd si similem defectum in Novitiatu dolose, vel ex quacunque alia causa reticeat & Professionem defacto emitat, graviter quidem peccat, præsertim si à Superioribus propterea interrogatus sit: decipit enim monasterium in re satis gravi & notabili; nihilominus cum similis defectus non afficiat, nec mutet substantialia religionis, valet Professio defacto emissâ, ut ex quadam Bulla Clementis VIII. & aliis DD. quasi certum asserit Tambur. *cit. loc. n. 11. 15. & 26.* Fatendum tamen, ex peculiari religionis statuto à S. Pontifice, cujus est substantialia Religionis augere, in forma specifica confirmato, Novitum ob ejusmodi morbum, ac

defectum ad Professionem illius Religionis absolute inabilem reddi posse, quemadmodum in Religione S. J. Capucinorum, & Minorum morbo gallico laborantes penitus excludi, refert Tamb. de Jure Abb. cit. disp. 6. q. 3. n. 26. Utrum autem nulliter Professus ob talem morbum absque Ordinarii interventu, & non servata forma præscripta in Trid. sess. 25. de Regular. c. 19. expelli possit? disputat Jacob Pignat. tom. I. consult. 89. à n. 7.

11 Huc pertinet illa *questio*: an iustum & tolerandum sit, ut in quibusdam Monasteriis, & Collegiis non recipiantur, nisi nobiles? Resp. &

Dico I quòd si aliquod Monasterium, aut Collegium fundatum sit pro Nobilibus, expeditum est, solos in eo nobiles recipiendos esse: quandoquidem in Collegiis non sunt admittenda personæ cujusvis conditionis, nisi illius, cujus gratia sunt instituta. l. 6. C. de SS. Eccles. talia Monasteria in Germania sunt Ducale Archisterium Campidonense, Cœnobium Gengenbacense, Abbatia Buchaviensis, & si quæ alia. Hermes in Fascic. Jur. publ. c. 27. n. 5. 18. & 38. in edit. pr.

12 Dico II. Nulla consuetudine induci potest, ut in Monasteriis, aut Collegiis, quæ indifferenter pro personis cujusvis conditionis fundata sunt, soli nobiles recipiantur. Ita Virg. Alviset. in Murenul. sect. 4. dub. 27. n. 7. & seq. ubi per longum & latum ostendit, talem consuetudinem adversari menti fundatorum, repugnare legi Evangelicæ, contrariari SS. Canonibus, praxi Ecclesiæ, decretis SS. Pontificum, & in specie regulæ Smi. Patriarchæ Benedicti, eo quòd in Ecclesia non attendenda sit generis, sed virtutis nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciant, & idoneum servitorem. c. venerabilis. de Præbend. Sunt tamen cæteris paribus nobiles ignobilibus præferendi, ut probat idem Alviset loc. cit. n. 3.

§. IV.

13 *Objectum* Professionis Religiosæ est Religio

ab Ecclesia approbata, quam quis profiteri editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ.

§. V.

Forma Professionis Religiosæ stat in requisitis, quæ inter

Primum est, ut Novitius ante Professionem stet in probatione per annum. Trid. sess. 25. de Regular. c. 15. Et hic annus I. debet esse integer ac de momento in momentum computari ab hora, in qua suscepit habitum, usque ad horam in qua fit Professio, ita ut si unus tantum dies deficiat, Professio sit nulla. Sanchez lib. 2. de matr. disp. 24. n. 16. & 22. Azor. tom. 1. l. 1. moral. lib. 5. c. 28. ubi ex jure ostendit, quòd, quando lex requirit aliquod tempus, & loquitur cum præpositione per, ut per annum, vel mensem, talis annus, vel mensis debet esse completus arg. l. non putabam. §. 1. si annos. ff. de Condit. & Demonstr. II. annus Novitiatus debet esse continuus, & non interpolatus. Navar. concl. 52. h. t. n. 2. Bonacin. tom. 1. q. 2. de clausur. p. 10. diff. 2. §. 2. n. 3. ubi dicit, interpolationem duarum dierum vitare integritatem, & continuationem anni. Sanchez lib. 5. Decal. c. 4. n. 10. ubi pro se citat 24. Doctores Juristas. Amplius: Navar. consil. 37. h. t. ait, se vidisse in tribunali sacre Penitentiariæ declarari nullam Professionem cujusdam Novitii, qui fuit in quodam Conventu per decem menses, è quo exivit, & postea ivit ad alium Conventum eju dem ordinis, ubi mansit Novitius per duos menses, & Professionem emisit cum suffragiis totius Conventus.

Notat verò Barb. in c. 16. h. t. n. 4. Gonz. lib. 1. & plures apud eum citati, Morales, Dominici, & cum illis communicantes, speciali privilegio Pii V. in Constit. quæ incipit: Summa. 23. Aug. 1570. edita concessio. si decimum sextum ætatis annum expleverint, in articulo mortis constitutas profiteri posse etiam intra annum Novitiatus ad lucrandas indulgentias, aliàs que gratias Professorum, ita tamen ut si ex illo

si morbo convalescent, teneantur complere integrum Novitiatûs annum, & Professionem de novo emittere, nec vi talis Professionis in articulo mortis emissæ Monasterium in bonis profientis cum præjudicio venientium ab intellectato succedere possit, nisi postea convalescens expleto probationis aîno expressam Professionem edat. Zypæus in *Anal. jur. Pont. h. t. n. 18.* Donatus in *Prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 9. q. 17.*

15 *Alium requisitum est, ut professio spontaneâ & liberâ voluntate sit emissâ. c. 1. h. t. metus enim gravis ab extrinseco in ordine ad Professionem incusus eandem annullat. c. per personas. causâ 20. q. 3. c. 1. de his, quæ vi. memorare causâ. Trid. sess. 25. c. 19. de Regul. ubi ait, præcipuam causam ad probandam Professionis nullitatem esse metum, aut vim. Ratio est: quia per ipsam novus, & ex natura sua immutabilis status recipitur, non minus, quàm per matrimonium carnale. Suarez. tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 5. in fin. & c. 6. n. 6. Quapropter Concil. Trid. sess. 25. cap. 17. de Regul. præcipit, ne ulla Abbatissa, seu Præfecta Monasterii admittat ullam Novitiam ad Professionem, nisi prius monitò Episcopò, qui jubet fieri examen de libertate Novitiæ. Quòd si Abbatissa Episcopò non monitò Novitiam ad Professionem admiserit per Episcopum potest suspendi ab officio. An verò Professio facta absque prævio examine sit nulla? vide Sanchez. lib. 5. Decal. c. 4. n. 21.*

16 *Tertium est: ut Professio fiat cum consensu ejus, cujus est incorporare Religionem per c. 13. & ibi Gloss. c. 16. h. t. propterea, quia ut sui traditio obligationem pariat respectu religionis, ejus consensus interveniat, oportet. Et quidem in Ordine Minorum facultatem recipiendi Novitios habent Provinciales, quam tamen Generalis Ordinis illius poterit coarctare, sicut viderit expedire. c. exivit. de V. S. in 6. Imò addit Sanchez l. 5. Decal. c. 4. n. 71. quòd non solù Generalis Ordinis, sed & Provincia-*

lis absque privilegio Prælato Conventus mandare possit, ne admittat ad Professionem talem Novitium, si Provincialis habeat justam causam, ita ut si Prælatus localis secus faciat, Professio sit nulla, etsi Provincialis in sua inhibitione non addat decretum irritans. In aliis Ordinibus primùm spectanda est consuetudo, alicubi enim hoc jus suscipiendi Religiosum, & admittendi ad Professionem ad solum Abbatem, & Conventum simul spectat. c. fin. h. t. in 6. Quòd si consuetudo, aut privilegium speciale probari nequeat, Abbatem cum solo consilio Conventus Professionem recipere posse, ad eò scilicet ut tantum vota, & rationes Conventus audire, non autem sequi debeat docet Panorm. Sylv. & alii, ex ea maximè ratione, quòd licet Abbas in arduis debeat requirere consilium Conventus, absolutè tamen tota dispositio Monasterii penes Abbatem consistat juxta c. nullam causâ 18. q. 2. Sed verius est receptionem Religiosorum de jure communi ad Abbatem cum consensu Capituli, vel majoris partis suorum Conventualium pertinere, cum secundum c. 6. de his, quæ fiunt à Prælat. Abbas nec in Parochia, ubi Monasterium Jus Patronatus habet, Clericum præsentare valeat sine consensu Capituli. Sanchez d. c. 4. n. 65. qui n. 63. assignat 17. Doctores pro hac opinione.

Scrúpulo non caret: an saltem sede vacante, sive Abbate mortuo possit Conventus Novitium ad Professionem admittere? Sed resolutio patet ex dictis: si enim jus recipiendi Religiosum ex consuetudine vel privilegio simul & æquè principaliter Abbati & Conventui competat, etiam mortuo Abbate poterit Conventus Novitium ad Professionem admittere juxta c. fin. h. t. in 6. Econtra si vel ad Abbatem solum, vel ad Abbatem cum consilio, aut consensu Capituli susceptio Religiosorum spectet, mortuo Abbate Conventus Religiosum suscipere non poterit. arg. c. un. Ne sede vac. aliquid innov.

§. VI.

18 *Finis* Professionis religiosa est Christiana charitatis perfectio, ad quam tendere omnes Religiosi obligatur. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 1. ad 3.

§. VII.

19 *Effectus primus* est quod Professum faciat Religiosum, & constringat ad observationem votorum castitatis, paupertatis, & obedientiae, ita ut neque S. Pontifex salvâ religione contra ea possit licentiam indulgere. c. 6. de Statu Monach. ex quo inferit S. D. 2. 2. q. 88. a. 1. S. Pontificem in voto solenni religionis dispensare non posse. Verum huic doctrinae obsistit, quod juxta c. un. de Foro in 6. voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiae sit adinventâ, consequenter ab eodem rursus dissolubilis. arg. c. 1. de R. J. Præsertim cum defacto SS. Pontifices aliquoties dispensaverint, ut docent historiae.

20 *Secundus* est, quod Professio inducat obligationem indissolubilem, tam ex parte Proficientis, quam ex parte Religionis, ita ut neque Professus propriâ auctoritate possit deserere Religionem, neque Religio possit Professum dimittere saltem regulariter.

21 *Addo: saltem regulariter:* I. enim ob veram incorrigibilitatem, & contumaciam in gravi aliquo crimine Religiosus actualiter Professus è Monasterio, vel omnino ex Religione ejici potest, ut colligitur ex c. 6. & fin. de Statu Monach. c. 10. de Majorat. & Obed. & cap. 7. *Ne Clerici vel Monach.* iustissimâ ratione: quia membrum putridum, cui amplius remedium applicari non potest, merito resecatur, ne etiam reliqua corrumpat. Ut autem Religiosus quoad effectum ejectionis incorrigibilis censeatur, non sufficit, quod sæpius admonitus non emendaverit, vel aliàs vix super sit spes emendationis, sed insuper juxta decretum S. Congregationis Concil. Trid. jussu Urbani VIII. editum, prout refert Tambur. de Jur. Abb. tom. 3. disp. 8. q. 7. singulariter requiritur, ut uno anno in carceribus

jejunio, & poenitentia probatus non resipuerit, sed indurato animo in depravatis moribus permanere voluerit.

II. Religiosus ab una Religione transire potest ad aliam strictiorem, petita tamen, eui non obtenta licentia. Itaque ad transitum ab uno Monasterio ad aliud requiritur justa causa & præter illam tria sequentia accedere debent; *Primo*, ne fiat ex temeritate vel levitate in injuriam ordinis: *Secundo*, ut fiat ad Religionem strictiorem, sive arctiorem: hinc in *Extrav. 1. h. t.* omnibus mendicantibus conceditur transitus ad Carthusianos. *Tertio*, ut Superior tribuat licentiam transeundi, quam tamen si denegaverit, nihilominus transitus permissus est. c. 18. & ibi DD. Eod.

Tertius effectus est, quod Professio religiosa extinguat omnia voto personalia, & realia ante ipsam tam in saeculo, quam in Novitatu emissa, solis illis exceptis, quæ concernunt jus tertii. c. 4. de Voto & Voti redempt. Suarez. tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 14. n. 6. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. qui q. 89. a. 8. consequenter docet, eum, qui vovit ingredi religionem arctiorem, & propriâ auctoritate ingressus est laxiorem, non teneri post Professionem adire strictiorem, quia prius votum simplex extinctum fuit per subsequens solenne. Interim talis peccat ingrediendo laxiorem, & propterea pro voto priori non impleto, poenitentia eidem imponi jubetur in c. 5. h. t. in 6.

Quartus est, quod Professio religiosa liberet à potestate patria. quatenus onerola, non verò quatenus professo favorabilis est, & ideo jura quidem suitatis, & successionis retinet, si autem filio post professionem bona obveniunt, nil inde participat Pater, ex quo bona illa tunc ad peculium quasi castrense referuntur. *anth. Præbiteros. C. de Episcop. & Cleric. Quatenus tollat irregularitatem provenientem ex defectu natalium, dictum est ad tit. de filiis præbiter.*

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

SUMMARIA.

1. Conversionis conjugum definitio. 2. Divisio. 3. Originis. 4. 5. 6. Quatenus conjugibus liceat profiteri Religionem? 7. Hujus conversionis objectum. 8. Requisita. 9. Finis. 10. 11. Effectus.

Nonnunquam etiam Conjugati Religionem profitentur, unde proponitur rubrica de Conversione Conjugatorum.

§. I.

1. *Definitur* conversio Conjugatorum, quod sit religiosa Professio à Conjugato facta.

§. II.

2. *Dividitur* in conversionem, quæ fit post matrimonium ratum tantum, id est, per verba de presenti inter fideles celebratum. copulâ carnali non secutâ; & in eam, quæ fit post matrimonium consummatum, quod videlicet accedente corporis usu, sive carnis copulâ perfectum, & completum est.

§. III.

3. *Causa efficiens* conversionis Conjugatorum alia est remota, alia proxima.

Remota est Jus *Canonicum*, quod legitimam conversionem Conjugum permittit, ac approbat: & ex parte etiam jus *Divinum*: utpote quò Conjugibus privilegium ante matrimonium consummatum ingrediendi Religionem concessum esse, *exc. 7. h. t. ibi: ex interpretatione S. eloquis*, & antiquissimo usu Ecclesie colligit Clariss. P. Paulus Mezger in *Theol. Schol. tr. 19. disp. 54. art. 6. n. 10.*

4. *Proxima* est conjunx conversus. Certum autem est, quòd, si matrimonium ratum solummodo extiterit, quivis ex conjugibus, altero etiam inconsulto, invito, & reclamante ad Religionem converti possit, ita ut si circa hoc deliberare intendat, altera pars nolens volens spatium duorum mensium expectare debeat *c. 2. & 7. h. t. sed*

Dubatur I. possitne Uxor intra bimestre deliberandi, contra voluntatem à viro per vim, vel injustum metum cognita, invito Conjuge Religionem ingredi:

Negant Zoëf. *h. t. n. 13. Covat de Matr. p. 2. c. 7. §. 4. n. 15. Sylvester V. luxuria. q. 6. P. Engl. h. t. n. 9.* quia matrimonium quoad vinculum amplius dissolvi non potest, utpote jam consummatum, consequenter Maritus proximo incontinentiæ periculo exponeretur, cū uxorem in sæculo remanens ducere non posset; quòd periculum incontinentiæ principalis causa est, quòd matrimonium consummatum Religionis ingressum, & conversionem impediat. Deinde quia in jure, plus favore religionis concessum non est, quàm quòd post contractum, sed nondum consummatum matrimonium religionem ingredi liceat, ergo sine fundamento hæc licentia ad matrimonium consummatum quantumvis violenter, & per injuriam, extendetur, quandoquidem jura non distinguunt, an vi, vel sponte consummatum sit; maxime cum alias illa facultas ingrediendi Religionem, quatenus facit ad dissolutionem matrimonii, odiosa, atque ad casum non expressum nullatenus extendenda videatur.

Affirmativam tuetur Gloss. *in c. fin. dist. 55. V. invitus. Sanch. de Matr. lib. 2. disp. 22. n. 6. Panorm. in c. 2. h. t. n. 9.* & plures alii, quibus iniquum videtur, ut uxor sine culpa, & voluntate sua per violentiam mariti suo jure privetur, maritus verò ex delicto suo, & injustâ copulæ extorsione lucrum reportet, uxoris scilicet retentionem. Ego hanc sententiam eatenus comprobavero, quòd maritus in tali casu videatur posse cogi, ad dandam uxori licentiâ ipse verò ad continendum, vel religionem similiter ingrediendum (si periculū incontinentiæ subsit) compelli, propterea; quòd maritus in tali casu propter injustâ læsionem obligatus sit, ad convenientem satisfactionem, & compensationem damni illati; qualis erit, si uxori

facultatem & licentiam, quam ante copulam à jure concessam habuit, & maritus suo facto abstulit, ingrediendi religionem concedat, quod potest: aliter autem uxor jus suum, & libertatem ingrediendi non recuperabit, ergo ingressus eidem justè denegari non poterit. Neque movet, quòd alter subjaceat periculo incontinentiæ, quia hoc evitare poterit per ingressum religionis; imò etiam in sæculo conjuges sapius continere coguntur contra voluntatem non tantum propter culpam & delictum, sicut in proposito, sed etiam sine culpa, non tamen sine causa v. g. propter supervenientem ex parte alterius impotentiam, vel litem motam super impedimento dirimente. *c. fin. §. si autem. ut lite non contestata & c.* His accedit, quòd non fit improbableè, matrimonium per copulam vi extortam verè non consummari, *ut infra de Sponsal. & matr. n. 88.* ostendi.

6 *Dubatur II. an si unus conjugum post matrimonium consummatum adulterium commisit, alter innocens adulterò invitò ad Religionem transire possit?*

R. posse, cum adulterium per se sit justa causa in perpetuum deferendi conjugem. *c. constitutus. c. veniens. & c. significasti de Divortiiis.* Sanchez lib. 10. de Matr. disp. 10. & seq. modò constat de adulterio notoritate juris, vel facti: notorium confessionis, quod pro tertia specie notorii communiter adduci solet, hic directe, & per se non sufficeret: quia quoties agitur de matrimonio carnali, tunc non statur confessioni conjugis contra matrimonium, ejusque liberum & licitum usum. *c. super eo. De eo, qui cognovit consang. & ibi Panormit.* Addidi: directe, & per se: nam confitens adulterium videtur, quantum in se est, renunciare juri suo exigendi debitum, ac cohabitandi, consequenter dare licentiam transeundi. Tamen si verò in se certum esset, ab altero adulterium fuisse perpetratum, antequam tamen sententia desuper feratur, si pars innocens religionem

ingrederetur, posset pars nocens petere restitutionem conjugis ingredientis, tanquam spoliatus possessione ejusdem, neque oiberit faciendæ restitutioni exceptio adulterii objecta. *c. item cum quis, de Restit. spol.* Planè si uterque conjunx adulterium commisisset, neuter eorum sine consensu alterius religionem intrare posset: cum paria delicta mutuà compensatione tollantur: *c. significasti de Adulteriis.* ac redintegretur utriusque conjugis obligatio ad cohabitandum, & reddendum invicem debitum conjugale ad exactionem alterius. Quod verum est, quam diu conjuges in eodem statu permanent: si enim innocens ingressus religionem postmodum primum labatur in adulterium, catenus non compensatur adulterium ab altero conjuge ante ingressum hujus commissum, quatenus redire debeat, ac servare conjugii cohabitando ac reddendo debitum: mutavit enim statum, & non amplius est sui juris. *arg. l. si ex causa. §. Papinianus ff. de Minoribus.*

Porro consimili ratione si alter Conjugum in adulterium spirituale, hoc est, in hæresim vel Apostasiam à fide incidit, & auctoritate judicis Ecclesiastici propterea separatio facta est, conjunx innocens illò invitò, quamvis ad veram fidem redierit, religionem ingredi, & in ea profiteri poterit. *c. fin. h. t. ubi Interpp. & Ego infra de Divort. n. 17.*

§. IV.

Objectum hujus conversionis est vita regularis, cui se conjunx conversus addicit. *c. sane h. t.*

§. V.

Forma stat in requisitis. Requiritur autem ad conversionem post matrimonium ratum tantum, ut conjunx volens se convertere intra trimestre religionem ingrediatur: *c. ex publico h. t.* ingrediatur, inquam: quia ex tunc integer annus Novitatus relinquatur, & alteri parti in sæculo remanenti per integrum annum expectandum erit, tamen si incontinentiæ periculum alleget; cum ante professionem vin-

vinculum matrimoniale non solvatur, & ingressus
annum à Canone habeat ad experiendum or-
dinis rigorem, ut ad eod privatus comodum hu-
jus temporis illi auferre non possit. Sanchez
l. 2. disp. 24. q. 1. Dissentit Zoel. h. t. n. 12. Ad
conversionem post matrimonium consummatum
extra casum adulterii conjugi ad Religionem
transituro necessaria est expressa licentia alte-
rius conjugis. per c. sunt, qui dicunt. causa 27.
q. 2. nec sufficit tacita, quæ ex ejus scientia, ta-
citate & dissimulatione colligitur, arg. l.
filiam. ff. de Procuratorib. Præ-
terea alter conjunx, si ob senem ætatem ex-
tra suspicionem incontinentiæ existat, debe-
bit votum castitatis emittere; si autem juvenis
fuerit, votum castitatis in sæculo emissum non
sufficit, sed insuper Religionem ingredi te-
nebitur. c. cum sit. c. uxoratus. c. ad Apostolicum
& ibi DD. h. t. Ut tamen valida sit Professio,
solà alterius conjugis licentiâ opus est. per c. 9.
h. t. & ibi Panorm. c. Agatosa causa 27. q. 2.
Denique ut fiat cum licentiâ, & autoritate
Episcopi. c. si vir. causa 27. q. 2. quæ tamen
licentiâ similiter non est necessaria ad validi-
tatem, sed solum ad liciditatem per Text. in
c. 1. h. t. & ibi Joan. Andr. & Panormit. San-
chez de Matr. lib. 2. disp. 27. n. 3.

§. VI.

9 Finis conversionis conjugatorum est, ut con-
versus à conversatione alterius se junctus ad re-
ligiosam perfectionem eo expeditius contendat.

§. VII.

20 Effectus alius est, si conversio conjugati le-
gitime, & alius, si illegitime facta sit.

Effectus conversionis legitime iterum est vel
generalis, vel specialis. Generalis & communis
conversioni ante & post matrimonium con-
summatum est, quod conversum adstringat ad
observantiam regularem, ita ut nec mortuâ uxo-
re inde recedere possit, c. 6. h. t. Effectus autem
specialis conversionis post matrimonium ra-
tum tantum est, quod per eam dissolvatur etiã

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

vinculum matrimonii, ita ut conjunx in sæcu-
lo remanens ad secunda vota transire valeat.
c. 7. h. t. cum tamen matrimonium consumma-
tum per conversionem dissolvi nequeat. Cur
tam variè rationem reddit Hostiens. in Summa
h. t. n. 7. quia videlicet illa conjunctio animo-
rum per matrimonium ratum, tametsi verum
Sacramentum, & perfectum matrimonium
sit, tamen solum significat conjunctionem
Christi cum anima fidei per gratiam, quæ con-
junctio & in melius mutari, sive intendi, &
etiam omninò tolli potest. Econtra con-
junctio corporum in consummatione matrimo-
nii significat conjunctionem Christi cum Ec-
clesia, quæ est indissolubilis.

Effectus conversionis illegitima est professio
repetitio, & restitutio: etenim conjunx sine
consensu alterius post consummatum matrimo-
nium professus tenetur redire ad conjugem,
& petenti debitum reddere, quamvis petere
non possit, cum se ad castitatem voluerit obli-
gare, quantum potuit. s. placet. 12. h. t. Non
tamen putem, conjugem professum propriâ au-
thoritate exire Monasterio posse, tum quia sui
juris amplius non est, tum quia per se manen-
do in religione non peccat, licet peccaverit in-
grediendo non servatis, quæ de jure ad legiti-
mum ingressum Religionis requiruntur. Imò
tametsi peteret conjunx in sæculo remanens,
illum sibi à Prælato restitui, absq; eò tamen, ut
officium Judicis desuper imploraret, à Prælato
uxori reddendus non esset: in re enim tam ar-
dua, maxime in foro externo, Judicis erit vide-
re, an nil obstat revocationi faciendæ, ac sen-
tentiã saltem declaratoriam super nullitate pro-
fessionis ferre. per d. c. placet. 12. h. t. Gloss. in c.
uxor. v. nullat. Eod. Sanch. lib. 2. disp. 33. n. 15.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIA.

1. Definitur conversio infidelium. 2. Est donum-

DEI

DEI

DEI. 3. *Quinam veniant nomine infidelium.* 4. *Quanta necessitas fidei.* 5. *Assignantur requisita huius conversionis.* 6. *Finis* 7. 8. *Effectus.*

A Conversione Conjugatorum ad Religionem nos convertimus ad conversionem infidelium ad fidem.

§. I.

1 *Definitur conversio infidelium, quòd sit transitus ab infidelitate ad fidem, ac religionem Catholicam.*

§. II.

2 *Causa efficiens conversionis infidelium est ipse Deus: sic enim Divina oracula: Joan. 6. hoc opus DEI, ut credatis in illum, quem misit ille. Ad Philippenf. 2. Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, verum etiam, ut patiamini pro eo. ad Ephel. 6. Charitas cum fide à DEO Patre, & Domino JESU Christo. Ex quibus clarè patet, fidem esse ex DEI gratia. Sic tamen fides est ex DEI gratia, ut concurrat etiam liberum arbitrium, nam ut ait S. Augustinus: credere, & velle bonum, DEI est, quia ipse preparat voluntatem: & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.*

§. III.

3 *Subiectum conversionis infidelium sunt infideles conversi, non largè accipiendo nomen infidelium, prout comprehendit omnes, qui à fide Christiana quoquò modò alieni sunt, veluti hæretici, qui non tam propriè converti, quàm reverti dicuntur; sed strictè pro iis scilicet, qui nunquam per Baptismum Ecclesiæ subiecti sunt, ut sunt Judæi, & Pagani.*

§. IV.

4 *Objectum conversionis infidelium est fides Catholica, quæ, ut definit Trid. sess. 6. c. 8. est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile placere DEO, & ad filiorum eius consortium pervenire. Quæ verba Concilium desumpsit ex S. August. serm. 38. de tempore, ubi & hæc, quæ sequuntur, addit: sine fide nullus in hoc*

seculo justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.

§. V.

Forma conversionis infidelium stat in requisitis. Requiritur autem I. Gratia Dei, quippe frustra fides prædicatur audientibus, nisi Divina gratia assensum fidei procuret, intellectum illuminando, & voluntatem pie afficiendo. Ita Act. 16. Lydia purpuraria Dominus aperuit cor, ut crederet his, quæ dicebantur à Paulo. Unde S. Gregor. lib. 1 r. mor. c. 5. murum est omne os, quod loquitur, si ille interior in corde non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur. II. Requiritur actus voluntatis, qui assensum fidei imperet: cum enim res fidei non ita clarè à DEO revelentur, lumen fidei non ita efficaciter hominem convincit, ut absolute credere debeat; sed opus est voluntatis electione, qui intellectum ad credendum moveat, & determinet, plus tribuens Divinæ veracitati, quàm humanis ratiunculis in contrarium obstantibus. Quare causam incredulitatis Judæorum in voluntatem eorundem refundit Joannes c. 12. ad quod S. Aug. 11. 26. in Joan. dicit: Judæos non potuisse credere, quia nolebant. Vide Clariff. P. Paulum Mezger in Theol. Scholast. tr. 10. disp. 19. a. 1. III. Requiritur, ut infidelis baptizetur, & per Baptismum Ecclesiæ uniat; antequam verò baptizetur, opus est, ut dolorem de præteritis delictis, præsertim mortiferis, eliciat cū proposito non peccandi de cætero. S. Th. 3. p. q. 66. a. 4.

§. VI.

Finis conversionis infidelium est æterna felicitas, ac felicitas.

§. VII.

Effectus conversionis infidelium est vel principalis, vel minùs principalis.

Principalis est, quòd converso in Baptismo simul cum gratia sanctificante habitus fidei, aliarumque virtutum supernaturalium infundantur. Trid. sess. 6. c. 7.

Minus principalis est divortium conjugum; siquidem si periculum perversionis, aut maliciose defectio subfit, integrum est ei, qui convenerit, divertere, ac ad secunda vota transire: c. 1. h. t. & c. 7. de Divortis. & si alter infidelium conjugum venit ad fidem, altero in infidelitatis errore remanente, communis proles assignatur converso; quod in favorem fidei Christianæ constitutum est in c. ult. h. t.

TITULUS XXXIV.

De voto, & voti redemptione.

SUMMARIUM.

1. *Voti diversa acceptio.* 2. *Definitio.* 3. 4. *Distinctio.* 5. *Votum est meritum.* 6. usque 12. *Quinam votum posse possint, qui non?* 12. usque 17. *Quæ opera voto promitti possint?* 17. usque 20. *Voti requisiti.* 20. *Finis.* 21. *Effectus.* 22. & seqq. *Quibus modis cesset voti obligatio?*

In obligatione religiosa votum editur, nec alia ratio est, cur hoc loco titulus iste inferatur.

§. I.

Votum dupliciter sumitur I. In genere pro quovis desiderio. II. Et frequentius in specie pro promissione Deo facta. In qua significatione.

§. II.

Definitur votum, quod sit promissio deliberata DEO facta, de bono meliori. S. Th. 2. 2. q. 88.

§. III.

Dividitur votum I. In simplex, & solenne. *Simplex* omne illud dicitur, quod privatâ voluntate fit, & in quo non intervenit publica Ecclesiæ acceptatio. *Solenne*, quod auctoritate publicâ Ecclesiæ acceptatur, & solennizatur; estque duplex: videlicet votum castitatis, quod majoribus Ordinibus est annexum, & votum Religiosæ Professionis, quod emititur in Religione à Sede Apostolica approbata. In effectu votum simplex & solenne per hoc discriminantur, quod *solenne* reddat personam absolutè inhabilem ad contractus & actus

contra votum, ut ad matrimonium, vel dominium honorum; *simplex* verò, ut castitatis, reddat contractum matrimonii solum illicitum, non invalidum. c. 3. *Qui Clerici, vel voventes,*

II. *Dividitur* votum in personale, reale, & mixtum. *Personale* est, cum officium, vel opus aliquod personæ promittitur Deo, ita ut materia illius sit actio personæ, sive jam illa actio præcepti sit, sive consilii; ut votum jejuniandi, orandi, ingrediendi religionem. *Reale* est, quando res ipsa DEO promittitur, adeoque materia ipsius ita est res, ut actio personæ vim obligationis voti non ingrediatur, quale est votum erogandæ elemosinæ. *Mixtum* est, quando quis, & rem, & personæ officium pollicetur, ut adeo materia istius constet partim ex actione, partim ex re; ut si voveas, te in capella Ætingana oraturum rosarium, & ibi unum aureum oblaturum. Differentia hæc inter est imprimis, quod, si votum merè personale tanquam onus impositum personæ voventis, per ipsum voventem impleri nequeat, vovens non teneatur satisfacere per alium. Deinde, quod votum merè personale non transeat in heredes, vel alios successores ex bonis voventis locupletatos, votum verò reale, & mixtum, quatenus reale est, transeat, tanquam onus impositum rebus voventis.

§. IV.

Causa efficiens voti duplex est: *remota*, & *proxima*.

Remota est jus tum Divinum, tum humanum: omni quippe *jure* non tantum licitum est votum, sed magis meritum reputatur, si quando aliquid fiat ex voto, quam sine voto; opus namque v. g. jejunium ex voto factum non tantum est actus abstinentiæ, sed & actus patriæ, & sublimioris virtutis, scilicet religionis. S. Th. 2. 2. q. 88.

Proxima est vovens. Vovete autem possunt, quos vel defectus usûs rationis, vel defectus libera voluntatis non prohibet.

N n 2

Ra-

Ratione defectus usus rationis à vovendo arcetur furiosi, amentes, infantes, sive quod idem est, pueri usque ad annum septimum. Et sanè in foro externo ex juris præsumptione certum est, votum pueri ante septimum completum pro nullo haberi, quamvis in interno aliquando aliter eveniat; ubi prudentis Confessarii erit dijudicare, num in illa ætate eo usus rationis polleant, ut peccare mortaliter possint, tunc enim etiam vovere valebunt, ut docet Navar. in *man. c. 12. n. 68.* Illi autem pueri, sive impuberes, qui annum quidem decimum quartum nondum impleverunt, septimum tamen, & ultra progressi suat, voto saltem simplici obligare se absolute possunt. Panorm. ad *c. 2. h. t. n. 2.* ita tamen, ut ejusmodi vota à parentibus, vel tutoribus simpliciter, & directe infirmari valeant, quia impuberes ut plurimum imbecilli rationis usu præditi sunt, ut adeo meritò Lex Ecclesiastica voluntatem eorum hac in ætate Parentum, ac Tutorum, & probabiliter etiam Avi aut Magistratus in defectu Patris, vel Tutoris voluntati, ac auctoritati subiciat, quatenus, si ita eisdem videatur, irritare ejusmodi promissiones possint. Laym. *de voto c. 7. num. 10.* Azor *Inst. moral. tom. 1. lib. 11. c. 16. q. 9.* Sanchez in *Moral. lib. 4. c. 35. n. 11.*

De minoribus patriæ, vel Curatorum potestati subiectis communis est sententia DD. quòd si vota purè personalia sint, neque patriæ potestati præjudicent, irritari à Parentibus, aut Curatoribus non possunt. D. Th. 2. 2. q. 88. a. 9. Azor. *d. lib. 11. c. 17. q. 7.* Sanchez *cir. lib. 4. c. 35. n. 15. & 16.* eò quòd homo, quando venit ad annos pubertatis, regulariter non fit sub potestate alterius, si sit liberæ conditionis, quantum ad ea, quæ ad suam personam spectant. Ut verò à Patre vota filiorum familias personalia ratione præjudicii infirmari possint, debent notabile aliquod damnum concernere: de minimis enim non curat Prætor; ut adeo

solum peregrinationes v. g. longam absentiam requirentes, vel nimia jejunia, quibus ineptus heret filius familias ad expedienda munia à patre justè, & pro familiæ necessitate indicta, rescindere pater familias queat, ut advertit Navar. in *d. c. 12. n. 64.* & Panorm. in *c. scriptura h. t.* Dixi: *personalia*; si enim realia forent, vel mixta, quatenus præjudicium Patris spectant, sine consensu Patris emitti non possent, siquidem quoad hæc filius familias subiectus est, & dependet ab alterius potestate. Sanchez *d. loc. n. 17.*

Defectus voluntatis libera à vovendo submovet I. *impuberes, & minores patriæ & Curatorum potestati subditos, de quibus statim dictum.*

II. *Conjuges*: Siquidem neque maritus, neque uxor absolute aliquod vovere possunt contra jus conjugis, aut impedimentum conjugii. *c. noluit. c. manifestum I. §. ex præmissis. causa 33. q. 5.* Navar. in *Man. c. 12. n. 61. §. 33.* Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 39.* Interim quia maritus majus jus habet in uxorem, quam hæc vicissim, cum uxor etiam quoad rem domesticam subit viro, & in virum solum quoad usum matrimonii jus habeat, ideo maritus in vita uxore nihil quidem vovere potest, quod usum matrimonii impediat. de cætero autem liberam facultatem vovendi habet; uxor verò nec in præjudicium conjugii, neque etiam in detrimentum rei domesticæ rectè vovet. Unde si v. g. longam peregrinationem, jejuniarum &c. voveat, non subsistet votum, nisi sub tacita conditione: *si maritus permiserit. d. manifestum I. causa 33. q. 5.* idque adeo, ut tametsi vir semel assensum dederit, & uxori exercitium voti sui aliquamdiu reliquerit, tamen ex postfacto sententiam mutare, votumque irritare possit, ut *ibidem* habetur. Panorm. in *c. scriptura h. t. n. 8.*

III. *Ratione defectus liberæ voluntatis vovere nequeunt Religiosi, & quidem in primis*

vota realia, videlicet dandi elemosynas à Religiosis administratione non habentibus, nullo modo emitti possunt: quia essent de re aliena, nec grata Deo, adeoque in hujusmodi votis defacto emissis nec Superiorem adire, aut requirere tenentur. Quantum ad vota personalia controversia est propter textum in c. 2. causa 20. q. 4. ubi dicitur: *Monacho non licet votum votare sine consensu Abbatis sui, si autem vouerit, frangendum erit.* Nihilominus dicendum est, hunc textum rectè quidem procedere, si Religiosus aliquid voueat contra regulam, aut regularem observantiam, v. g. quòd velit vivere in eremo. Præterea & eo sensu rectè dicitur, absolute Religiosum votare non posse, quatenus semper votum à Superiore irritari poterit, adeoque tamen non sit contra regulam, puta certæ orationes, abstinentiæ &c. absolute tamen fieri non potest, sed solum sub conditione tacita, vel expressa: nisi Superior contradicat, aut votum irritet. Hujusmodi tamen vota non solum obstringunt vouentem, ad licentiam Prælati petendam, quasi interea in suspensio sint, sed defacto ligant statim etiam ante approbationem Prælati & tamē observari debent, donec irritentur, ut bene docet Navarr. in *Man. c. 12. n. 67. & 69.* Cajetan. 2. 2. q. 88. a. 8. & alii.

IV. Votum ex hac ratione interdicitur Episcopo, qui ea quidem vota tam realia, quam personalia libere emittere potest, quæ officium Episcopale non impediunt, attamen votum longæ peregrinationis, votum ingrediendi religionem, aliavæ, quæ officio Episcopali impedimentum præstant, sine licentia Pontificis emittere nequit: quoniam vinculum, quo suæ Ecclesiæ alligatur, etiam prætextu pietatis dissolvere non licet: bonum enim commune bono, & devotioni privatæ præferendum est juxta c. 10. de *Renunciat.* Sanchez in *moral. l. 4. c. 27. n. 16.*

§. IV.

Materia, seu objectum voti est opus, quod

voto promittitur. Ut autem opus aliquod voto subjici possit tribus conditionibus affectum sit, oportet.

I. Ejus exercitium debet esse in voventis potestate: frustra enim quis se obligat ad id quòd sive nolit, sive velit, ei eveniet. Hinc communis sententia est, non posse quem absolute votare se evitaturum omnia peccata tam mortalia, quàm venialia in genere, & in specie; quia licet vitare omnia peccata mortalia possibile sit per gratiam Dei, quam omnibus conferre paratus est, vitare tamen omnia venialia videtur impossibile saltem de via ordinaria etiam cum gratia Dei, quæ conceditur ex lege ordinaria secundum illud *Joan. 1. si dixerimus, quòd peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vide etiam, quæ notantur in *Trid. Sess. 6. can. 23.* Existimo tamen, valere votum, si vouens evitare omnia peccata venialia, solum intendat, omnem diligentiam habere, ut, quantum in se est, caveat omnia venialia, quatenus cavere cum Dei auxilio possint; cujus ratio est, quòd lex naturalis, & Divina obliget hominem ad evitanda omnia peccata, quantum in se est possibile. Suarez *lib. 2. de votoc. 3. n. 5. & 54.*

II. Opus, quod voto promittitur debet esse bonum: cum enim votum sit promissio Deo facta de bono meliori, actus indifferens, & multo minus actus malus materia voti esse non potest. Unde

Primo nullum est votum de non abscindendis unguibus, barba non fricanda, non nendo, vel fila ducendo die Sabbathi in honorem Beati Virg. Item de non comedendo capita animalium diebus aliis non prohibitis in honorem S. Joannis Baptistæ decollati, vel non vescendis carnibus assis in honorem S. Laurenti in craticula tosti; tamen enim finis (extrinsecus) non sit malus, honor scilicet Beat. Virg. vel alicujus Sancti, quia tamen medium nihil confert ad honorem DEI, & Sanctorum, ejus-

N n 3

mo-

modi materia sub votum non cadet. Dixi
verò: *de non nendo, & fila duccendo*: votum
enim abstinendi ab omni opere servili die Sab-
bathi valere, ait Navarr. in *Man. c. 12. n. 37.*
est namque tale votum de materia bona, &
conducente ad honorem Beatiff. Virg. reddit-
que hominem expeditiorem ad cultum Divi-
num. Interim in dubio, num res, ad quam ser-
vandam se quis voto obligavit, indifferens sit,
vovens contra votum propria auctoritate ve-
nire non posset, sed deberet Superiori potesta-
tem dispensandi habenti aperire, vel ad mini-
mum in foro interno Confessario patefacere,
aut practicè se ad alterutrum determinare: in
tali etenim dubio operandò se peccandi peri-
culo exponeret. Bonac. *de Voto punct. 4. §. 2.*
Navarr. in *Man. c. 12. n. 37.*

14 *Secundò* invalidum est votum, quo quis
amore continentie vover, se non amplius pec-
caturum, nisi cum una, tali vel tali femina: nã
licet amore continentie promittat abstin-
tiam ab illis feminis, & eatenus objectũ voti
bonum sit, quatenus tamen in conceptu voti
involvit pravam voluntatem commercii illiciti
cum tali, vel tali habendi, votum bonum non
est, & resolvitur ejusmodi obligatio principa-
liter in duas partes. *Primò* quòd velit se conti-
nere à feminis reliquis, & eatenus bonum est
votum. Deinde quòd continere se non velit
ab omnibus, eatenus votum malum est, &
quia per modum unius obligationis se tali vo-
to vovens obstringit, non videtur partim va-
lere, partim non valere: dicit enim: *voveo me
absenturum ab omnibus prater unam*; ut adeò
resolvi possit hæc propositio in hanc *voveo
me imposteriũ tantum cum una peccaturum*;
& sic materia voti bona absolute non erit. Dif-
sentit Bonacin. *d. Vot. punct. 4. n. 3.*

15 *Tertiò* quia bonum ex integra causa, malum
ex quolibet defectu, ut votũ subsistere possit,
non tantum materiam, seu objectum in se bo-
num esse, ut est v. g. orare; sed nulla etiam

circumstantiã, vel intentione pravã, que con-
ceptum voti ingrediatur, vitari debet. Quare
eã intentione vovens in templo orare expa-
sis brachiis, ut ex aspectu hominum laudem
reportet, vel die Sabbathi jejunare, ut die Do-
minico magis sapiant cibi, ac eò amplius co-
medere possit, ineptè vover. Verum singula-
riter advertit, utrum hæc intentio causa finalis,
primaria, ac principalis sit, an verò tantum
secundaria, & impulsiva? secundaria, & que
solum impulsiva causa est, ipsum votum non
vitiat, etsi contingere possit, ut mortaliter pec-
cet, vel venialiter pro qualitate turpitudinis &
objecti. Unde vovens ingredi Religionem, ut
cum tempore Prælatus fiat, melius sibi provi-
sum sit de victu, & vestitu, &c. non tamen
principaliter dirigendo suam professionem, &
votum in finem consequendæ prælaturæ, vel
commodæ sustentationis, licet hæc moveant
vovere volentem ad emittendum votum, ejus-
modi promissionem votivam non reddunt
nullam, etsi actum voventis aliquoties vitent;
votum enim in se bonum est, cum materia
bona sit, causa finalis, & principalis bona,
quamvis, quod secundario intenditur, vitio
non careat; cum tamen hoc extrinsecum sit,
ipsis substantialibus requisitis ad votum in se
consideratum nocere non debet, licet corrigi
per pœnitentiam, ac deponi vitiosam hanc in-
tentionem secundariam à vovente necessum
sit. Bonacin. *de Voto punct. 4. §. 1.* Navarr.
in *Man. c. 12. n. 13. §. dixit.*

III. Opus voto promissum debet esse de bo-
no meliori, & tale, quod hominem voventem
non impediat ab eo bono, quod magis placet
DEO, ac melius est. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. Ex
quo sponte fluit, non valere vota illa, que fiunt,
cum intentione amplius v. g. non mutuandi,
non loquendi cum proximo, contrahendi
matrimonium, non ingrediendi religionem,
non se futurum Prælatum, Episcopum, Cleri-
cum &c. quia per se, & regulariter sunt impe-
diti.

divina majoris boni, utpote contraria Divi-
nis consiliis. Navarr. loc. cit. n. 36.

§. VI.

17 *Forma voti consistit in requisitis, quæ tria.*

I. Requiritur, ut sit promissio seria & cum intentione se obligandi facta, non simplex animi desiderium & propositum: quantumvis enim aliquis non semel, sed sæpius sibi opus bonum proponat, & longo tempore in hoc proposito maneat, si tamen non insuper promittat, non censetur votum emisisse. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1. Text. & Panorm. in c. 3. h. t. ubi qui ultra vitæ mutandæ propositum progressus non est, voto dicitur non teneri.

II. Requiritur, ut promissio sit voluntaria, & deliberata; quæ scilicet aliquis liberè, & directè certum quid promittere voluit. Itaque usus rationis, & libertas talis est necessaria, qualis desideratur ad perfectum actum humanum in se volitum, seu, ut alii loquuntur, qualis requiritur ad peccatum mortale. Gutier. can. 99. c. 22. n. 7. Navarr. in Man. c. 12. n. 26. & 27. Deliberatio indirecta, seu in sua causa haud sufficit; proinde si quis in ebrietate, vel somno votum etiam prævisum emitteret, non valeret.

19 III. Requiritur, ut votum fiat DEO saltem mediatè, id est, ut similiter in Deum dirigatur cum sit actus Patriæ, & religionis soli DEO, tanquam auctori omnium bonorum debitus. Hinc si Sanctis, eorum Ecclesiis, vel imaginibus vota nuncupamus, ut per illorū intercessionem sanitatem, vel quid aliud à Deo impetremus, hæc votorum nuncupatio intelligenda est ad modum, quo iisdem templa & altaria dedicari dicuntur: ut enim hæc dicantur Deo in honorem & memoriam Sanctorum, ita & vota Sanctis facta ad Deum tendunt, qui in iis honoratur. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 5. Sylvester V. *de votis* n. 3. Quod si quis Sanctis aliquid promittat expresso animo, non se Deo obligandi, sed Sancto ut excellenti creaturæ, ea promissio propriè non erit votum, nec actus Divinæ religionis, sed singularis observantiæ, & Dulciæ.

§. VII.

Finis voti est gloria Divina, quæ non quomodocunque à vovente intenditur, sed adeò firmâ voluntate, ut & facere promissum opus ad majorem DEI gloriam, & insuper ad illud opus faciendū perpetuò obligat⁹ manere velit.

§. VIII.

Effectus voti est obligatio ad præstandum id, quod fuit promissum juxta illud Isaia 19. Vota vovebunt Domino, & solvent, & illud Psalm. 75. vovete, & reddite Domino DEO vestro. & illud Deuter. 23. si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies, sicut promissisti DEO tuo: Atq; hæc obligatio, quatenus realis est, & rei alicujus dationem respicit, ad hæredes quoque transit. c. 6. de Testam. c. 18. de Censib. l. 2. ff. de Pollicit. Non verò quatenus est personalis, & proprium actum voventis. v. g. jejunium importat, ut docent DD. uno ore. Obligat autem votum juxta receptam sententiam ex genere suo sub peccato mortali; probabiliter tamen ex levitate materiæ peccatum solummodò veniale ejus violatio infert; nam sicut lucrum, quod ex genere suo est peccatum mortale, ex parvitate materiæ inter venialia reputatur, ita idem de voto dicendum existimo, ut docet cum multis Layman lib. 4. tr. 4. c. 3. q. 2. Azor. tom. 1. Inst. moral. lib. 11. c. 15. q. 4.

§. IX.

Contraria voti sunt modi, quibus cessat ejusdem obligatio, scilicet defectus materia, irritatio, commutatio, & dispensatio.

Materia deficere dicitur, si propter supervenientes circumstantias res promissa definat esse melius bonum, vel fiat majoris boni impeditivum, vel omnino destruat, aut fiat impossibilis; veluti si quis certâ die peregrinationem voveat, & postmodum tali die assistendum sit ægroto.

Irritare vota nil aliud est, quàm per sub

tra-

tractionem materiæ, aut libertatis ejus, qui vover, illud reddere cassum vim obligandi ei adimendo. Pertinet autem irritatio ad eos, à quibus aliorum voluntates dependent, vel absolute, vel in tantum, ne præjudicent. *Absolute* dependent voluntates Religiosorum à suo Prælato, hinc potest omnia eorum vota irritare, etiam abstrahendo ab omni præjudicio. Solum votum transeundi ad strictiorem ordinem probabiliter excipitur: cum quoad hoc non dependeant. Propter *evitandum præjudicium* dependent filii à Parente, uxor à marito, & vicissim, quatenus usus conguui impediatur, & universim omnes Christiani à S. Pontifice, & Episcopis, in quantum vertitur Ecclesiæ præjudicium, eatenus itaque eorum vota irritare possunt. *c. puella. causâ 20. q. 2. c. manifestum. c. noluit. causâ 33. q. 5. Azor. tom. 7. Inst. moral. lib. 11. c. 17.*

24 *Commutatio voti* nil aliud est, quàm materiã, de qua emissum est votum, mutare in aliam, ut peregrinationem in jejunium. Competit autem potestas ita commutandi vota ordinariè Episcopis, vel Episcopalem jurisdictionem habentibus. *c. 1. & ibi DD. h. t. Extraordinariè etiam aliis v. g. ex privilegio, vel tempore Jubilæi ipsis Confessariis. Ubi tamen adverte, quòd tempore Jubilæi secundùm communiorem sententiam specialiter hæc potestas à S. Pontifice concedenda sit; nam aliàs independens est ab indulgentiis, ac proinde his concessis non videtur eò ipsò etiam data facultas commutandi vota: ut verò commutatio legitime fiat, justa causa intervenire debet, nimirum difficultatis votum implendi, vel utilitatis, si votò ligatus velit opus utilius præstare. Et siquidem de majori utilitate certò constet, v. g. Religionem ingredi paratus sit, nec Superioris autoritate opus est. *c. 4. h. t. a. 3. de Furejur. bene autem in dubio.**

Dispensatio voti est quædam remissio obligationis quæsitæ Deo per promissionem liberè

factam. Possunt autem in voto solenni dispensare solus S. Pontifex, in simplici etiam Episcopi, vel Episcopalem jurisdictionem habentes. *c. 1. h. t. & ibi Zoëf. n. 74.* Excipiuntur tamen quinque vota singulariter S. Pontifici reservata, nimirum *perpetuæ castitatis, religionis, & tres peregrinationes, scilicet ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, & ad Terram Sanctam, quod ultra marinum appellatur c. 7. 9. & penult. h. t. Extrav. 5. de Penit. & remiss.*

TITULUS XXXV. De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIA.

1. *Status quid nominis? Quid sit status religiosus?*
3. *In quo differat status Monachorum à statu Regularium?* 4. 5. *Qua origo & qui Fundatores status religiosi?* 6. *Quod subiectum?* 7. *Quæ requisita?* 8. *Quis finis?* 9. *Qua obligatio hujus status?*

EThæc de Regularibus, conversione, & voto in genere. Restat modò in specie Regularium vitam, *statumq. Religiosum* examinare.

§. I.
Status vox latè quæcumque, strictè verò accepta eam tantum vivendi rationem denotat, quæ quis alteri perpetuò, & stabiliter obligatur, cujusmodi in Ecclesia tres sunt, scilicet *Conjugum*, qui mutuis obsequiis: *Claustricorum*, qui Divino servitio, & Ministerio Ecclesiæ, & *Religiosorum*, qui suæ Professionis regulæ perpetuò vinculo obstringuntur. *S. Th. 2. 2. q. 183. a. 1.*

§. II.
Definitur status Religiosus, quòd sit fidelium ad Christianæ vitæ perfectionem tendentium stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus editis tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ. *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. 3. & 8.*

Dividitur status religiosus in statum Monachorum, & in statum Regularium.

monachorum, & Canonicorum Regularium, quos in seipſe per hoc ab invicem differre dixeris, quod Monachi ſint tantum Clerici per accidens, & ex eſſentia ſua non Clerici, ſeu Laici; contra Canonici Regulares ſint Clerici per ſe, & ex eſſentia: conveniunt enim Monachi noſtræ temporis cum Canonicis Regularibus, & omnibus aliis Religioſis in tribus votis ſubſtantialibus, ſolumque quoad fines peculiares & in accidentalibus quibusdam differunt, conformiter particularibus regulis diverſis hominum humoribus accomodatis.

§. IV.

Cauſa efficiens ſtatûs Religioſi eſt vel remota, vel proxima.

Remota eſt jus: & quidem ſi ſtatum religioſum ſecundum ſe, & quoad ſubſtantiam ſuam conſideres, ab ipſo Chriſto in nova Legge inſtitutus fuit, ad conſilia Evangelica excitante, ut adeo rectè dicatur Juris Divini conſultantis, non præcipientis. Si verò hunc ſtatum ſpectes quoad propriam regulam, ſive peculiarem, & determinatum modum vivendi, inſtitutioni Eccleſiæ varias Religiones approbantis natales ſuos in acceptis refert.

Proxima ſunt SS. Patriarchæ, & Fundatores Ordinum Religioſorum; puta S. Benedictus, Auguſtinus, Franciſcus, Dominicus, & alii, quos omnes hoc loco recentere, ubi hypothoſis non explico, eſſet extra chorû ſaltare.

§. V.

Subjeſtum ſtatûs Religioſi ſunt Monachi, & Canonici Regulares, qui nullam inter ſe proprietatem habentes, victu & veſtitu contenti, in comûni vivunt, ac tria vota obedientiæ, caſtitatiſ, paupertatiſ profitentur. c. 6. h. t.

§. VI.

Forma ſtatûs Religioſi tribus requiſitiſ abſolvitur: etenim

I. requiruntur tria vota, paupertatiſ, caſtitatiſ, & obedientiæ, quæ propterea vota ſubſtantialia Religionis appellantur, ſive dein ſo-

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

lennia, ſive ſimplicia tantum ſint; cum enim ſolemnitas voti ſolum: & ex inſtitutione Eccleſiæ, eam ſolemnitatem, ſicut in una religione Eccleſia poteſt exigere, ita in alia poteſt eandem non exigere. Id quod patet in Scholaſticis profitentibus Societatiſ, qui, licet non emittant vota ſolemnia, debent tamen dici veri Religioſi, ut definit Gregor. XIII. Anno 1584. in Bulla *Ascendente Domino*. Quod ſi alibi in jure legatur ad ſtatum Religioſum requiri vota ſolemnia, intelligendum eſt juxta jus antiquum, quò talia vota ad Religioſum ſtatum neceſſaria erant. *Clem. 1. de Religioſ. domib. c. Religioſ. in ſim. de Senſ. excom. in 6.*

II. Requiritur, ut Religio, quam quis profitetur, ſit ab Eccleſia approbata. *c. ſim. X. c. un. in 6. Clem. un. & Extravag. Sancta Romana. de Relig. dom. c. un. de Voto. in 6. Sanchez lib. 5. in Decal. c. 4. n. 86. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. c. 15. & alii apud Jacob Pignatell. tom. 1. conſult. 112. n. 4.* cum quibus docet, non eſſe fatiſ emittere tria vota eſſentialia, niſi ſolemnizentur in aliqua religione approbata. Et quidem hodie Epicoſopus novam Religionem recipere non poſſet, niſi à Sede Apoſtolica approbatam. *d. c. ſim. de Relig. domib. ſecus olim: nam Religiones S. Benedicti, Auguſtini, Baſilii, Antonii non fuerunt ab initio à Papa approbatæ, ſed ſolum ab Epicoſpis, quibus ſuberant; eſt ſenſim à Conciliis & Pontificibus ſint confirmatæ*

III. Requiritur ſtabilitas, ſeu permanentia, hoc eſt, ut quis ad tria illa vota, ſeu conſilia Evangelica obſervanda ſtabiliter obligetur: quippe ſtatuſ religioſuſ ſignificat quandam perpetuitatem ſaltem ex parte voventiſ, ut à Religione, cui ſemel ſe mancipavit, liberè recedere nequeat; quanquam à S. Pontifice omnium, & quorundam Religioſorum vota, ab ejuſdem Ordiniſ Superioribus ſolvi poſſint, Suarez *tr. 3. de Relig. lib. 2. c. 3.* Cui non obſtat, quòd Religioſi aliquando ex Monafteriis aſſuman-

oo

assumantur ad Parochias, Episcopatus, ac Cardinalatus: quoniam tales substantialibus votis nihilominus manent obstricti, & propterea ferre debent habitum religionis, quamvis quoad aliquos paupertatis, & obedientiæ effectus eximantur. *d. c. Monach. causâ 16. q. 1. c. Clerici penult. in fin. de Vita & honest. Clericor. S. Th. 2. 2. q. 185. a. 8. an regula sit de essentia statûs Religiosi? disputat Less. lib. 2. c. 14. n. 9.*

§. VII.

8 *Finis* statûs Religiosi est perfectio vitæ Christianæ per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ adipiscenda.

§. VIII.

9 *Effectus* statûs Religiosi est obligatio ad servandam regulam, quam Religiosi profitentur, & tria illa vota: Obedientiam, castitatem, & paupertatem.

Vi obedientiæ tenetur Religiosus obsequi Superiori præcipienti, quæ vel directè, vel explicitè, vel indirectè, & implicitè sunt consentanea regulæ, cui se generaliter adstrinxit, ut docent D. Th. *quodlib. 10. art. 19.* Sylvester *V. religio. 6. q. 6.* & pluribus prosequuntur Lessius *lib. 2. de F. & J. c. 51. dub. 9. n. 77.* Sanchez. *in Decal. lib. 6. c. 2. n. 9.*

De reformationibus, quas nonnunquam facere conantur Prælati, communiter dubitatur, an illas Religiosi vi obedientiæ accipere teneantur? rem distinctione expediri posse video scilicet utrum discretæ sint, & ad defectus corrigendos tendant, an verò sint indiscretæ & contra regulam rationabiliter de Jure, vel consuetudine mitigatæ? *Priores* acceptare tenentur, non item *posteriores* ex præsumpta voluntate voventium, ut qui non nisi ad regulam, prout in tali loco rationabiliter observatur, se obligasse censentur. *P. Engl. ad tit. de Const. n. 23.*

Vi voti castitatis Religiosus ab omni delectatione venerea, non tantum extra, sicut Laici sed etiam intra Matrimonium abstinere tenetur, ita ut transgrediendo duplicem malitiam

committat contra votum scilicet, & præceptum Decalogi, de cujus sacrilegii gravitate passim Moralitæ.

Vi paupertatis non tantum Domini bonorum Religiosus solenniter professus incapax est sed ei quoque illicitus redditur omnis rei temporalis usus à Prælati voluntate, & licentiâ factem præsumpta, independens. *c. non dicat. causâ 12. q. 1. c. 5. de Regularibus. c. 6. h. t.* Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activâ, & passivâ voce privatur, atque etiam juxta hanc regulæ ac ordinis constitutiones punitur. *c. 2. 4. & 6. h. t. Trid. sess. 25. de Regular. c. 2.* Insuper, si in hoc vitio proprietatis decellerit, à sepultura Ecclesiastica excluditur. *d. c. 6.* imò sepultus in loco sacro iterum effodi, & ab Ecclesia projici, ac in sterquilinio sepeliri debet. *d. c. 4. & ibi Panorm. n. 15. Barb. n. 6.* qui rectè notat ad prædictas poenas incurrendas non sufficere, quod pecunia, vel alia res pretiosa apud regulares reperta fuerit, sed prius cognoscendam esse, quod eam ut propriam tenuerit, & factum tale à violatione paupertatis religionis excusari nullatenus possit. Atque hoc voto paupertatis tenentur quoque Prælati, quia sicut in Religiosis subditis, ita & in ipsis superflua amputare debent. Interim sint in suos liberales potius quam parci: tantò enim magis disciplina viget experientiâ teste, quanto uberior (intra limites tamè religionis decentiæ) Religiosis præsertim in victu, & vestitu providetur.

TITULUS XXXVI

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIA.

1. *Quid sit domus religiosa?* 2. *Quotuplex?* 3. *Quod intentione fundatur?* 4. *Quæ ejus materia, s. 1. Quæ requisita?* 7. *Quis finis?* 8. *S. seqq. Qui effectus?*

A Religiosorum statu digredimur ad eorundem Monasteria, Ecclesias, domusq. religiosas.

§. I.

§. I.

Definitur domus Religiosa, quodd sit locus pius religioni auctoritate Episcopi deputatus
c. 4. h. 1.

§. II.

Dividitur Domus Religiosa in *sacram*, & *religiosam in specie*. Domus *sacra* est, quæ ritibus id est iuxta Ecclesiæ formam per Pontifices, seu Episcopos Deo consecrata est. Cujusmodi sunt *templa*, *Sacella*, *Capella*, *Oratoria publica*, & multa *Hospitalia* Ecclesias habentia. Domus *religiosa in specie*, seu non *sacra* est, in qua citra consecrationem ex auctoritate Episcopi pietatis opera exercentur, uti sunt in primis *Monasteria*, *Collegia*, cæteræque *Domus Regularium*. Deinde *Oratoria*, *Capella*, & *dome* *sacra* devotionis causâ, auctoritate tamen *Ordinarii* intra proprias aedes constructa. c. *quidam causa* 18. q. 2. c. *unicuique*, de *Consecrat.* dist. 1. Item *hospitalia* etiam sine Ecclesiis eadem auctoritate erecta, aliaque *Collegia*, & *pia Confraternitates*, & *Congregationes*. Quod si absq; auctoritate Episcopi erigantur, non habentur pro locis Religiosis, etsi propter opera pia ibi exercenda *loca pia* dicantur. Felin. in c. *de quart. a. n. 4.* & *11. de Prescript.* Ludovic. Rom. consil. 477. n. 3. Iulchus V. *hoss. male* concl. 157. & seq.

§. III.

Causa efficiens domûs Religiosæ sunt Reges, Principes, Magnates, aliique pientissimi Fundatores, qui ad cultum Dei Omnipotentis, servitiq; Divini continuationem, familiarum suarum memoriam, & animarum salutem pro extruendis Religiosis domibus sua bona immensâ, ac profusâ liberalitate largiti sunt.

§. IV.

Materia domûs Religiosæ sunt ea, ex quibus componitur. Componitur autem ex fundamentis, parietibus, & tectis. Cartage-na ad h. s. *observat.* 2.

§. V.

Forma domûs Religiosæ stat in eo, ut auctoritas Episcopi inter veniat, in cujus terri-

torio extruitur, ut patet ex *tot. h. s.* Imò ad extruenda nova Monasteria Mendicantiû præter licentiam Episcopi desideratur quoq; consensus S. Pontificis, ut sunt textus expressi in c. *1. de Excess. Pralat.* in 6. *Clem. cupientes de Pænis.* Rot. *decis.* 392. n. 1. p. 4 tom. 2. *Rec.* & præterea observanda est Bulla Clement. V. & Gregor. XV. cujus tenorem refert P. Engel *h. s. n. 4.*

Cæterum utin dubio Oratorium, locus, vel domus religiosa præsumatur, ea concurrere debent, quæ Panorm. Innocent. aliiq; Canonistæ tradunt in c. *inter dilectos* n. 8. & seq. de *Donationib.* quatenus scilicet liceat ibi Sacra celebrare, erigere altare, campanam, quæ missam audituri publicè vocentur, instituere, ac habere cæmeterium, sitq; altare illud lapideû, & fixum, non tantum portatile. Consequenter ubi contrarium reperire est, maximè si dictorum locorum regimea sine Episcopi auctoritate per Laicos exerceri soleat, eaque sæcularibus collectas solvere debeant, à quibus loca Ecclesiastica, & personæ secundum jura exemptæ sunt per *1. sancimus.* & *1. omnia privilegia.* C. *de Episc. & Cleric.* concludendum erit, ejusmodi loca religiosa haud esse.

§. VI.

Finis domûs Religiosæ sunt servitium Dei, officia Divina, ac opera pietatis, & misericordix, ad quæ destinata est.

§. VII.

Effectus domûs Religiosæ duplex occurrit, Primus est subiectio in ordine ad Episcopum. Pro cujus pleniore intellectu.

Dico I. domus, ac loca, tum *sacra*, tum *religiosa in specie* subiecta sunt jurisdictioni spirituali Episcopi, intra cujus Dioccesin sita sunt, ita ut, si aliquem locû sive *sacrum*, sive *religiosum* intra istius fines situm esse constet, vel legitime probetur, super ejus subiectione intentionem in jute fundatam habeat Episcopus c. *omnes Basilica.* causa 16. q. 7. c. 6. 7. & 8. h. s. c. *cum Episcopus de Offic. Ordin.* in 6. Neq; inter-

interest, tametsi auctoritate Papæ locus Religiosus, puta Monasterium, Ecclesia, vel hospitale ob eorum ruinam alteri Monasterio, vel Ecclesiæ alterius etiam Diocesis cum omnibus, juribus & actionibus, quæ eidem competunt, uniatur; nihilominus enim Episcopus suus jus Episcopale integrum confer vabit. *c. 2. & 7. h. t. c. 6. de Except.* Nisi locus ejusmodi vel omnino, vel à certis quibusdam juribus Episcopalis privilegio Papæ, concessione Episcopi in ejus fundatione, vel postea accedente Capituli consensu, aut præscriptione quadragenaria cum titulo, vel sine isto immemoriali exemptus, seu Episcopali jurisdictione subtractus probetur. *c. 6. h. t. & ibi DD.* Planè eò Episcoporum jurisdictione, ac potestas se non extendit, ut de rebus temporalibus, ac proventibus domorum religiosarum pro libitu disponere possit, ac in proprios usus convertere, sed ut Ordinarii locorum, quibus dictæ domus subjiuntur, ordinent ad finem, & usum destinatum. *d. c. 7. & ibi Panorm. h. t.*

9 *Dico II.* hospitalia, cæteraque loca pietatis, & misericordiæ operibus deputata, sed nullâ Ecclesiasticâ auctoritate interveniente erecta Episcopi jurisdictioni non subjiuntur, arg. à contrario deducto ex *c. ad hac 4. h. t.* quia ita erecta, aut instituta hospitalia pia quidem, sed profana, non religiosa loca sunt, cum talia non nisi Episcopali, vel alia auctoritate Ecclesiasticâ fiant: & consequenter neque ad forum Ecclesiasticum spectant, cum de iis Fundator, vel Patronus ad libitum disponere valeat, ita ut dum vivit, si v. g. domum in figuram hospitalis erexit, sublatis lectis locum ad alios usus, etiam non pios denuò applicare, & divertere possit, dummodo ad eorum fundationem se se non obligarit arg. *c. 8. de Donat. & ibi Panorm. n. 12. d. c. 3. & 4. h. t.* Sed hoc ita permillum est Fundatori, seu Patrono, non ejusdem Successori, seu hæredi; is namque piam testatoris voluntatem, quam, dum viveret, non revocavit, adim-

plere tenetur, & ut adimpleat, auctoritate Episcopi compelli potest. Panorm. in *d. c. ad hac 4.* & Fagnan. *ibid. n. 53. h. t.* Sanè quatenus locus pius est, ei que legata fieri possunt, eatenus est sub cura Ordinarii loci. ut bene advertit Castrenf. *consil. 197.*

Alter effectus Religiosæ domus est, quòd exinde non possit fieri locus profanus. per *c. pervenit. causâ 18. q. 2. c. qua semel, & seq. causâ 19. q. 3. c. 5. h. t.* Atq; hoc adeo, ut quavis ob morum corruptionem loci religiosi incolæ spem emendationis non faciant, adeoque veniant expellendi, debeat tamen eidem loco religioso per ejusdem professionis, ac Ordinis Religiosos provideri, neque ad aliorum Religiosorum implantationem deveniendum sit, nisi in illa provincia ejusdem Ordinis Religiosi habeantur. Panorm. in *d. c. 5.* Deficientibus verò Regularibus ejusdem Ordinis, Religiosa ordinis diversi; & his quoque deficientibus tandem Clericis Sæcularibus ejusmodi locus Religiosus concedi possit. Textus, Gloss. & Hostiens. in *d. c. 5. h. t.*

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

SUMMARIA.

1. *Capella unde dicantur?* 2. *Quid sint capella Monachorum?* 3. *Ex quibus causis pertinent ad Regulares?* 4. *Monachis licet in Capellis Divina facere.*

Religiosa domus sunt vel principales, ut Monasteria, vel accessoria, ut capella quæ itidem Episcopo subsunt.

§. I.

Capella dicuntur vel à *capiendo*, quòd capiunt populum, vel à *tappa*, quòd regumentum significat; vel à *capraris* pellibus, quòd in domunculis hilce pellibus sèctis Missæ celebratæ fuerint. Azor. *Instit. moral. t. 2. l. 3. c. 8.*

§. II.

Desinitur Capellæ Monachorum, & aliorum

rum Religioforū, quòd sint aedes sacræ, se-
paratæ ab Ecclesia Monasteriali, in quibus Re-
gulares Sacramenta ministrant.

§. III.

Causa, ex quibus capellæ ad Monachos,
aliòsve Religiosos pertinent, sunt I. *fundatio*:
quando cum autoritate, & consensu Episcopi,
vel Episcopo Superioris eà lege capella fun-
data est, ut per viros Religiosos in ea deservia-
tur arg. c. *qua semel causa* 19. q. 3. II. *privilegi-
um & concessio Apostolica*, cujus tenor & for-
ma diligenter inspiciendi, ac servandi sunt. c.
pro de Privilegiis. c. ad audientiam. de Decretis.
III. *Unio*, quæ Ecclesiæ, vel Capellæ Re-
gularibus, aut eorum Mensis per Episcopum,
vel Pontificem uniuntur. *Clem. si una 2. de Reb. Ecclæs. non alien. c. sicut unice. de Excess. Pra-
lat.* Quid autem sit unio & quotuplex, atque
alia scitu de unione necessaria, exposui ad *Tit.
de Ecclesiast. benef. sine diminut. p. 1. IV. pra-
scriptio 40. annorum*; si quidem titulus con-
currat, sine titulo *immemorialis*; cum olim.
auditis & ibi communiter Canonistæ, ma-
ximè Felin. & Panorm. *de Praescript.*

§. IV.

Effectus in eo conspicitur, quòd Regulares
in capellis, & Ecclesiis præsertim Parochiali-
bus ad Monasteria pertinentibus Missarum
solemnia, cæteraque Divina officia peragere, &
Sacramenta ministrare possint. c. *in paro-
chia causa* 16. q. 1. Wagnerek & Gonzalez
ad c. 1. h. t.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

SUMMARIA.

1. *Juris patronatûs onomatologia.* 3. *Definitio.* 4. usq.
10. *Diffusio.* 10. *Origo.* 11. usq. 16. *Quibus modis
constituatur?* 16. usq. 20. *quibus modis transferen-
tur jus patronatûs?* 20. usq. 25. *Quinam sint capa-
ces juris patronatûs?* 25. *in quibus Ecclesiis locus
sit juri patronatûs.* 26. *Qua sit ejus forma?* 27. In

*quo differant jus patronatûs Ecclesiasticum, & sæ-
culare.* 28. *Quis sit finis?* 29. usq. 33. *Quinam ef-
fectus juris patronatûs.* 33. 34. 35. *Quibus modis
jus patronatûs amittatur?*

Cum institutio tam in Præbendis, quam
in Religiosis domibus, ac Capellis Mo-
nachorum ad præsentationem Patroni fiat,
de *Jure patronatûs* sequitur.

§. I.

Ratio nominis *Juris patronatûs* exstat in c. 1.
filiis, & c. decernimus, causa 16. q. 7. ubi pa-
troni ideo tales dicuntur, quia ipsis defensio,
& cura Ecclesiæ incumbit sollicita.

§. II.

Jus patronatûs variè sumitur I. pro jure 2
Manumissorii competente in bona, & perso-
nas Liberti, ex eo quòd sponte servum ex ju-
stâ servitute liberum dimiserit. *rot. tit. ff. de
Jure Patronatûs.* II. pro Jure Patronatûs Ad-
vocatorum, qui, dum patrocínio suo causas
litigantium tuentur in judicio, patroni causa-
rum salutantur. c. *un. causa* 15. q. 2. c. 6. *de
Transact.* III. Et in præsentí pro jure, seu fa-
cultate præsentandi Clericum ad beneficium;
quæ acceptio est hujus loci.

§. III.

Definitur jus patronatûs, quòd sit jus seu
potestas præsentandi Clericum, instituendum
ad beneficium vacans. Hostiens. in *Summa h. t.
n. 1.* Germanis dicitur das Pfarzlehen/ oder
Geistliche Lehenrecht.

§. IV.

Dividitur Jus Patronatûs I. in Ecclesiasti-
cum, sæculare, & mixtum per c. *cum ausum*
24. h. t. c. *un. Eod. in 6.*

Ecclesiasticum est, quod Collegio Ecclesia-
stico, vel personæ Ecclesiasticæ competit no-
mine & ratione Ecclesiæ, Monasterii, Capi-
tuli, dignitatis, vel beneficii, quod habet, quan-
tumvis fortè à Laico, ejusque bonis patrimo-
nialibus originem traxerit; nam si postmo-
dum titulo aliquo honesto, puta donatione, le-
gato.

gato, testamento, fundatione, in Ecclesiam, vel in Collegium Ecclesiasticum, vel in personam Ecclesiasticam intuitu Ecclesie, dignitatis, aut beneficii Ecclesiastici translatum sit, jus patronatus Ecclesiasticum censetur. *d. c. un. §. verum. h. t. in 6. Barb. p. 3. alleg. 72. n. 128. Rota in una Valentina Beneficii 26. Martii. 1593. coram Orano. Garc. tr. de Benef. p. 5. c. 1. n. 553. qui sub. n. 555. resolvit, quod jus patronatus competens Episcopo (idem est de aliis Prælati) ratione domini temporalis ad suam Ecclesiam pertinentis, Ecclesiasticum sit.*

Saculare, seu *laicum* dicitur non tantum quod laico competit, sed etiam quod à Clerico ratione dotationis, aut fundationis ex bonis patrimonialibus, item ex Successione paterna, vel alio titulo seculari obtinetur. Text. Gloss. & Panorm. in *c. cum dilectus 28. h. t.* Garc. *l. sit. num. 592.* Hoc tamen impræsentiarum nota dignum est, quod advenit Honorius in *Summa h. t. n. 15.* Jus patronatus tale præsumi, qualis est persona, quæ bonâ fide possidet, adeo ut si possideatur à Laicis, præsumatur Laicale, non obstantè, quod ex fundatione, vel dotatione Presbyteri veniat. Mascardus de *Probat. concl. 959. n. 12.* arg. Gloss. in *c. sint manifesta causa 12. q. 1. V. probando.* Si verò possideatur à Clericis, Ecclesiasticum censetur, per *c. consultationibus h. t.*

Jus patronatus *mixtum* est quod partim ad Ecclesiam, vel Clericum jure Ecclesie, & partim ad Laicum pertinet; vel quod partim ratione Ecclesie, partim ratione patrimonii competit. Pirthing. *h. t. n. 3.* Hoc si Patroni inter se convenerint, quatenus alternis vicibus præsentent, ut præscribitur in *Clem. 2. h. t.* juxta Joann. Andreæ in *c. cum in illis §. fin. de Præbend. in 6.* in eo casu, & pro ea vice, quâ Laicus præsentat, totum Laicale censetur; pro eâ verò vice, quâ Clericus, totum Ecclesiasticum: videtur enim tunc mixtorum natura, per hanc alternativam, pro illis vicibus reducta ad sua simplicia, sin verò hæc alternativâ non utantur,

sed simul & semel præsentent, in multis naturam potius Juris patronatus laicalis sapient, quam Ecclesiastici. Hinc neque examine percursum in casu hoc opus, neque in eo reservationi Pontificie locus erit. Garc. de *Benef. p. 5. c. 1. n. 582.* in favorabilibus tamen tale jus patronatus mixtum pro Ecclesiastico habendum esse, ita ut laicus quoque semel tempore ad præsentandum fruatur, docet Clariss. P. Martinus Resch in *disp. de Jure Patron. c. 2. §. 1. n. 5.*

II. *Dividitur* Jus Patronatus in hereditarium & gentilicium, seu familiare. *Hereditarium* est, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos. *c. 3. h. t.* Et tale in dubio semper præsumitur, ut notat Panorm. in *c. cum seculum 13. h. t. Barb. F. E. V. lib. 3. c. 12. n. 20. Rota dec. 756. n. 1. p. 2. & dec. 72. n. 1. tom. 3. p. 2. Recent. Gentilicium* est, quod certæ tantum familiae competit, & relictum est, sive quod tantum transit in illos, qui sunt de genere Testatoris, vel Fundatoris. Barb. *d. c. 12. n. 22.* Et tale esse præsumitur, quoties in ejus provisionibus specialiter fuit habita mentio familiae, & descendentium, nunquam verò hereditariæ qualitatis: aut si per spatium centum annorum nullus extraneus, aut femina in eo præsentavit: quandoquidem ad hanc qualitatem, scilicet gentilicium esse jus patronatus, leviores sufficiunt probationes, cum non agatur de substantia hujus juris, sed tantum de pertinentia. Barb. *cit. loc.* ubi allegat decisionem Rotæ. Gratian. *discept. forens. c. 571. n. 17. & 19.* Cæsar de Panimoll. *dec. 137. n. 24. Cels. dec. 136. n. 7. & seqq.*

III. *Dividitur* in personale, & reale. Illud personæ fundatoris, vel hæredis ejus cohæret, ubicunque extiterit. Hoc castro, vel prædio, aut similibus bonis cohæret, & non ad hæredem tantum, sed quemcumque possessorem Castri, Prædii aut ejusmodi bonorum transit. Clariss. P. Martin. Resch *d. c. 2. n. 4.*

IV.

IV. *Dividitur* in activum, & passivum, Jus Patronatûs activum est, per quod fit, ut beneficium conferri nequeat, nisi talis vel talis præsentet. *Passivum*, quando certi de aliqua familia sunt præsentandi, nec alius extraneus præsentari, vel institui potest, quamdiu idoneus Clericus de familia adest. Et de hoc posteriori non est in proposito magna quæstio, cum fundatoris intentio præ omnibus sit attendenda.

§. V.

10 *Causa efficiens* juris patronatûs est vel remota, vel proxima.

Remota est Jus Canonicum: quævis enim jure stricto, & vi veterum Canonum jus præsentandi soli Episcopo competat. *c. quæcumque causa* 10. q. 1. *c. omnes Basilica. causa* 16. q. 7. ipsa tamen Ecclesia vult eam facultatem suis Benefactoribus etiam Laicis in gratitudinem impertiri, hominûmque ad hæc pia officia voluntatem excitare *c. decernimus. causa* 16. q. 7. Refertur autem ejus origo ad Urbani Pontificis tempora, qui floruit Anno 226.

11 *Proxima* sunt modi, quibus jus patronatûs acquiritur. Et hi alii sunt, quibus constituitur alii quibus ad alios transfertur.

Modi, quibus primitus constituitur jus patronatûs, sunt tres: nempe *fundatio, constructio, & reparatio*, qui singuli disjunctivè sufficiunt ad acquirendum jus patronatûs, prout in hoc titulo jura passim hæc tria distinguunt, & Trid. *sess.* 14. c. 12. *de Reform.* fundationem & constructionem conjunctivè requirens per *sess.* 25. c. 9. *de Reform.* explicatur, ubi hæc disjunctivè requiruntur; imò *c. 3. h. t.* solus fundationis. *c. 25.* verò solius constructionis meminit. *Malcard. de Probat. concl.* 59. *num.* 34. *Covar. pract. quest.* c. 36. *n.* 6. aliique cum *Clariff. P. Martino Relch. disp. de Jure patronatûs. c. 5. n.* 3. Dissentiunt *Butr. in c. 1. h. t. n.* 10. & *Garc. de Benef. p. 5. c. 9. n.* 44.

12 *Potro fundare* dicitur Ecclesiam ad effectum acquirendi juris patronatûs, quando quis

assignat fundum, in quo construere debet. *c. nobis. 25. & ibi* communiter DD. *h. t. c. 2. causa* 18. q. 2. *Jacob Pignatell. consultat.* 117. *sub n.* 5. Ubi satis notabile, quod Ecclesia, in qua capella, vel Altare edificatur, atque in perpetuum titulum beneficium erigitur, in jure præsentandi concurrat cum dotante, vel edificante, quia scilicet fundum contulit ex hypothesi, quod in Ecclesia beneficium erectum sit; *Panorm. in cap. 3. de Eccles. adif. n.* 11. utur praxis subinde contrarium ostendat, & ordinariè sibi capellarum, ac beneficiorum erectores jus præsentandi usurpent; id tamen per inadvertentiam, & ignorantiam Rectorum Ecclesie contingere putat *ibidem Panormit.* vel rectius per contrariam consuetudinem locorum, quam rationabilem esse, & valere testatur *Barb. c. 9. n.* 41.

Construere Ecclesiam dicitur, quando quis pro ea edificanda, ac construenda expensas, sumptusque facit. *d. c. nobis 25. h. t. c. Monasterium. causa* 16. q. 6. Idem est, si quis expensis suis Ecclesiam reparat, ac reficiat, modo reparatio cum Episcopi consensu fiat, & Ecclesia funditus destructa sit, ita ut novà indigeat consecratione. *Garc. de Benefic. p. 5. c. 9. n.* 51. *Fagnan. in c. quoniam. 3. n.* 57. *h. t.* *Clariff. P. Martin. Relch. cit. c. 5. n.* 9. quia non minùs propriè Ecclesiam edificare dicitur, neque minùs eidem beneficium præstat, qui collapsam reedificat, quàm qui primitus eandem construxit. per *c. 7. de Judicis.* ubi tradunt *Interpp.* favorabilius esse destructam reedificare, quàm de novo construere. Equum tamen omninò est, ut Episcopus, priusquam in reedificationem, ab alio faciendam, consentiat, ea de re admoneat antiquum Ecclesie Patronum, eumque idem facere volentem, præ quovis extraneo admitat. *Fagn. loc. cit. Garc. d. n.* 51. & alii arg. *c. porrit. de Locat. & Conduct.*

Dotare Ecclesiam dicitur, quando quis Eccle- 14
siam

siam fundatam, & constructam sine dote sufficienter dotat, ac redditus, seu annuos census, ad celebrationem Sacrorum, sustentationem personarum servitio Divino dedicatarum, & ad alia Sacræ ædi necessaria, in perpetuum assignat. *c. filiis. 3. 1. causâ 16. q. 7. Hac dotatio* an ante, vel post consecrationem interveniente consensu Episcopi fiat? parum interest. favore enim Ecclesiæ indotata retrotrahitur, & fingitur, ac si ab initio ante consecrationem facta fuisset. Panorm. *in c. quoniam. h. t. n. 9. Garc. Azor. & alii apud Pirhing Eod. n. 11.* Certè qui post primam dotationem agros, & quæcunque bona Ecclesiæ donat, etiam eâ conditione, ut fundi dotales fiant, benefactor duntaxat Ecclesiæ, non patronus censetur, quanquam id, quod donatum est, plus sit, quam quod primitus in dotem datum erat; cum dotantes non propter quantitatem rei donatæ Patroni, & fundatores dicantur, sed quia ipsam Ecclesiam quodammodo à non esse ad esse perducunt. Gloss. *in c. piamentis. 26. causâ 16. q. 7.*

Altioris inquisitionis est: an ad hoc ut jus patronatûs ex fundatione, ædificatione, vel dotatione acquiratur specialis reservatio, & consensus Episcopi requiratur? Et consensus quidem Episcopi respectu ipsius fundationis, ædificationis, & dotationis omninò necessarium esse, adeò ut jus patronatûs non acquirat, qui sine prærequisita autoritate, & licentia Episcopi Ecclesiam, vel beneficium fundat, ædificat, aut dotat. *c. nobis. 25. h. t. c. 26. & 27. causâ 16. q. 7.* sufficit tamen consensus etiam ex postfacto accedens, ut si Episcopus templum sine consensu suo prævio ædificatum, postea acceptet, & consecrari jubeat. Panorm. *in c. cura. not. ult. h. t.* Gloss. & DD. *in c. edoceri. de Rescript.* Imò in dubio ex diuturnitate temporis intervenisse præsumitur. Garc. *de Benef. p. 5. c. 9. num. 27.* De cætero tamen non requiritur, ut super ipso jure patronatûs tractatus, vel concessio Episcopalis intercedat, quia

ipso jure per fundationem, ædificationem, aut dotationem cum autoritate Episcopi factam jus patronatûs obrinetur, nullâ de eodem mentione, aut reservatione factâ, dummodò contrarium actum, sive expressè jus patronatûs remissum non sit. *d. c. 25. & est communissima DD. teste Garc cit. c. 9. n. 62.* quidquid unus aut alter in contrarium docuerit.

Modi, quibus jus patronatûs semel legitime acquisitum, & constitutum in alios transferretur, quatuor præcipuè assignantur: scilicet Successio, Donatio, Permutatio, & venditio; hinc triti illi versiculi à Gloss. *in c. cum saculum. h. t.* allegati:

*Jus patronatûs transire facit novus hæres
Res permutatu, donatio, venditioque.*

Successione jus patronatûs transferretur in hæredes. Est autem hac in parte observanda forma fundationis, & primæ conventionis cum Episcopo Ecclesiæ factæ; potuit enim fundator vel omninò remittere jus patronatûs vel sibi tantum, filiis, aut familiæ suæ reservare; regulariter autem non solum filiis fundatorum, ut videtur innuere *c. filiis causâ 16. q. 7.* sed etiam quicumque hæredes extranei, & hæredum hæredes in infinitum succedunt in jure patronatûs. Innocent. *in Rubr. h. t. n. 4.* Panorm. *in c. cum saculum eod. n. 5.* Succedunt autem secundum stirpes, ita scilicet, ut si plures ab uno ex Patronis hæredes relicti sint, omnes simul sumpti unicam duntaxat habeant vocem in præsentatione Rectoris Clem. 2. & ibi Interpp. *h. t.*

Donatione jus patronatûs transferretur in Donatarium aliquando cum, aliquando sine consensu Episcopi: etenim si jus illud sit reale, & annexum universitati, istâ alteri donatâ, ipsum quoque in Donatarium transferri, licet Episcopi consensus non interveniat, facile concedunt DD. *arg. c. 13. h. t.* Si verò personale sit, ut validè donetur Laico, opus est consensu Episcopi *arg. c. un. h. t. in 6.* ubi dicitur, efficacem esse

consensum donationem juris patronatûs à Laico Ecclesiæ, vel loco Religioso etiam sine consensu Episcopi factam; ergo à contrario inefficax erit, si fiat à Laico loco non religioso sine consensu Episcopi. Panorm. in c. illud. h. t. Barb. J. E. U. lib. 3. c. 12. num. 246. Excipitur casus, quò plurium Compatronorum unus jus patronatûs alteri remittit, quod liberè, & Episcopo non requisito fieri posse, docet Gloss. in c. 14. V. contulisse. h. t. Barb. ibid. n. 4. arg. Clem. 2. h. t.

18. Permutatione, ut ritè transferatur jus patronatûs, necessum est, ut permutetur cum alio jure patronatûs, vel simili jure spirituali, aut quod connexum est spirituali, quia de spiritualibus ad temporalia improbatur permutatio tanquam simoniaca in c. ult. de Res. permut.

19. Interdum requiritur ad ejusmodi permutationem consensus Episcopi, ut fraudibus obvietur, cum facilè fingi possit permutatio, quæ tamè revera foret venditio, & sic simonia committeretur. Barb. de Offic. Episc. alleg. 71. n. 21. Panorm. in c. illud. & in c. querimoniam. cum Joan. Andr. & Hostien. h. t.

20. Venditione transfertur jus patronatûs, si universitas, aut castrum vendatur, cui jus patronatûs cohæret; tamen si enim hoc jus utpote spirituale per se, & solitariè vendi nequeat absque vitio simoniæ, si tamen reale sit, & bonis v. g. oppido, villæ, aut castro habenti capellam annexam, aut in hæreditate, castro, villa, aut oppido vendi potest, modò intuitu illius pretium non augeatur, nec alius temporalis respectus habeatur. Text. & DD. in c. 10. 13. h. t. Neque ad hoc, ut jus patronatûs accessoriè vendatur specialiter de eadem conventionem, aut mentionem fieri oportet, sed hoc ipso, dum v. g. castrum, aut villa venditur & non specialiter excipitur, eò ipso in contractum veniet, & ad emptorem transibit, juxta d. c. 7. & ibi Gloss. & Panorm. n. 1.

§. VI.

Subjctum Juris patronatûs sunt ii, quibus competit. Potest autem competere omnibus tam Laicis, quàm Clericis, qui non speciali jure excluduntur. c. 3. & 25. h. t.

Nec refert I. mares sint, an fæminæ? nam & fæminæ juris patronatûs capaces sunt, per Text. in c. fin. de Concess. præb. c. ex literis. c. nobis. & ibi Panorm. h. t. Garc. de Benefic. p. 5. c. 9. n. 142. Hinc si jus patronatûs sit hæreditarium, imò etiam gentilitium fæminæ quoque in eodem succedit: cum, si Riccio in Prax. p. 1. resol. 169. fides, jus quæsitum sub hac forma: *mibi & fratribus, ac eorum hæredibus*, etiam sorores complectatur. per l. fratres. C. de Inoffic. testam. & l. tres fratres. & ibi Gloss. ff. de Pact.

Connexa difficultas est: utrum si mulier in dote det castrum, in quo jus patronatûs habet, vir durante matrimonio præsentare possit an mulier? Zoëf. h. t. n. 36. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18. alique plures præsentationem attribuunt Marito, tanquam Domino civili rerum dotalium. Panorm. in c. fin. de Concess. præb. Azor. Instit. mor. tom. 2. lib. 6. c. 21. q. 16. probabilius in præsentando uxorem præferunt Marito: licet enim jus patronatûs transeat regulariter cum universitate honorum per c. ex liberis h. t. dos autem sit aliqua universitas; quia tamen originaliter dos tantum debetur propter fructus ad compensationem onerum matrimonii. l. 20. C. de Jure dos. jus patronatûs verò potius sit quidam honor, quàm fructus re ipsâ æstimabilis, penes uxorem manebit jus præsentandi.

Neque refert II. pubesquis sit, an impubes. Azor. cit. c. 21. q. 14. Layman. loc. cit. & siquidem pupillus infans sit, ejus nomine Tutor præsentabit. Garc. de Benef. p. 5. c. 9. n. 193. si verò infantiam egressus, & septuaginta major sit, in præsentando Tutori præferatur: tum quia est Dominus hujus juris & constitutus

in hac ætate etiam sponsalia de futuro per se contrahere potest. *tot. cit. de Despens. Impub.* tum quia sicut patria, ita nec potestas tutoria in spiritualibus locum habet per ea, quæ notantur *in c. fin. de Judic. in 6.* non enim spiritualia administrat tutor, ut advertit Gloss. *in c. ex co. V. Suffragium. de Elect. in 6.* attamen ex communi saltem de honestate Pupillus auctore Tutore presentare debet. Gloss. *in c. decernimus. causâ 16. q. 7. Garc. loc. cit. Zoëf. h. t. n. 40.*

23 Nec refert III. sive legitimi sint, sive illegitimi: nam etiam Spurius juris patronatus capaces censentur, ex quo nullibi prohibentur, & generaliter disponitur *in c. pia mentis. c. quicumq. c. filius. causâ 16. q. 7.* quemcumque Christianum fundantem, dotantem, aut exstruentem Ecclesiam jus patronatus acquirere; & sine dubio spurius est capax hereditatis, ab extraneo acquirendæ; ergo & juris patronatus. Azor. *tom. 2. Inst. moral. lib. 6. c. 21. q. 15.* Neque impedit, quod incapax sit honorum, beneficiorum, ac officiorum publicorum: nam hoc solummodo verum est de officiis, honoribusque verè publicis, & maximè secundum electionem, & optionem publicam acquirendis, non improprie dictis, & in aliquam remunerationem, & compensationem primordialiter concessis.

24 Excluduntur Judæi, pagani, hæretici. Azor. *d. lib. 6. c. 21. q. 7. & 8. Panorm. in c. nobis. h. t. Text. & Gloss. in c. frequentibus. in c. pia mentis. c. quicumque. causâ 16. q. 7.* cum enim pagani & Judæi sint extra Ecclesiam, juris patronatus, suo modò spiritualis, incapaces sunt: & *in cit. cap.* mentio fit de solis Christianis, quæ qualitas Christianitatis, cum vacet in his personis, meritò rejiciuntur, utpote requisitâ qualitate destitutæ. Quoad hæreticos de jure scripto res etiam expedita est: nam ob hæresim omnia illorum bona ipso jure confiscata sunt, consequenter etiam jus

patronatus ad fiscum abibit. *per c. cum secundum leges. de Hæret. in 6. Azor. & Panorm. cit. loc.* In praxi res est difficilior maximè in nostra Germania, ubi certæ sectæ hæreticorum tolerantur, neque hanc pœnam incurunt: quippe ex quo sunt capaces hereditatum, etiam juris patronatus capaces dixeris, quod cum universitate, ut est hereditas, transit: maximè quia constat, in aliquot Monasteriis Sueviæ Comites A catholicos hodie prætere, & possidere jus Advocatiæ, ex eo solum, quod sui majores tunc Catholici, idem adepti sint, quibus illi, utpote legitimi hæredes, in omne jus, quod habeant, successere. Mallem tamen asserere, Ecclesiam, & ordinarios locorū de rigore juris eos posse repellere à presentando, quandoquidem Ecclesia nunquam consensit in illorum confederationem, & liberum commercium cum Catholicis habendum, atque de Jure Canonico æquè in pœnam suæ sectæ omnibus suis bonis privantur. *per d. c. cum secundum leges. de Hæret. in 6.*

§. VII.

Objectum juris patronatus sunt Ecclesie, circa quas jus patronatus ex fundatione, constructione, aut dotatione competit. Ubi discernendæ Ecclesie *collegiata, seu conventuales à non collegiatis. Collegiata, seu conventuales* appellantur, in quibus plures Clerici seu Sæculares, seu Regulares commune sigillum habentes, tanquam fratres, constituunt unum collegium, sive potius tanquam membra unum corpus Ecclesiasticum, cujus caput est Prælatum, qui de Jure communi à collegio eligendus est. *per c. 1. de Elect.* In hujusmodi Ecclesiis, etsi fundatione, aut donatione jus patronatus acquiratur quoad honorem, aliisque similes effectus; jus tamen presentandi, vel nominandi Prælatum sine Sedis Apostolicæ consensu non obtinetur. *c. nobis & ibi Panorm. n. 2. Barb. n. 3. & Fagn. n. 14. Non colle-*

collegiata vocantur, in quibus unus, vel etiam plures Clerici, seu Beneficiati singulares, commune sigillum non habentes diversis officiis, & ministeriis deputati, & uniti Ecclesiæ Rectori subiecti deserviunt, quin efficiantur unum collegium, seu corpus, cujus caput sit Præsul ab ipsis eligendus. Laymann in *d.c. r. de Elect. a. n. 1.* In hujusmodi Ecclesiis jus patronatûs non tantum quoad honorem, seu præcedentiam, sed & quoad jus Rectorem, & alios beneficiatos præsentandi patronum consequi, pro judicato habetur.

§. VIII.

26 *Forma juris patronatûs alia est generalis, alia specialis.*

Generalis in eo posita est, quòd sit jus spiritali annexum, honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia, eò quòd de Ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit, vel dotaverit, aut id à suis Majoribus, vel Antecessoribus factum fuerit.

27 *Specialis* consistit in differentia, quâ inter se differunt jus patronatûs *Ecclesiasticum*, & *seculare*. Differunt autem I. quòd patronus *Laicus* ad beneficium vacans plures, vel simul vel successivè, re adhuc integrâ & nondum factâ institutione; *Ecclesiasticus* verò non nisi unum præsentare possit. *c. 5. & 24. h. t.* Quemnam autem ex pluribus præsentatis Episcopus eligere, & instituere teneatur? dictum est supra ad *tit. de Instit. n. II.* II. Differunt, quòd Patronus *Ecclesiasticus* ad præsentandum habeat semestre, tametsi jus præsentandi à Laico sibi donatum adeptus sit. *c. 22. h. t. c. m. Eod. in 6. & ibi Gloss.* *Laicus* verò tantum quadrimestre, siquidem nomine proprio & non procuratorio locò Clerici præsentet. *c. 3. & 27. h. t.* Quod temporis spatium eatenus extendimus, ut tametsi Patronus sive *Laicus*, sive *Ecclesiasticus* aliquem jam ante præsentaverit intra quadrimestre, vel semestre, si tamen is non prosequatur suam præsen-

rationem, admissionem, & institutionem, possit patronus tempore illo elapso alium, præsentare, quandoquidem negligentia præsentati non debet redundare in præjudicium Patroni. Zerol. in *prax. Episcop. V. jus patronatûs. 2. p. III.* Differunt, quòd Patronus *Laicus* non obstante decreto Trid. *sess. 24. c. 18. de Reform.* pro libitu ad Parochiam Clericum aliquem præsentare possit, qui per Examinatores ad concursum destinatos tantum examinari, & dignus repertus ab Ordinario institui debeat; econtra si Patronus *Ecclesiasticus* sit, concursus locum habeat, ut prolixè tradidimus ad *tit. de Concess. Prab. n. 29.* IV. Differunt, quòd Papa juri patronatûs *seculari* derogare non soleat, Legatus verò non possit. *c. 28. h. t. & ibi Panorm. n. 3. Barbof. n. 3.* secus de *Ecclesiastico*; propterea, ne Laici à fundationibus absterentur, & jus patronatûs contemnant, si illud non facile eludi posse videant. V. Differunt, quòd probabiliter solus patronus *Ecclesiasticus* privetur jure suo pro illa vice, si inidoneum præsentaverit. *c. 2. ibi: minus idonea persona de Suppl. neglig. Prælat. non item Laicus* per satis clarum textum in *c. cum vos. de Officio Ordinarii & ibi Panorm. Barb. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 105.*

§. X.

Finis, ob quem Ecclesia jus patronatûs tribuit, est, ut eos, qui pio affectu ducti res suas Ecclesiæ dedicarunt, aliquo saltem jure, tanquam perpetuo voluntatis & pietatis monumento remunerarentur.

§. XI.

Effectus juris patronatûs sunt jura, quæ ex eo Patronus consequitur, vide licet *jus honorificum, utile, & onerosum* juxta dictos illos versiculos.

Patrono debetur honos, onus, emolumentum, Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus. Primus itaque effectus est honor, quem patronus obtinet in Ecclesia juxta c. pia. causa 16.

q. 7. quia in ista eidem debetur sedes honorabilior, locus dignior & prioritas in processionibus, in suscipiendâ pace, thurificatione, & aliis actibus similibus. Barb. *J. E. U. lib. 3. c. 12. n. 215.* Extra Ecclesiam etiam ab istius Rectore, vel Administratore honorandum esse Dd. passim tradunt.

30 *Secundus est onus*, seu cura defendendi Ecclesiam, ne bona ejus indebitè dilapidentur, vel ad alios, quàm à fundatore destinatos usus convertantur. *c. constitutum causâ 16. q. 9. c. filii causâ 16. q. 1.* Barb. *J. E. U. lib. 2. c. 2.* At in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se ingerere præsumat Patronus, saltem laicus; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus se immisceat: nisi quatenus id ei ex institutione, aut fundatione competit. *c. noverint. causâ 10. q. 1.* Concil. Trid. *sess. 24. de Reformat. c. 3. in fine.*

31 *Tertius effectus est utilitas redundans in Patronum*: quia si patronus vergeret ad inopiam, Ecclesia teneretur eum præ reliquis pauperibus ex redditibus, qui detractis necessariis impensis supersunt, alere, ac juvare *c. nobis. h. t. c. quicumq. 30. causâ 16. q. 7.* æquissimâ ratione, quâ ad remunerandum iis obligati sumus, à quibus beneficium accepimus. *arg. l. 26. §. 12. ff. de Condict. indebit.*

32 *Quartus demum, & præcipuus effectus est facultas præsentandi Clericum ad beneficium vel Ecclesiam vacantem*, quæ Patrono ita competit, ut intra tempus à jure indultum ad præsentandum, ipso contradicente, vel etiam ignorante, ab Episcopo, vel alio, qui jus instituendi habet, facta Clerici institutio ipso jure irrita sit, ac proinde hæc non obstante in Ecclesia, vel beneficio instituendus sit alius Clericus idoneus à Patrono reclamante intra præscriptum tempus postea præsentatus. *c. 14. h. t. c. decernimus causâ 16. q. 7.* Rochus de

Curte *V. honorificum, n. 3.* & Ego *supra de Institut. n. 15.* Porro se ipsum Patronus nec per se, nec per alium à se delegatum præsentare potest, etiam si Clericus sit, & idoneus. *c. 26. h. t. suum tamen cognatum, quin & filium præsentare nullo jure prohibetur. arg. c. 15. Eod. & ibi Gloss. in V. concedere. Panormit. ad idem n. 3.*

§. XII.

Contraria Juris patronatus sunt modi, quibus amittitur. Amittitur autem vel propter defectum fundamenti, vel propter delictum, vel propter non usum, ac subsequutam prescriptionem.

Propter defectum fundamenti amittitur jus patronatus I. si Ecclesia sine spe reedificationis planè pereat, aut dos ei adimatur, quandoquidem non entis nullæ sunt qualitates. Barb. *J. E. U. lib. 3. c. 12. n. 254.* Zoëli. *h. t. n. 68.* II. Si cum Patroni consensu ex Ecclesia patronata fiat Monasterium, vel Ecclesia collegiata, cum in his non præsentatio, sed electio obtineat. Butr. *in c. 25. h. t. n. 26.* Vallensis *§. 7. n. 5.* III. Si Ecclesia patronati obnoxia alteri Ecclesiæ, vel Monasterio sine juris reservatione uniatur: quia Ecclesia unita alteri censetur quasi extincta. Pirrhing. *h. t. n. 138.* Zoëli. *n. 68.*

Propter delictum jus patronatus amittitur I. Si Patronus incidat in hæresim, Schismâ, apostasiam, aut crimen læsæ Majestatis: cum propterea omnia bona confiscentur. *c. fin. de Heret. Panormit. in c. cum laici h. t.* II. Si quis per se, aut per alium temerario ausu Prælatum, Rectorem, vel Clericum Ecclesiæ patronatæ occidat, vel impias in illos manus injiciat vulnerando vel aliâ enormi læsione offendendo: *c. 12. de Pœnis & ibi Panormit.* ut tamen privatio ex hoc capite delicti effectum habeat, sententiâ Judicis declaratoriâ opus est, licet delictum fuerit notorium. Gall. *2. observ. § 1. n. 6.* III. Si se scienter, & malicio-

litiōse ingerat quoad perceptionem fructuum beneficii, siue deinde in proprios usus convertat, siue tantum impediāt, ne ad Beneficiū perveniant; qui talis præter privationem juris patronatūs etiam excommunicationem incurrit. Trident. *sess. 22. de Reformat. c. 11. §. quodlibet ejusd. Ecclesie. & ibi Barb. IV.* Si Patronus contra functiones canonicas venditione, aut alio quocunque modo prohibito jus patronatūs in specie in alium transfert. Trident. *sess. 25. de Reformat. c. 9. §. nec dictum & ibi Barb. Pialec. in Prax. Episc. p. 2. c. 5. n. 1. n. 37.*

Propter non usum (intellige positivum, non merè negativum) ac præscriptionem perditur jus patronatūs, si Patronus tanto tempore, quantum de jure requiritur ad præscriptionem, præsentationes de Rectore Ecclesie facere, cum posset, omisit, & duabus saltem vicibus Rector fuerit sine præsentatione institutus. Panormit. *consil. 106. vol. 2. Barb. J. E. U. lib. 3. c. 12. n. 257.*

TITULUS XXXIX.
De Censibus, Exactionibus,
& Procuracionibus.

Quemadmodum Jus patronatūs, ita & census, exactiones, & procuraciones onera sunt Ecclesiarum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum, de quibus proinde hic sigillatim.

Pars I.
De Censibus.
SUMMARIUM.

1. Censuum homonymia. 2. Definitio. 3. Divisio. 4. usus. 9. Quinam possint imponere censum? 9. 10. 11. An, & quatenus census possit exigi à Monasteriis, aut Parochiis incorporatis? 12. In quibus rebus census constitui possit? 13. Adferuntur requisita ad censum imponendum. 14. Quis sit finis census. 15. An census remitti possit?

§. I.

Vocabulum *census* non uno semper significato, sed variè pro cuiuslibet instituto à variis accipitur, uti id ipsum Comentatores accuratè ad *h. t.* notare solent. Hic loci significat pensionem annuam ex redditibus Ecclesiasticis in recognitionem subjectionis, aut beneficii solvendam. In qua acceptatione.

§. II.

Definitur census, quòd sit pensio, quæ de proventibus Ecclesie, Monasterii, aliorumve piorum locorum Prælati in signum subjectionis, vel patroni in recognitionem beneficii, vel aliis ex alia iusta causa persolvitur.

§. III.

Dividitur census in novum, & antiquum, *Novus* est, qui ab initio non fuit impositus: vel qui non solvitur regulariter ab aliis Ecclesiis: aut qui imponitur ex causis de Jure Canonico non prodictis. Hostiens. in *Summa. h. t. n. 4.* Honorius *cod. t. n. 6.* *Antiquus* dicitur, qui ab initio, id est, tempore foundationis, consecrationis, vel concessæ exemptionis constitutus est. Potissima autem, & principalis species census est *cathedraticum*, quod nihil aliud est, quam certa summa, scilicet duo solidi (id est aurei rhenani, vulgò *Goldgulden*. *c. 16. de Offic. Ordin.*) singulis annis in recognitionem cathedræ Episcopalis præstanta; & quia olim in Synodo deponi debebat, etiam *Synodaticum* appellatur.

§. IV.

Causa efficiens census est is, qui illum imponit. Potest autem

I. Sine dubio imponere S. Pontifex; quod plerumque facit in signum & argumentum indulgentiæ libertatis, & protectionis. *c. recipimus. de Privileg. c. constitutus. de Religios. domib.*

II. Episcopus, quando remittit jura Episcopalia. *d. c. constitutus.* quæ remissio, ut legitime fiat, fieri debet auctoritate Superioris, &

om consensu, ac consilio Capituli: est enim species alienationis; vel quando concedit aliquas Ecclesias, incorporando piis locis saltem de consensu sui Capituli: *c. pastoralis. de his, qua sunt à Pralat.* Item sibi, vel alteri censum reservare potest tempore dedicationis, vel consecrationis, dotationis, aut fundationis pii alicujus loci, vel Ecclesie: *c. Eleutherius causa 18. q. 2. c. prohibemus. & ibi Gloss. in V. census. & c. quanto h. t.* Hostiens. in *Summa. Eod. tit. n. 3.* Neque hoc in casu videtur necessaria autoritas Superioris, cum hoc de jure concessum sit, & solum videatur requiri in impositione novi census.

6 III. Censum imponere possunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Abbates, aliiq; ad quos pertinent Ecclesie; modò tamen his in casibus etiam in impositione antiqui census auctoritas Episcopi concurrat. Nisi fortè tales personæ Ecclesiasticæ sint, quæ jurisdictionem quasi Episcopalem ibi locorum habent, ubi Ecclesie, quibus censum imponunt, sunt sitæ, & hoc quoad censum perpetuum sibiq; vel aliis ab his personis quærendum: Neque enim absurdum videtur, reliquos etiam Sacerdotes, ac Ecclesiarum Rectores posse saltem ad solutionem census se personaliter obligare, maximè si illa obligatio triennis renovetur, ut satisfiat *Extravag. ambitiosa. de Reb. Eccles. non alien.* Panorm. in *c. praterea. h. t.* Barb. in *c. prohibemus. n. 5. Eod. Inst. moral. tom. 3. lib. 10. c. 7. q. 5.*

7 IV. Censum imponere potest Patronus tempore fundationis, sed non aliter, quàm interveniente consensu, & auctoritate Episcopi. *c. 23. & ibi Panorm. de Jure patron.*

8 V. Ecclesia Matrix Ecclesie filiali, ut textus est ex mente Hostiens. *cit. l. in c. praterea de Transact.*

Episcopi itaque, & jamjam enumeratæ personæ ex causis, ac sub modo, & forma prædictis censum etiam perpetuum origina-

liter Ecclesie in suam quoque utilitatem imponere possunt; novum verò regulariter nunquam exigere, nec veterem sive in suam, sive aliorum utilitatem augere valent, tamen facultates Ecclesiarum augeantur. *c. prohibemus 7. h. t. & ibi Panorm. & Barb. Additi: regulariter: si enim sublit rationabilis causa, puta utilitas alterius Ecclesie valde pauperis, de novo Ecclesie valde diviti, & abundantiam censum imponere possunt. Panorm. in d. c. 7. adhibito tamen consensu Capituli, cum impositio census sit alienatio juris Ecclesie. Panorm. ad d. c. 7. Barb. ibid.*

§. V.

Subjctum census est Ecclesia, vel res, quæ onere census legitime gravata est. arg. *c. 1. de Reb. Eccles. non alien.* Non possunt autem censu gravari Monasteria. *c. 3. h. t.* quia impositio census, cum sit onus quoddam, spectat ad *Legem Diocesanam*, à qua omnia Monasteria sunt exempta. *c. quam sit 5. causa 18. q. 2. c. 8. causa 10. q. 3. c. 8. & 34. causa 16. q. 1.* Ubi notandum est, quòd communiter *Lex Episcopalis* à DD. dividatur in *Diocesanam*, & *Jurisdictionis* per *c. 18. de Offic. Ordinari.* ubi Gloss. censet *Legem Jurisdictionis* illam esse, quæ in dando consistit, id est, quæ Episcopus dare debet, sive jam sint de potestate Ordinis, ut dare confirmationem, ordines, consecrationem; sive de potestate jurisdictionis, ut conferre beneficia, tribuere curam animarum, sententias judiciales proferre &c. *Legem Diocesanam* autem illam dici, quæ consistit in recipiendo, id est, quorum percipiendorum Episcopus jus habet; eorum modi sunt exactis cathedralicis, charitativi subsidii, pensionis alumnaticæ, quartæ mortuorum, quartæ decimarum &c. Et ab hac lege Diocesana Monasteria regulariter exempta sunt per *jurâ allegatâ.* adeò ut in hac parte Monasteria habeant intentionem fundatam in jure, & si ab ipsis aliqua exiguntur de *Legè* Dic-

Dioecelana, non opus sit, suam exemptionem exhibere, utpote quæ ex Jure communi patet, sed Episcopus subjectionem, & exemptionem ab hac regula probare debeat.

10 *Controvertitur I.* An talis exemptio ad Parochias quoque Monasteriis incorporatas extendi possit, ac debeat?

Videbitur fortassis, quòd non, juxta Gloss. in c. inter cetera. causâ 10. q. 3. V. solutionis. ubi dicit Monasteria quidem à lege Dioecelana esse exempta, non verò eorum capellas per c. ult. & penult. de Capellis Monachor. & c. Monachis. de Præbend.

Verùm ex allegatis juribus id expressè haud colligitur, atque hinc etiam in plerisque incorporationibus solet addi clausula: *salvo jure Episcopali.* Certè cit. Gloss. admittit, quòd hæc exemptio etiam in Parochiis acquiri possit, vel privilegio, aut præscriptione quadragenaria. c. de quarta. 4. & ibi DD. de Præscr. vel contraria consuetudine. Barb. I. E. U. lib. 3. c. 19. n. 6. unde si quæ Parochiæ his titulis gaudent, gaudebunt exemptione à regula ordinaria. Imò idem Barb. loc. cit. n. 9. & 14. rectè docet, similem exemptionem jure extendi ad Parochias pleno jure unitas, & incorporatas, siquidem vi talis unionis parochiæ, cessant esse Parochiæ, & ut loquitur Riccius in Praxi unionis Benef. resol. 3 19. cum aliis DD. citatis, vi unionis tolluntur omnia vincula, quæ erant penes talem Parochiam, & assumunt naturam, consuetudines, & privilegia Monasterii, cui annectitur; sicque decisum sæpius esse in Rota testatur idem Riccius *ibidem.* Interim fatendum, hac in re peculiaria accordata servanda esse.

11 *Controvertitur II.* An Monasteria, & Parochiæ iisdem incorporatæ teneantur ad pensionem alumnaticam.

Equidem Trident. sess. 23. c. 18. de Reformat. statuit, ut in qualibet Dioecesi, prout illa ampla, vel stricta est, unum, vel plura se-

minaria erigantur, & sufficienter dotentur ex fructibus Mensæ Episcopalis, Capituli, & quarumcunque dignitatum, Abbatiarum, Prioratuum cujusque Ordinis, beneficiorum quarumcunque etiam Regularium, etiamsi exempta, aut nullius Dioecesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & aliis quibusvis piis locis etiam exemptis annexa sint. In summa, ut Zerola in Praxi Episcopali V. Seminarium ad 5. & Barb. in Collect. an. ad hoc cap. inquit, omnes debent contribuere ad Seminarium, & nullus est exemptus, nisi qui nominatim excipitur in Concilio, cum verba Textus clara sint. Jacob. Pignatell. tom. 1. consue. 223.

At quia in cit. Constit. Trident. hæc exemptio reperitur, quòd nempe illa Collegia, in quibus Seminarium discentium, vel docentium ad commune bonum Ecclesiæ promovendum actu habetur, sint exempta ab hac contributione: & insuper Barb. loc. cit. n. 13. sustinet, Seminario contribuere cogi non debere Abbatem, qui in territorio, & jurisdictione prius Seminarium proprium exerebat, & provisum retinebat; concludendum est, pauca Monasteria ad hanc pensionem alumnaticam teneri, ex quo pleraque habent actu ejusmodi Seminaria. De Parochiis verò incorporatis non immeritò dubitaveris, eò quòd illæ expressè non excipiantur, quin potius specificè in decreto comprehenduntur. Unde Barb. loc. cit. n. 22. ait, quòd Seminario teneantur contribuere beneficiati beneficiorum collationis Monachorum, si intra fines Dioecesis sunt, & ita decisum esse. Nihilominus theoreticè contrarium defendi potest, cum enim Ecclesiæ Parochiales unitæ sunt veluti membra Monasterii, & cum ipso constituant simul unum corpus, & omnes redditus Parochiarum pertineant ad Monasterium, atque Parochis, seu expositis Vicariis tantum relinquatur, quantum necessarium est ad

ad eorum honestam sustentationem; reliqui verò proventus applicentur ad Religiosos, & alumnos studentes in Monasterio alendos, sequitur intentionem S. Concilii Trident. per hoc jam adimpleri, adeoque Parochos, seu Vicarios nullo modo cogi posse, ut insuper aliquid contribuant, sed tanquam membra simul cum corpore esse exempta. Ad id, quod Barb. in contrarium asserit, dicendum est, esse intelligendum de illis Beneficiatis, qui integros fructus alicujus beneficii sibi collati percipiunt.

§. VI.

- 12 *Materia, seu Objectum* censûs sunt res, quæ pondere, numerò, & mensurâ constant, proventus & fructus rerum mobilium, & immobilium: quia non tantum in nummis, sed etiam in frumento, vino, oleo, gallinis, pullastris, & aliis id generis census constitui potest. *c. cum Canonicis. c. ex parte h. t.* Quid autem, & qualiter solvendum sit, conventio, vel Scriptura, aut instrumentum super censu solvendo confectum inspiciendum erit, cujus sanè tenori, & formæ ad unguem standum.

§. VII.

- 13 *Forma* constituendi censum consistit in requisitis, quæ potissimum quinque. *Primum* est auctoritas Episcopi. *Secundum* consensus Capituli. arg. *c. Pastoralis. & c. tua. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* *Tertium* consensus Ecclesiæ, cui imponitur census, si est collegiata. *c. 1. de Rerum permut.* *Quartus* justa causa, puta remunerationis, relevandæ paupertatis & indigentia, redimendæ vexæ, denique illa justa causa judicatur, quæ evidentem utilitatem affert. *Gloss. & DD. in c. nisi de Præbend. P. Engel h. t. n. 3. & 4.*

§. VIII.

- 14 *Finis* censûs variat; ob diversum siquidem finem centum imponi constat ex definitione. In dubio tamen si solvatur Episcopo, vel Prælato inferiori, præsumitur solvi in signum sub-

jectionis, admittitur tamen probatio in contrarium per *c. omnis anima.* ubi Panormit. *c. quoniam de Privileg.* Quod si hæc solutio censûs fiat uni Ecclesiæ ab altera, necessario subjectionem non arguit, cum fundamentum præsumptionis legalis non adsit: nam æquè facile ex alia causa præstari solutio censûs potest, quàm ex titulo subjectionis, Panormit. *in c. quanto n. 2. h. t.*

§. IX.

Effectus censûs est ipsa annua rerum censuum perceptio; quod verum, si is, cujus rebus census est impositus, solutionem injulle non remoretur, vel detrectet: si enim detrectet, est actio in factum, aut interdictum retinendæ, vel recuperandæ possessionis. Speculator *h. t. §. 1.* Interim absurdum haud videtur, quin Ordinarius loci etiam censum in signum subjectionis solvi consuetum ex rationabili & legitima causa cum consilio, & consensu sui Capituli remittere, vel imminuere possit per Text. *in c. cum Venerabilis. h. t. Hostiens. in Summa Eod. tit. c. pastoralis. c. tua de his, quæ fiunt à Prælat.* Imò ut bene notat *ibid.* Hostiens. tanta evenire potest paupertas, ut eâ durante Episcopus teneatur remittere arg. *quando h. t. & c. suggestum de Decimis.* Eâ tamen paupertate cessante censum illum quandocunque volet, reducere poterit, tametsi jam longissimo tempore nulla censûs solutio facta sit, arg. *l. compet. C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.* Panormit. *in c. significavit. in fin. h. t.*

Pars II.

De Exactionibus.

SUMMARIUM.

17. *Exactionis diversa acceptio.* 18. *Definitur civitatum subsidium.* 19. *Qui exigere possint?* 20. *à quibus?* 21. *In qua quantitate. & de quibus rebus?* 22. *Et quomodo fieri debeat exactio?* 23. *Finis.* 24. *Et effectus exactionis.*

§. I.

Exactionum nomine veniunt non tantum tributa, atque collectæ, quæ subditis extra ordinem imponuntur, sed etiam pedagia, guidagia, aliæque similia onera. *c. pensule. h. t. in 6.* Hic pro subsidio charitativo germanicè *Wettoder Liebe*: Geld sumitur, &

§. II.

Definitur exactio, quod sit pensio, quæ de redditibus Ecclesiasticis extraordinariè, & in subsidium ab Episcopo exigi potest ex iusta causa expressâ simul, & manifestâ. *cap. 5. & 6. h. t.*

§. III.

Causa efficiens exactionis est is, qui petit. Non est autem dubium, exactionem, seu charitativum subsidium petere posse S. Pontificem; sicut & reliquos Prælatos Superiores, imò & Capitulum Sede vacante, Barb. *de Piusf. Episcop. p. 3. alleg. 87.* Innocent. *in c. 1. de Statu Monach.* Oldrad. *in consil. 104.* Cardin. *in Clem. 1. §. 1. q. 1. de Excess. Pralat.* qui idem *in Clem. 1. §. fin. de supplend. negl. Pralat.* sentit, quod etiam Prælati inferiores ab Ecclesiis sibi subiectis (subintellige pleno jure) charitativum subsidium petere possunt.

§. IV.

Subjectum hujus exactionis sunt Clerici subditi, quibus imponitur. Laici nullo modo tenentur ad exactionem, aut charitativum subsidium. *c. quia cognovimus causâ 10. q. 3.* Item peti nequit ab Exemptis. Barb. *de allegat. 87.* Imò tametsi Monasteria absolute exempta non sint, nihilominus tamen ab iis charitativum subsidium peti nequit ab Episcopis, nisi fortè hoc fieret ratione Ecclesiarum & Parochiarum sibi subiectarum, quæ antequam ad Monasteria transierunt, tale subsidium solvete consueverunt. *Clem. 1. & 2. h. t.* Ratio in promptu est, quod Monasteria exempta sint ab iis, quæ pertinent ad Ordina-

KÖNIG IN DECRET. LIB. III.

rium loci jure legis Dicecesana, ut est etiam exactio charitativi subsidii. Barb. *d. loc. Innocent. in c. 1. de Statu Monach.* An à Parochiis plenò jure incorporatis exigi queat? resolvi potest ex supradictis.

§. V.

Materia, seu Objectum hujus exactionis est id, quod exigitur de fructibus beneficii. Quantum vero titulo subsidii exigi possit, taxatur *in Extravag. vas electionis. §. premissis quoque h. t.* Notat vero Menoch. cum aliis, *de Arbitr. Jud. casu 187. à princ.* quòtam ibi taxatam usu receptam non esse, adeoque illud debet & potest exigi, quod, ac quantum hucusque consuetum erat. Insuper charitativi subsidii solutio aliter fieri non debet, quàm de fructibus beneficii, deductis non solum expensis, cum fructus non nisi his deductis censeantur. *l. si à Domino. §. fin. ff. de Petitione heredit.* sed etiam necessariis ad sustentationem, cum ordinata charitas incipiat à se ipsa *per c. dilecto. de Prabend. l. preses. & ibi. Bald. C. de Servitut. & aqua.* Planè distributiones quotidiana subsidio hoc oneranda non sunt, cum nomine fructuum non contineantur, ut demonstrat Barb. *F. E. U. c. 18. num. 8.*

§. VI.

Forma Exactionis, seu charitativi subsidii stat in modo legitimo exigendi. Ubi requiritur I. ut exigatur cum consilio Capituli, alioquin invalida erit exactio *c. novi. c. quanto. de his, que sunt à Pralat.* II. ut ex iusta, & legitima causa exigatur, sunt autem plures iustæ, & rationabiles causæ petendi subsidium; veluti est, si Episcopus contraxit debita pro defensione suæ Ecclesiæ, eaque aliter commodè solvere nequit, si erogavit magnos sumptus, & impensas in negotia totius Diceceseos: si rem magni momenti, v. g. castrum, vel oppidum emit ad suæ Ecclesiæ conservationem: si iter suscipit ad Papam, vel Imperato-

Q 9

xato-

ratores propter Ecclesie, vel sue Dioceseos utilitatem: si redditus Episcopatus impares sunt ad idonee sustentandum Episcopum; si bellum Episcopo sine causa movetur, nec sufficiunt redditus ad expensas &c. Azor. *Instit. Moral. tom. 3. lib. 9. c. 12.* III. ut exactio sit moderata, & ab initio cum charitate petatur. *c. 6. h. t.* atque inde *subsidiium charitativum* esse perhibetur, & alias *doni gratuiti* nomine insignitur. quamvis in effectu onus necessarium exsolvendum complectatur, dum rationabili causa existente refractarii, ac renitentes etiam inviti ad solutionem compelli possunt. Innoc. Hostiens. Butr. & Panorm. *ad d. c. 6.*

§. VII.

23 *Finis* exactio est, ut ea promoveatur bonum commune Diocesis, Ecclesie indigenti aut ipsi Episcopo inopi succurratur.

§. VIII.

24 *Effectus* exactio est pensionis exacte solutio, & receptio pro fructuum beneficalium quantitate, ex quibus exactio, seu charitativum subsidium exsolvendum est juxta ante dicta.

Pars III. De Procuracionibus.

SUMMARIA.

25. *Procuratio* quid nominis? 26. *Quid* rei? 27. *Quam* ob causam jus statuat procuracionem esse dandum? 28. *Quinam* teneantur prestare procuraciones? 29. *Procuratio* consistit in vidualibus. 30. *Qua* sit forma? 31. *Quis* finis? 32. *Qui* effectus procuracionis?

§. I.

25 **P**rocuracionis acceptio varia reperitur apud Calepinum, & Thesaurum. Hic sumitur pro sustentatione ratione visitationis debita; quae aliquando *prandium*, alibi *convivium*, & nonnunquam *refectio* appellatur. Petrus de Murga *tr. de Benefic. q. 2. num. 124.*

§. II.

Definitur procuratio, quod sit exhibitio sumptuum necessariorum facta illis, qui Ecclesias Diocesi subjectas visitant. Trid. *sess. 24. de Reform. c. 3.*

§. III.

Causa efficiens Procuracionis est jus: neque enim officium hoc visitandi ex se facis onerosum, simul & damnosum sit Episcopis, qui ordinarie majores sumptus in itinere, quam domi facere coguntur, jura generaliter statuerunt, ut procuraciones subministrarentur ab Ecclesiis, quas visitant. *c. procuracioni. h. t. conquerente. de Officio ordinarii. c. cum ex offic. de Prescript.*

§. IV.

Subiectum Procuracionis sunt Ecclesie: & quidem Ecclesie omnes, quae oneri visitandi, oneri quoque procurandi ipsum visitantem subiectae sunt. Hinc ad procuraciones tenentur non tantum Parochiae Saeculares, sed & Monasteria, utut alias ab illis, quae ad *Legem Diocesanam* spectant, libera ac immunita sint. *c. 14. h. t. Trid. sess. 24. de Reform. c. 3.* Excipiuntur I. Oratoria privata, ubi in iis aliquoties Missae celebrentur. *c. fin. h. t.* II. Ecclesiae suae intra eandem civitatem, ubi visitans moratur, & domum, ac familiam habet saltem secundum Trident. *cir. c. 3. quamvis* ex mente Azorii *p. 2. Instit. Moral. lib. 3. c. 24. q. 4.* aliud de Jure Decretalium obtinuerit. Barb. *ad d. c. 14. num. 8.* III. hospitalia, si titulum beneficii annexum non habeant, Xenodochia, Leprosaria, & alia similia loca pia, etiam cum autoritate Episcopi erecta, ita scilicet, ut licet ab Episcopo visitentur, prout visitari possunt juxta *c. 3. de Religios. domib.* Procuraciones tamen non debeant, eo quod bona hujusmodi locorum ad alios certos usus, & sustentationem pauperum destinata sint. Riccius *in sua prax. p. 4. resolut. 151.* Barb. *ad d. c. 14. n. 11. & de Poss. Epi.*

Episcop. p. 3. alleg. 73. n. 46. Azor. cit. lib. 3. ta. Barb. de Potest. Episcop. alleg. 73. p. 3. n. 57. §. VII.

Quâ ratione ex dispositione Trid. sess. 23. c. 18. neque ad Seminarium contribuere obligantur, neque ad cathedralicum, per ea, quæ notant Interpp. ad c. fin. h. t.

§. V.

Materia, seu objectum procurationis sunt omnis generis victualia, aut eorum pretium: quamvis enim in c. 1. & 2. h. t. in 6. cautum fuerit, ne procuraciones in pecunia recipiantur, tamen visitati ultrò offerant, sed præciè in victualibus, id tamen correctum est in c. 3. Eod. tit. & lib. ubi conceditur Episcopis, aliisque Visitatoribus, ut à volentibus Ecclesiarum, & locorum visitatorum Rectoribus pecunias licitè recipere possint pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus visitationis officium personaliter exercebunt. Trid. cit. sess. 24. c. 3. Cæterum caveat visitator, ne ipse, Notarius, Secretarius, Scriba, vel quisquam suorum famulorum, ac comitum aliquod munus, quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, recipere præsumat. Quod si fuerit contra præsumptum, recipiens graviter peccat, & intra mensem tenetur ad restitutionem dupli. c. 1. §. procuraciones. h. t. in 6. Trid. cit. sess. 24. de Reformat. c. 3. & ibi Barb. Navarr. h. t. consil. 1. Azor. loc. cit. q. 9. Quod notent Confessarii ejusmodi personarum, eas enim absolvi non posse, nisi promittant, se duplum restituras, ait Barb. ad d. c. 1. h. t. in 6. n. 17. & 22.

§. VI.

Forma procurationis stat in honesta, & moderata sustentatione Episcopi, vel alterius visitantis attentis facultatibus Ecclesiarum visitandarum, & omnibus aliis circumstantiis. Procuratio itaque limitata est ad sola victualia Visitatori, ejusdem famulis, ac jumentis præstanda, ut adeò Visitator non possit imputare expensas, quas fecit in conducendis equis, minus æstimare equos, aut vestimenta attri-

ta. Barb. de Potest. Episcop. alleg. 73. p. 3. n. 57. §. VII.

Finis procurationis est, ne visitationes omit- tantur, si visitatores suis sumptibus visitare deberent.

§. VIII.

Effectus procurationis est, obligatio præstandæ justæ sustentationis Visitatori, quoties visitationem instituerit, modò unò annò non ultra binas vices illam faciat: non enim tenentur Visitati, nisi bis unò annò, etiam pluries ex justa causa visitantem procurare. c. cum Venerabilis. h. t. Trid. sess. 24. de Reformat. c. 3.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

SUMMARIUM.

1. Consecrationis etymologia. 2. Quid sit consecratio Ecclesiæ, vel Altaris? 3. ejus origo. 4. Minister ordinarius est Episcopus loci, 5. 6. Extraordinarius Abbas, aut simplex sacerdos. 7. Que Ecclesiæ consecranda sit? 8. Quod altare? 9. Que sit consecrationis materia? 10. Que forma? 11. Divina in locis sacris peragenda. 12. & seqq. Quibus modis Ecclesiæ polluantur?

Census, de quibus agimus, imponuntur in Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris, atque ideo meritò præsens Rubrica subjicitur.

§. I.

Si Etymologiam spectes, consecratio non nisi interventu plurium personarum concordianimo, & actione sit. c. pudenda causa 24. q. 1. Gloss. in c. Episc. d. n. 23. communiter tamen sicut ex Rubr. h. t. constat, accipitur pro quavis simplici sacratione legitime & secundum SS. Canones facta.

§. II.

Definitur consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, quòd sit Ecclesiæ, vel altaris dedicatio facta DEO à legitimo Ministro debitâ materiâ, ac forma interveniente, cum intentione canonica.

Q 9 2

§. III.

§. III.

3 *Causa efficiens* hujus consecrationis est duplex: remota & proxima.

Remota est jus. Et quidem ritus consecrandi Ecclesias, aut altaria non tantum è jure positivo scripto, sed etiam ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, & traditione originem trahit, ut ex *c. 2. dist. 1. de Consecrat.* apparet. Imò consecrationis usus concorditer receptus fuit tam in lege naturæ & veteri, quam in lege gratiæ. In *lege natura*: nam ut habetur *Genes. 28.* Jacob erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit fundens oleum desuper, & appellavit domum DEI. In *lege scripta* Moyses consecravit oleo sacro, aliisque ceremoniis tabernaculum, altare, & omnia vasa sacra. *Exod. 40. & Num. 7. c. 1. de Consecr. dist. 1.* In *lege gratia* receptam, & simul præceptam esse consecrationem Ecclesiarum, & altarium constat ex *c. altaria c. Ecclesias. de Consecr. dist. 1.* & aliis congestis à Bellarmin. *tom. 1. Controv. lib. 3. c. 5.*

4 *Proxima* est Minister consecrans, qui alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius*.

Ordinarius Minister hujus consecrationis est Episcopus consecratus, per *c. interdiximus. 10. causâ 16. q. 1. c. nemo. c. hic 14. c. nullus 25. dist. 1. de consecrat.* Pertinet autem consecratio Ecclesiæ ad illum Episcopum, in cujus Diocesi sita est. *c. 1. de Religios. domib. & ibi DD.* Atque hoc extendendum est etiam ad Ecclesias, quæ sunt Ordinum Exemptorum, quatenus ab Ordinario loci consecrandæ sint, nisi fortè ejusmodi Episcopus, in cujus Diocesi aliàs Monasteria sita sunt, bis, vel ter debitè requisitus sine legitima causâ recusarit. Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. q. 7.* Et siquidem ab alieno Episcopo contrarium temerè præsumptum fuerit, consecratio quidem eatenus tenet, ut manente suo subjecto nunquam deleri possit, sed temerè consecranti præter id, quod interest in civilem

exactionem, pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium per annum irrogatur. *Trid. sess. 6. c. 5. sess. 1. 4. c. 2. & sess. 23. c. 8. de Reform.* Aliud est, si Episcopus loci alteri Episcopo hanc facultatem concedat, aut committat, quod potest.

Minister *extraordinarius* consecrationis Ecclesiæ, vel altaris potest esse Sacerdos simplex: quoniam explorati juris est, eam fieri posse nedum per Abbates, verum etiam à quolibet alio simplici Sacerdote, si ad hoc privilegio Apostolico fulciatur. Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. q. 4. sub. n. 2.* Barb. *de potest. Episcop. alleg. 27. n. 25.* Et verò Abbates Cassinenses inter alia insignia privilegia, hoc quoque habent, ut Altaria fixa, pro suis tamen tantum Ecclesiis, portatilia verò, non tantum ad usum suorum Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum sibi subjectorum, sed etiam aliorum, à quibus ad eum effectum deferri contigerit, consecrare possint, Ordinarios licentiâ minimè requisitâ per *Constitutionem* Pii IV. 97. in *Bullario Novo tom. 2.* quæ etsi loquatur de consecratione lapidum ad usum Altarium portatilium, nihilominus ex interpretatione S. Congregationis Rituum locum habet etiam in Altaribus fixis, teste Jacobo Pignatelli. *tom. 3. consult. 67. n. 5. & 7.* Tambur. *d. disp. 23. q. 4. sub. n. 3.* Virgin. Alviset in *Muronul. sect. 3. c. 2. n. 12. & seqq.* Yso Pflaw in *collectar. privileg. sect. 3. §. 3.* Neque dubito, idem privilegium competere Abbatibus Monasterii Gartensis, postquam Reverendiss. & Ampliss. DD. Anselmus, Abbas Meritissimus Anno 1691. die 5. Januarii pro eodem suo Monasterio ab Alexandro VIII. Sanctissimæ memor. communicationem omnium gratiarum spiritualium, quæ Congregationi Cassinensi reperciuntur concessæ, impetravit, cum clausula derogatoria *regula 54. Cancellaria de gratiis ad instar non concedendis*, siquidem similis communi-

dicto privilegiorum aliis competentium operatur, ac si illa fuissent in specie, ac nominatim concessa per text. in *l. omnia cum ibi notatis C. de Episcop. & Cleric. Rota decis. 30. n. 2. p. 4. m. 2. decis. 337. m. 4.* & in specie hoc privilegium jure communicationis transire ad Abbates, asserit Tambur. *d. disp. 23. q. 4. sub n. 3. §. quo privilegio & q. 12. n. 3. com. 1.*

In factis *quasi* fuit: an Abbas facultate consecrandi altaria per privilegium Pontificium ad certas Ecclesias restrictâ, ex licentia, & commissione Ordinarii in aliis quoque Ecclesiis uti possit?

Ratio dubitandi est: quia hoc ipsum quod potestas consecrandi altaria Abbati concessa, sit restricta ad certas Ecclesias, in alias nulla est, cum potestas limitata non contineat ea, quæ sunt extra limitationem, & per consequens Abbas sic se habeat respectu illarum, ac si potestatem non haberet, neque ex commissione Ordinarii eam obtinere aut exercere potest: quandoquidem noti juris, quod potestas Ordinarii, qualis est potestas consecrandi altaria, ab Episcopo committi nequeat aliâs de jure, & privilegio eandem potestatem non habenti. Barb. *J. E. Ad lib. 1. c. 11. §. 2.*

Nihilominus potior est affirmativa, cui propterea subscribo: quia quamvis potestas conferendi Ordines minores juris privilegio Abbatibus indulta, tam de jure communi in *l. quoniam. dist. 69. & c. cum contingat. de Stat. & qual. & ord. presic.* quam in Trid. *sess. 23. c. 10. de Reformat.* restricta sit ad proprium Monasterium, & subditos regulares, tamen Abbates rectè, & licitè conferre possunt Ordines minores in aliis locis, & non subditis, etiam sæcularibus, cum licentia, & ex speciali commissione Ordinarii, ut pluries resolutum fuit à S. Congregatione Concilii teste Fagn. in *c. 1. de Supplend. neglig. Pralat.* & in *c. aqua h. r.* quem si legisset, contra me, & P. Engel pro sua sententia non allegasset.

Eximius P. Ægydius Kibler in *Resolut. select. ex Jure Canon. resolut. 7.* Quod si hoc in materia Sacramenti? quomodo magis fieri poterit in materia Sacramentalium, quod pertinet altarium, & aliarum consecrationes.

Neque obstratio dubitandi: etenim potestas ordinis nullam quoad se recipit limitationem, sed restrictiones factæ tantum respiciunt potestatem jurisdictionis. Fagn. in *d. c. 1. n. 24. & 28.* Nec S. Pontifex eam pro parte dare, aut pro parte tollere potest, sed debet respectu rei, de qua dat, aut dare totam, aut totam tollere, licet per prohibitionem exercitii, quoad usum licitum, & ratione jurisdictionis eam restringere possit; proinde defectus in habente limitatam potestatem consecrandi quoad ea, quæ sunt extra limitationem, est tantum jurisdictionis, non Ordinis, & per commissionem Ordinarii proprii, in cujus favorem restrictio facta est, suppleri potest.

§. IV.

Subjectum hujus consecrationis est Ecclesia, vel altare nondum consecratum.

Ecclesia consecrari non debet sine assignatione dotis congruæ. *c. cum sicut. h. r. c. ad audiendam de Ecclesiis adificand.* si Episcopus Ecclesiam sine dote consecraverit, nec providerit, ut eam fundator constitueret, ipse Ecclesiam dotare obligatur juxta *d. 2. 4. & 16. de Prabend.* Quanta autem dos sit assignanda cuilibet Ecclesiæ, tradit Panormit. in *d. c. cum sicut. h. r.* Ceterum Ecclesia semel consecrata, quamdiu manet, consecranda non est. *c. Ecclesiis. dist. 68. c. proposuisti. & c. ligneis. h. r.* nisi simul tota, vel saltem major ejus pars destruat, & de novo reedificetur. *c. Ecclesiis 20. dist. 2. de Consecrat.* idque tamen ex eadem materia reedificetur: quia nihilominus non prior, sed nova censetur Ecclesia. arg. *l. inter stipulantem. ff. de V. O. non item si minor tantummodo aliqua pars concidat. c. 6. h. r.* vel si Ecclesia ampliatur, quæ

casu pars reparata aspergi solet aquâ benedictâ aliis solennitatibus prætermisissis. *c. fabrica. dist. 1. de Consecrat.* In dubio, an Ecclesia aliqua consecrata sit, & si non habeantur indicia consecrationis, potius contra Ecclesiam præsumendum est, donec contrarium probetur. *c. 18. dist. 1. de Consecrat. Azor. Instit. moral. tom. 1. lib. 10. c. 6. q. 12. Mascard. de Probat. concl. 582.* Potest autem juxta laudatos Authores consecratio probari etiam per unicum testem de auditu, aut per sculpturam, vel scripturam in lapide, aut pariete, quia ubi de nullius præjudicio agitur, suffiunt etiam semiplenæ probationes. *Panorm. inc. 4. h. t.*

8 *Altare*, quod consecratur, lapideum sit, oportet. *c. altaria. de consecrat. dist. 1.* Est autem duplex altare: nempe *portatile*, & *fixum*, seu *stabile*: inter quæ hoc discrimen intercedit, quod illud per se consecratur, hoc verò non nisi quatenus basi affixum est. Unde sequitur, quod altare portatile, quocunque deferatur, non amittat consecrationem; fixum verò amittat, si ab interiori structura, & basi amoveatur. *c. si motum. de Consecrat. dist. 1. & c. ligneis. h. t.* Illud verò utriusque altari commune est, quod notabili fractione consecrationem deperdat, quando scilicet talis est, ut in illo calix cum patena amplius consistere non possit. Item violatione sigilli, seu loculi, in quo reliquæ Sanctorum conditæ sunt; Quod quamvis aliqui negent, asserantque reliquias illas non esse absolute necessarias, spectatâ tamen consuetudine ipsius Ecclesiæ, quæ initio missæ hanc orationem à Sacerdote ad altare ascendente, illudque osculante recitari voluit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquia hic sunt &c.* probabilius est, & in praxi tenendum, ejusmodi sigilli violatione consecrationem altaris amitti, proindeque iterum esse consecrandum. per *c. 1. h. t. Angel. V. altare. §. 2. & alii communiter.*

§. V. *Materia* hujus Consecrationis est oleum, aut chrisma quo *Ecclesia*, dum dedicatur, in parietibus inungitur. *c. un. §. ungitur de Sacra unctio. Altare* cum consecratur, inungitur, prius oleo simplici, & deinde chrismate in cornibus. *c. 32. dist. 1. de Consecrat.*

§. VI.

Forma hujus consecrationis est vel *essentialis*, vel *accidentalis*. *Essentialis* stat in solenni illa verborum conceptione, quibus Episcopus, vel Presbyter in consecrando utitur, *Accidentalis* consistit in modo, ceremoniis, & solennitatibus hujus consecrationis, quæ ex Pontificali Romano, & Ecclesiæ praxi deum posunt.

§. VII.

Finis & effectus hujus consecrationis est, ut ritè, ac decenter Sacrificium Missæ, & alia officia Divina celebrentur: sicut enim Divina non nisi à personis Sacris, ita non nisi in locis consecratis peragenda sunt. *c. sicut 11. c. nullus 15. cap. clericos. 34. de consecrat. dist. 1.* Hinc Consil. Trident. sess. 22. Decret. de Observand. in celebr. Miss. sermo monet Episcopos: *Ne pariantur privati in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & oratoria ad Divinum tantum cultum destinata ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda Sanctum hoc Sacrificium à Sacularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* circa quod

Disputant DD. utrum Episcopus hodie licentiam celebrandi in loco non sacro super portatili concedere possit? Non posse, sapienter à S. Congregatione Cardinalium resolutum fuisse, refert Barb. de Offic. & potest. Episcop. p. 2. allegat. 22. n. 7. Ego illam sententiam veriore judico, quæ rem distinctione componit, ut, si Episcopus ex causâ necessitatis aut alia valde urgente pro hac licentia requiratur, sam possit concedere, ex quo Concil. Trid. loca

10. cit. tantum voluit abusus tollere & aliis
causis necessitatis facit licitum, quod alioquin
non licet. c. 4. de R. F. non possit autem, si nul-
la causalationabilis suppetat. Vide Barb. cum
citat ad Trid. d. loc.

An privilegia, quibus Regulares in orato-
ris, capellis, & aliis locis honestis ubilibet su-
per altari portatili, seu viatico Missas legere,
absque Episcopi approbatione, vel licentia
possint. ut tradunt Azor. 2009. 1. lib. 10. c. 26.
Barb. d. allegat. 23. & Yso Pfaw in Collectar.
privil. sect. 5. §. 3. per dictum decretum Trid.
revocata sint, in dubio relinquo.

§. VIII.

11. Contraria Consecrationi Ecclesiæ, vel Al-
taris est pollutio, seu violatio Ecclesiæ, quæ non
uno modo accidit. Et verò

I. Polluitur Ecclesia per publicam effusio-
nem sanguinis humani ex corpore vivo in no-
tabili quantitate ex injuria, & intra Ecclesiam
factam. c. Ecclesiis de Consecrat. dist. 1. c. pro-
posuisti h. t. Barb. F. E. U. lib. 2. c. 4. n. 16.

II. Per homicidium Ecclesiæ injuriosum,
& publicum etiam extra sanguinis effusionem
sive illud fiat à se ipso, sive ab alio. Gloss. &
DD. in c. proposuisti. Neque refert, tamen si
quis non moriatur in Ecclesia: sufficit namque,
quod lethale vulnus, ex quo mors sequitur, in-
tra Ecclesiam acceperit. Barb. de Officio. & po-
test. Episc. p. 2. allegat. 28. n. 23. Navarr. in
Mammal. c. 27. n. 12. & 56. ubi notat, non
pollui Ecclesiam, si existens in Ecclesia, jaculò,
vel glade alium existentem extra Ecclesiam
ad interuentionem feriat.

12. III. Polluitur Ecclesia per voluntariam, pu-
blicam, ac criminiosam humani seminis effu-
sionem cujuscunque hominis quocunque mo-
do peccaminoso contingentem. c. Ecclesiis de
consecr. dist. 1. c. fin. h. t. c. un. b. t. in 6. San-
chez de Matr. lib. 9. disp. 15. à n. 4. Fagundez
in 5. Ecclesia precepta. p. 1. lib. 3. c. 14. à n. 37.
ubi fufius explanat, an Ecclesia polluitur, si ef-

fusio seminis contingat in turri campanarum,
in Choro, in sede Confessionali, in porta Ec-
clesiæ, in Sacristia, in Claustro, aut in cam-
bris ad latus Ecclesiæ adherentibus? & commu-
niter etiam reliqui negativè respondent, modò
sedes Confessionalis, & Chorus non sit verè
intra ipsam Ecclesiam, nullòque aliò murò di-
stinctus à reliquo Ecclesiæ corpore: siquidem
in odiosis Ecclesia strictè accipienda est, ut
hic & nunc jura accipiunt.

IV. Polluitur Ecclesia per quamcunque pu-
blicam, sive notoriam, etiam non voluntariam
sepulcrum in Ecclesia, vel cœmeterio pagani,
hæretici, & excommunicati denunciati, aut pu-
blici percussoris Clerici. c. consuluisti h. t. c.
Ecclesia 27. & seq. de Consec. dist. 1. Barb. de
Offic. & potest. Episc. cit. alleg. 28. n. 52. Neque
tunc antea reconcilianda est Ecclesia, quam ex-
humata sint ejusmodi tumulorum corpora,
atque extra Ecclesiam, vel cœmeterium pro-
jecta c. ad hæc. de Privil. c. Sacris. de Sepultur.

13. Porro effectus hujusmodi pollutionis est, 16
quòd in simili Ecclesia Sacra fieri non debeant,
quousque fuerit reconciliata. c. 4. 7. & 9. h. t.
c. un. Eod. in 6. c. 19. & 20. dist. 1. de Consec.
defacto tamen ibi etiam scienter missam celeb-
rans propterea irregularitatem non incurrit,
neque Ecclesia interdicto supponitur. c. is qui
de Sent. excomm. in 6. Gonzal. in c. 7. h. t. n. 9.
Quod reconciliationem attinet, si talis Eccle-
sia polluta priùs solenniter consecrata fuerit,
ea tunc per solum Episcopum fieri. d. c. 4. 7.
& 9. h. t. nec alteri simplici Sacerdoti de-
mandari potest. Azor. d. p. 2. c. 6. q. 5. si verò
talis Ecclesia necdum consecrata, sed tantum
auctoritate Episcopi erecta, & deinde polluta
fuerit; probabiliter etiam à simplici Sacer-
dote per solam aquam benedictam reconci-
liari poterit. arg. cap. fin. h. t. & ibi Panorra.

Navar. consil. 1. num. 2. Eod. Quod
ipsum de cœmeterio
dixeris.

TITU-

TITULUS XLI.
De Celebratione Missarum,
& Sacramento Eucharistiæ, &
Divinis officiis.

Consecratio Ecclesiarum, ac Altarium ordinata est ad celebrationem Missarum, in qua Sacramentum Eucharistiæ conficitur, & ad Divina officia.

Parſ I.

De Celebratione Missarum,
SUMMARIÆ.

1. 2. *Missæ quid nominis?* 3. *Missæ definitio.* 4. *utque*
 9. *divisio.* 9. *Quinam Missæ sacrificium offerant.*
 10. 11. *Quibus applicari possit?* 12. *Quæ sit ejus*
materia. 13. *Quæ forma.* 14. *Quis finis.* 15. &
 seqq. *Quinam effectus?*

§. I.

DE origine vocabuli *Missæ* non una omnium est sententia. Aliqui ab hebraica voce *Missab*, quæ oblationem spontaneam significat, derivant. Alii dictionem esse latinam existimant, à mittendo deductam: vel quia per illam oblationes & preces ad DEUM mittuntur: vel quia in illius sine Diaconi, aut Sacerdotis voce fit missio, seu dimissio populi. S. Th. 3. p. 4. q. 83. a. 4. ad 9. Anton. de Molina in *Infruct. Sacerd.* tr. 3. c. 2. §. 2.

§. II.

Synonymum *Missæ* est *Liturgia*, quod nomen à Græcis mutuatum in suo etymo denotat functionem publicam. Bonacin. in *tr. de Sacram.* disp. 4. q. ult. punct. 1. n. 1. Unde hominidum in Titulo Græcarum, & antiquissimum *Missarum* inscriptum reperitur: *Liturgia S. Petri, Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, S. Ambrosii.* Clariss. P. Paul. Mezger in *Theol. Schol.* tom. 4. tr. 17. disp. 35. n. 1. n. 6.

§. III.

Definitur *Missæ*, quod sit sacrificium, in quo Deo Omnipotenti verum corpus, & san-

guis Christi sub speciebus panis & vini offertur in memoriam passionis ipsius, & Divinæ Majestatis recognitionem. Ita re omnes.

§. IV.

Dividitur *Missæ* I. in *privatam*, & *solennem*. Illa est, quæ sine Ministris: hæc, quæ cum Ministris celebratur. *Missæ* igitur, ut sit solennis, Diaconus, Subdiaconus, & Acolythi in ea ministrant, necessum est. Cantus verò non requiritur, sed tantum adjungitur propter populum, ut excitetur ad cupiditatem ejus rei, quæ canitur. Jacob. Pignatell. tom. 1. consult. 37. n. 2.

II. **D**ividitur in *Missam principalem*, & *conventualem*.

Pro *Missæ* *principali*, quæ vulgò *missa major* nuncupatur, est, quæ principaliter juxta rubricam eo die sive pro vivis, sive pro defunctis dici debet. Quò etiam pertinet *Missæ* B. Virginis in Sabbatis Adventus non impeditis Officio Vigiliæ, vel Quatuor temporum. *Rubr. gen. Miss. IV. 2.* *Missæ* de Vigilia, & feriis quatuor Temporum, vel feria secunda rogationum, quæ celebratur infra Octavam, licet Officium fuerit de Octava. *Rubr. gen. Miss. III. 2.* nec non *Missæ* Vigiliæ, vel Feriæ, quatuor Temporum, Rogationum, ac Quadragesimæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis dicenda diebus festis post *Missam Sancti* occurrentis. *Rubr. gen. Miss. III. 1.* Item *Missæ* votiva, quæ singulis diebus per hebdomadam assignatur, & extra ferias Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, quando non occurrit festum nec reformanda est *Missæ* Dominicæ præcedentis, locò *Missæ* Conventualis dicitur. *Rubr. gen. Miss. IV. 3.* imò & *Missæ* Defunctorum, quæ primâ die cujusque Mensis non impeditâ, exceptis Adventu, Quadragesimâ, & tempore Paschali, aliisque diebus in *Rubr. gen. Missal. V. 1.* designatis pro Sacerdotibus & Benefactoribus defunctis offertur.

Missæ

Missæ *conventualis* illa est, quæ in cathedralibus & collegiatis Ecclesiis, ubi est congregatio plurium Sacerdotum, quotidie celebrari debet. *c. cum creatura* 11. *h. t.*, ubi Gloss. Panorm. Joan. Andr. alique Interpretes, & quidem de festo, aut de feria occurrente, cum sit pars præcipua Divini officii. Gloss. *in Clem. 1. h. t.* Navar. *de Orat. c. 2. n. 29.* nec omitti potest, etiamsi incidat aliquod anniversarium defunctorum, sed tunc cantandæ sunt duæ missæ: una pro Defunctis, altera, quæ concordet cum officio. *d. c. creatura & ibi Fagn. n. 23.* Zypceus *h. t. consult. 1.* An autem Missæ Conventualis accepto stipendiò pro aliis applicari, vel per eam alteri obligationi ex alio capite, puta foundationis debitæ satisfieri possit, quando non constat de speciali obligatione applicandi, sive Conventui, sive Fundatoribus, sive alicui alteri? consule Jacobo Pignatelli. *tom. 1. consult. 321.*

III. Missæ aliæ dicuntur *de die*, quæ juxta Missalis rubricas sacro penso horarum Canoniarum correspondent; aliæ *votiva*, quæ non congruunt officio diei, sed pro voluntate ipsius Sacerdotis, vel audientium libitu dicuntur; aliæ *de Requiem*, quæ in suffragium animarum defunctorum offeruntur. Ubi obiter noto, quod Sacerdos, qui ex institutione Capellanæ, vel aliò titulò tenetur Missam votivam, aut defunctorum celebrare, satisfaciat dicendo Missam currentis diei etiam ferias, & simplicis: nam in eo casu Ecclesia disponit, corrigique intentionem ejus, qui tales Missas ordinavit, & fructuosior erit devotionis affectus, si fuerit Ecclesiastico ritui congruus. Vide Text in *c. 2. & ibi Interpp. h. t.* Tambur. *de Sacrific. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 4.*

§. V.

Causa efficiens Missæ est offerens. Sunt autem diversi offerentes. *Primus & Primarius* est ipse Christus: una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum

Ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit. Trid. *sess. 22. c. 2.* *Secundus* offerens est tota Ecclesia, utpote cujus Legatum agit Sacerdos, ut ipsius nomine DEO publicum cultum exhibeat. *Tertius* offerens, & Minister est Sacerdos consecrans, quippe cui per ordinationem datur potestas à Christo consecrandi corpus, & sanguinem ipsius. *Quartus* offerens cum Sacerdote concurrens, & aliquò modò cooperans sunt fideles, qui vel Sacerdoti in Missa inserviunt, vel devotè assistunt, vel pro se sacrificari petunt.

Porro in Sacerdote offerente Sacrificium duplex *dispositio* est necessaria: alia *animi*, alia *corporis*.

Quantum ad *dispositionem animi* certum est Sacerdotem debere esse in statu gratiæ, ad eò ut si peccati mortalis sibi conscius sit, modò moraliter copiam Confessarii alicujus approbati habere possit, confiteri debeat, neque sufficiat sola contritio. Trid. *sess. 13. cap. 7. & can. 11. de Eucharistia.* Cui succinit Poëta.

Indignus quoties sacrum legis, Aule, vocari

Non male Sacri legus nomine, reque potes.

In casu verò, quò celebraturo ad delendum peccatum, ac se reponendum in statum gratiæ sola contritio sufficit, ut cum copiam Confessarii non habet, & tamen urget necessitas celebrandi, obligatus est Sacerdos postea quàm primùm confiteri, ubi copiam Confessarii nactus est, per expressam constitutionem Trid. *cit. sess. 13. c. 7.* Utrum celebraturus sub mortali peccato teneatur præmittere Matutinum cum laudibus? disputant Antiqui & Recentiores. Illi affirmant, isti negant.

Quantum ad *dispositionem corporis* necessarium est, Sacerdotem celebratum junum esse jejuniò naturali, incipiente ab initio diei naturalis, media scilicet nocte ab hora duodecima; ita quidem ut etiam modè ascebi, vel potius, si per modum potius, & non potius salivæ descendat, solvat jejunium, faciâtque

R r

indi-

indispositum Sacerdotem ad celebrandum.

Gloss. inc. ex parte b. t.

§. VI.

XI *Subiectum* Missæ sunt illi, quibus applicatur, seu pro quibus offertur. Potest autem offerri validè & licitè pro omnibus, & quibuslibet fidelibus baptizatis non excommunicatis, sive vivis, sive defunctis in purgatorio existentibus, ut constat ex Ecclesiæ universali praxi, quæ sacrificium offerre consuevit: pro omnibus Orthodoxis, atque Catholica, & Apostolica fidei cultoribus; & pro omnibus in Christo quiescentibus, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Pro excommunicatis, hæreticis, & similibus offerri non posse, textus est in c. sacris. & c. à nobis. de Sent. excomm. ita quidem ut æque liceat per collectas pro eis publicè in Ecclesia orare, cum privati sint omni suffragio, & consortio piorum. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 22. q. 4. Quoad paganos & infideles negari non potest, olim in Missa catechumenorum etiam pro Regibus impiis, & infidelibus orari solitum fuisse; in Missa tamen, ut est revera sacrificium, & in ea fit consecratio, in primitiva etiam Ecclesia oblationem, & applicationem Missæ ita sumptæ factam esse expressè, & directè pro infidelibus, non constat: hoc siquidem incruentum Missæ sacrificium (aliud est de illo cruento à Christo in ara crucis oblato, quod sine dubio pro omnibus hominibus obtulit) offert Ecclesia tanquam commune totius Congregationis fidelium sacrificium, ac symbolum. Orari tamen & hodie pro infidelibus & paganis, aliisque membris Ecclesiæ mortuis posse, non negem, cum constet ex collectis & orationibus in die Parasceves fieri solitis, quamvis eo die revera sacrificium non fiat, cum Sacerdos non consecret. Vide in contrarium Bonacini de Sacram. disp. 4. q. ult. punct. 5.

§. VII.

Materia, seu *Obiectum*, quod principaliter per se in sacrificio Missæ offertur, est corpus & sanguis Christi, non quidem sub propria specie, cum sic non attingantur per actionem consecrandi, sed prout existunt sub speciebus panis & vini, utpote sub quibus habent rationem hostiæ DEO oblatæ juxta Trid. sess. 22. c. 1. & 2. de Sacrificio Missæ. una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdos uno ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversâ.

§. VIII.

Forma Sacrificii est vel *essentialis*, vel *accidentalisi*.

Essentialis juxta pleròsque adæquate in ipsa consecratione, & quidem in ea præcisè spectata, ut est positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini vi verborum. S. Th. q. 42. art. 4. ad. 1. Alii cum Bonacini loc. cit. punct. 2. rationem Missæ contineant in actione triplici: scilicet in consecratione, oblatione, & sumptione; quam disputationem ad Theologos remitto.

Ad formam accidentalem pertinet locus, tempus, & modus, quò Missa celebratur.

Quoad *Locum* ex SS. Canonum præscripto Missæ sacrificium celebrari non debet, nisi in ædibus, seu Ecclesiis, ac supra altaribus consecratis, ut constat ex dictis cit. præced. Addo hic, Capellanum teneri celebrare præcisè in Ecclesia vel Altari, quod Fundator expressè designavit, si non excuset necessitas, vel iusta admodum causa: neque sufficere Patronorum, vel hæredum consensum, ut quibus non licet intentionem Fundatoris invertere. Qua in re si sapius absque iusta causa Capellanus contraverit, peccat mortaliter juxta Navar. in Manual. c. 20. n. 134.

Quoad *Tempus* observandæ sunt laudabiles consuetudines cujusvis Ecclesiæ. De jure constitutum legimus, ut per solutò officio

Prima

Prima, & Tertia solenne Missæ sacrificium. *fiat. c. nocte. de Consecrat. diff. 1.* diebus vero jejunii post perolutam *Sextam*, tempore quadragesimæ post *Nonam*, quod tamen non ubique observatur. *Azor. tom. 3. lib. 12. c. 25. q. 1.* Missas privatas nec post prandium, nec de nocte, sed tantum ab aurora, sine diluculo usque ad meridiem celebrare licet, adeo ut etiam ex justa causa, seu impedimento non ultra primam post meridiem differri debeant secundum *Zoëf. h. 1. n. 4.* quamvis *Navar. ibid. cit.* usque ad horam tertiam jella ex causa celebrari posse existimet.

Quoad modum attendendum est, ut in Missæ sacrificio, accuratè observentur ritus, & ceremoniæ ab Ecclesia in *Rubricis Missalis* præscriptæ.

§. IX.

Finis Missæ est cultus, & recognitio DEI spectati tanquam rerum omnium principii: etenim in ipsius cultum, & recognitionem suæ præcæ Majestatis, & excellentiæ offertur.

§. X.

Effectus Sacrificii est vel *principalis*, vel *minus principalis*.

Principalis est quadruplex; *Primus*, quòd sit sacrificium non tantum *latenticum*, id est, ad DEI cultum, & honorem oblatum, sed etiam *propitiatorium*, sive *expiatorium*, quatenus scilicet confert gratiam, expiat, ac delet peccata nostra, & ita DEUM nobis reconciliat, redditque propitium. *Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3. & ibi Barb. Secundus* est, quòd sit sacrificium *impetratorium*, omnis quippe generis beneficia nobis per illud impetrantur: hinc praxis Ecclesiæ obtinuit, ut hoc sacrificium Missæ pro necessitatibus tam temporalibus, quam spiritualibus offeratur. *Trid. ubi supra. Azor. Instit. moral. lib. 10. c. 20. q. 6.* *Tertius* effectus est, quòd sit *satisfactorium*, quatenus per illud consequimur remissionem pœnæ debitæ, culpæ jam

antea dimissis, sicut quotidie pro vivis, & defunctis offerimus, ut à pœnis pro peccatis debitis expientur. Unde *Machaba. 12. sancta, & salubris est cogitatio, offerre sacrificium pro defunctis, & exorare, ut à peccatis* (id est, à pœna peccatorum) *solvantur.* *Quartus* effectus Missæ est, quòd sit sacrificium *meritorium*, qui tamen satis in effectibus antecedentibus includitur; de his prolixè Theologi.

Minus principalis est stipendium; quod accipi posse pro legenda Missa, docet communis cum *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. & 3. in corp. & quodlib. 6. a. 10.* Idque locum habet non solum in Clericis pauperibus, sed & divitibus, imò etiam in beneficiatis ad celebrandum adstrictis pro diebus, quibus sic adstricti sunt, dummodo non sint obligati ad applicandam Missam, sed solum ad celebrandum pro commoditate populi, aut honore Ecclesiæ, ut ostendit praxis quotidiana. *Monet* tamen, ut Sacerdotes in stipendiis, quæ pro Missis offerri solent, maximè abstineant à turpi quæstu, aut mercatu, id enim & sacrificium, & ipsos Sacerdotes magno contemptui exponit, èltque interdictum ab *Urano VIII. & Alexandro VII. SS. Pontificibus.* Unde Sacerdotem transferentem onus celebrandi Missas in alium retinendo sibi partem stipendii peccare mortaliter docet *Aversa. q. 11. de Eucharist. sect. 7. ad fin. Lugo de Sacra. lib. 5. c. 12. q. 7. n. 77. & cum his Jacob. Pignatell tom. 4. consult. 227. n. 7. & seqq.*

P A R S II.

De Sacramento Eucharistiæ.

SUMMARIÀ.

17. 18. *Eucharistia* definitio nominis. 19. *Definitio* rei. 20. *Sacramentum Eucharistia* est institutum à Christo. 21. *Constitutum* à solo Sacerdote. 22. *Quoties* recipiendum. 23. *Qualis panis?* 24. *Quale vinum* sit materia Eucharistiæ? 25. *Quæ forma.* 26. *Quis* finis. 27. *Quis* sine effectus Eucharistiæ?

§. I.

17 **E**ucharistia nomen græcum, & latinè idè est, quod *bona gratia*; partim quia est memoriale omnium Divinarum gratiarum: partim quia est, instituta in gratiarum actionem perpetuam.

§. II.

18 **S**ynonima Sacramenti Eucharistiæ sunt *Synaxis* hoc est, *collatio*, *communio*, *Sacramentum Domini*, *Sacramentum corporis*, & *sanguinis Christi*, *Sacramentum altaris*, *Sacramentum fidelium*, *panis vita*, *panis supersubstantialis*, *Hostia*, *viaticum*, & *cæna Domini*; quo tamen nomine cautè utendum esse monent Theologi, quia eò utuntur hæretici ad denotandum, Eucharistiam nihil aliud esse, quàm cænae usualis figuram, mortuamque representationem. Clar. ff. P. Paulus Mezger in *Theol. Scholast. tr. 16. disp. 29. n. 1*

§. III.

19 **D**efinitur Sacramentum Eucharistiæ, quod sit Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animæ refecionem institutum.

§. IV.

20 **C**ausa efficiens Sacramenti Eucharistiæ duplex est, *principalis*, & *instrumentalis*.

Principalis est Christus: nam, ut ait Concil. Trid. *sess. 13. de Eucharist. c. 3. Salvator molter discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.*

21 **I**nstrumentalis est Minister, scilicet Sacerdos, qui solus hoc Sacramentum conficere potest, prout definit Concil. Nicæn. *l. c. 14. Lateranens. sub Innocent. III. c. 1. Trid. sess. 23. c. 1. idq; deducit ex verbis Christi Matth. 26. & Luca 22. hoc facite in meam commemo-*

*morationem; quibus solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus hanc Eucharistiæ conficiendæ potestatem concessit. Sicut autem solus Sacerdos hoc Sacramentum conficit, ita ipse quoque administrare, seu aliis dispensare debet. c. pervenit. de Consecrat. dist. 2. in quo reprehenduntur Sacerdotes, qui Laicis Eucharistiam dabant ad infirmos deferendam. Trid. sess. 13. c. 8. de Eucharist. ubi asserit, hunc semper in Ecclesia morem fuisse, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent. Excipitur casus necessitatis, quò Diaconus à præsentè Presbytero iussus Eucharistiam erogare posset. Concil. Carthaginens. IV. c. 38 & teste Clariss. P. Paulo Mezger *de tr. 17. disp. 34. a. 2. n. 4. communis DD.**

§. V.

Subjectum Eucharistiæ sunt, qui Sacramentum hoc recipiunt. Erat autem circa prima fidei cunabula frequentissima apud fideles sacratissimi Viatici susceptio, sed cum postea paulatim tepescente charitate rarius homines communicarent, constitutum fuit, ut saltem in anno ter Laici homines communicent (nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Paschate videlicet, Pentecoste, & Natali Domini. Text. in *c. et si non 16. de Consecrat. dist. 2. Demum refrigescente penitus Religionis ardore eò ventum est, ut semel saltem singulis annis, idque in Paschate unusquisque adultus, & sufficienti usu rationis præditus cœlestis mensæ debeat esse particeps. c. omnis utriusq; sexus de Penitent. & Remiss. Trid. sess. 13. de Eucharist. c. 9. Ubi nomine Paschatis, non intelligitur sola dies Resurrectionis, sed totum illud tempus, quod effluit à Dominica palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, ut ab Eugenio IV. declaratum fuisse refert Clariss. P. Paulus Mezger *cit. tr. 17. disp. 33. a. 1. n. 19. & hodie totum illud, quod tam ante, quàm post pascha**

ab Ordinariis juxta locorum exigentiam determinatur.

§. VI.

33 *Materia Sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus, & vinum de vite, c. firmiter de Sum. Trinit.*

Panis juxta c. fin. h. r. in Ecclesia Latina debet esse azymus, & in Græca fermentatus, adeo ut ne quidem summa necessitas Sacerdotem Latinum excuset; & ager potius sine viatico relinquendus, quàm panis fermentatus consecrandus sit. Barb. in d. c. fin. Quamvis nihil referat ad essentiam Sacramenti, utrum consecretur panis azymus, an fermentatus; nam utrumque sufficientem esse, definitum est in Florent. ubi sic habetur: Item, definimus, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotisque in alterutro ipsorum corpus Christi conficere debere, unumquemque juxta consuetudinem Ecclesiæ suæ, sive Occidentalis, sive Orientalis.

34 *Vino de necessitate præcepti ante consecrationem modicissima aqua sub gravi peccato admiscenda est. c. 6. h. t. c. 1. & 2. de Consecrat. dist. 2. Trid. sess. 22. cap. 7. & can. 9. de Sacrific. Miss. Cujus præcepti tres rationes afferuntur: prima, quod Christus Dominus ita fecisse credatur; altera, quia è latere ejus aqua simul cum sanguine fluxit; tertia, ut mystica unio cum Ecclesia repræsentetur, siquidem aquæ in Apocalyps. Joan. 8. 17. populi dicuntur, vinum vero Christum denotat c. 7. dist. 2. de Consecrat. Trid. cit. cap. 7. Qualiter autem hæc aqua vino mixta in Christi sanguinem convertatur, immediatè, vel an omnino in sanguinem non mutetur, sed prioris vini accidentibus circumfusa permaneat? docet cit. c. 6. h. t. ubi Innocent. III. nihil certi definit, eò quod res ista, nec ad fidem, nec ad mores pertineat, sed omnes tres opiniones ibi latè propositas probabiles asserit,*

probabilior tamen illam, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari.

§. VII.

Forma Sacramenti Eucharistiæ propter duas partiales materias duplex est; alia scilicet consecrationis panis, alia vini.

Forma panis consecrandi consistit in his, vel his substantialiter æquivalentibus verbis: hoc est enim Corpus Meum; ita tamen ut particula enim sit tantum de necessitate præcepti; reliqua de necessitate Sacramenti, ut cum S. Th. 3. p. q. 78. a. 1. docent Armilla, Sylvester, & Clariss. P. Paulus Mezger cit. tr. 17. disp. 31. a. 5. n. 3.

Forma consecrationis vini usitata continetur in illis verbis: hic est enim calix sanguinis Mei, novi & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Quamvis etiam hæc non omnia verba de necessitate Sacramenti esse, probabiliter existimem, sed tantum illa: hic est calix sanguinis mei, siquidem reliqua sunt potius explicativa fructus, vel hujus Sacramenti effectus.

Porro operatio verborum consecrationis tanta est, ut post consecrationem, Christus verus DEUS, & homo totus quoad substantiam, & accidentia, quantitatem scilicet, & qualitatem existat sub qualibet specie, imò etiam parte specierum, modo quodam admirabili, & Sacramentaliter. Trident. sess. 13. de Eucharist. can. 3. ita tamen ut sub speciebus panis *vi verborum* solum Christi corpus, *concomitanter* autem reliqua: & sub speciebus vini *vi verborum* tantum sanguis Christi, *concomitanter* verò corpus & reliqua ponantur; cum id solum *vi verborum* poni dicatur, quod primariò per verba significatur; & illud *concomitanter*, quod cum alio necessariam habet concomitantiam, & connexionem. Trident. d. sess. 13. c. 3.

R r 3

§. VIII.

§. VIII.

26 *Finis* Sacramenti Eucharistiæ est, ut passionis, & mortis Christi recordemur: sic enim ipse monet: *Hoc facite in meam commemorationem.*

§. IX.

27 *Effectus* Sacramenti Eucharistiæ plures sunt.

I. Eucharistia confert gratiam, quæ datur in ipsa sumptione omnibus æqualis, siue sub una, siue sub utraque specie: siue in majori, siue minori hostia sumatur. Trid. *sess. 21. c. 3.* Clar. P. Paulus Mezger *cit. tr. 17. dist. 34. c. 1. n. 16.* Et hoc quidem quantum est ex opere operato: etenim ex opere operantis gratiam posse esse inæqualem quoad illum, qui sub utraque communicat, ut nostro tempore Sacerdotes, ob majorem devotionem, & affectus amoris, extra dubitationis aleam est. II. confert remissionem peccatorum venialium, & præservat à mortalibus. Trid. *sess. 13. de Eucharist. c. 2.* compescit fomitem peccati, seu vigorem rebellis concupiscentiæ, ut habet S. Th. 3. p. q. 79. a. 1. ad 1. & a. 6. ad 3. causat finalem perseverantiam, & gloriæ adeptionem: S. Th. *cit. q. 79. a. 2.* Denique Eucharistiæ attribuitur resurrectio corporum, & vita æterna juxta illud Joan. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Igitur

O Sacramentum mare sanctum mergar in isto
O vinam! peream & totus amore mori.

Pars III.

De Divinis Officiis.

SUMMARI A.

28. *Officii Divini diversa appellatio.* 29. *definitio.* 30. *Partes.* 31. *Siue juris Divini, vel Canonici?* 32. *Quinam teneantur ad Divinum officium?* 33. *ex quibus compositum sit?* 34. *usq. 38.* *Quomodo persolvendum sit Divinum officium?* 38. *Quis sit finis Divini officii.* 39. *Quis effectus?* 40. *Qua assuetudo?*

§. I.

Divini officii non una appellatio invenitur: etenim nonnunquam dicitur *officium Ecclesiasticum*: quia ab Ecclesia concinatum; aliquando vocatur *officium Canonicum*: quia per SS. Canones institutum; sæpissimè verò *horarium Canonicarum* nomine insignitur.

§. II.

Definitur officium Divinum, quòd sit formula DEUM precandi, & laudandi mente pariter, & voce ab Ecclesiæ Antistitibus instituta, & publicè peragenda.

§. III.

Dividitur officium Divinum in septem partes, seu horas, quæ sunt *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera & Completorium.* c. 1. h. t. Gloss. in Clem. 1. Eod.

§. IV.

Causa efficiens Divini officii est vel *remota*, vel *proxima*.

Remota est Jus Canonicum, quò Divino officio peragendo, & horis Canonicis persolvendis certum tempus, & locus, certus quoque numerus, & modus præscribitur. Panormitanus, aliique Canonistæ, qui Juri Divino attribuunt, latius Jus Divinum accipiunt, existimantes Juris Divini esse, quidquid in SS. litteris habetur, aut ex iis derivatur, quod tamen revera minimè sufficit.

Proxima sunt, qui ex decreto SS. Canonum Divinum officium recitant: nempe initiati SS. Ordinibus, beneficium aliquod obtinentes, & Religiosi utriusque sexus: est enim communior, & verior sententia, exceptis Novitiis, & Laicis Conversis, omnes Religiosi, etiam in sacris non constitutos, omnesque Moniales, qui proficentur Religionem choroadictam, sub gravi peccato ad officium Canonicum quotidie vel simul, vel privatim recitandum, obligatos esse vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus recepta est.

est. Laym. de horis Canon. c. 4. cum aliis citatis.

§. V.

12 *Materia* Divini officii sunt Psalmi, hymni, Cantica, lectiones, responsoria, versiculi, Benedictiones, absolutiones, Capitula, invitatorium, Antiphonæ, Collectæ, seu orationes Ecclesiasticæ, Oratio Dominica, Angelica, & symbolum fidei, ex quibus rectè ordinatis integratur, ac componitur Divinum Officium.

§. VI.

14 *Forma* Divini Officii alia est *essentialis*, alia *accidentalis*.

Essentialis consistit in publicis quibusdam, ac determinatis precibus, horis diurnis, nocturnisque ab Ecclesiasticis personis ex SS. Canonum decreto Ecclesiæ nomine ad DEUM persolvendis.

15 *Accidentalis* stat in modo recitandi Divinum officium, quem præscribit *e. dolentes. l. 1.* ubi ita dicitur: *districte præcipimus in virtute S. Obedientia; ut Divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit DEUS, studiosè celebretur pariter, & devotè.*

16 *Studiosè* quoad officium oris, ut Gloss. interpretatur, id est, ut verba debitè proferrantur, non deglutiendo, aut syncopando. Quamvis autem, si id ex inadvertentiâ, aut infirmitate aliqua, seu balbutie linguæ proveniat, nullum sit peccatum: si tamen ex negligentia, aut culpabili præcipitatione, erit peccatum veniale quidem, si non sit magnus excessus; mortale verò si omissio, aut syncopatio syllabarum, ad notabilem aliquam partem officii pertingat.

17 *Devotè* quoad officium cordis: quod quidem exigit, ut attentè, & intentè Divinum officium peragatur. *Intentio* requiritur saltem virtualis, quâ quis intendit obligationi suæ satisfacere, DEUM colere &c. *attentio*, ut attendat, quid faciat, & internus devotionis affectus addit, & verba animet. Unde non satisfacit

præcepto recitandi horas, qui vel talia agit, quæ cum attentione debita Horarum sunt incompatibilia, vel solum materialiter verba Horarum profert sine interna attentione requisita ad orationem. Neque juvat, si præteritas, Ecclesiam nihil præcipere de internis: quamvis enim id alicubi procedat, ut in jejuniis, cujus obligationi per solam naturalem abstinentiam satisfieri potest, id tamen fallit, quando exterior præcipitur actus secum involvens actum, aut dispositionem interiorem: illa enim interior actio eodem præcepto continetur, ut docui *ad tit. de Constit. n. 8.*

§. VII.

Finis officii Divini est cultus, & deprecatio DEI.


§. VIII.

Effectus Divini officii est obligatio ad horas Canonicas, quæ gravis est, & sub peccato mortali ex suo genere, cum sit ex virtute Religionis, & in Beneficiariis etiam ex virtute Justitiæ. Medina, Suarez, & alii apud Layman *d. c. 4.* Requiritur tamen omissio materiæ notabilis, cujusmodi est integrum unius diei officium, vel integra aliqua hora. Imò Navar. *tom. 7. de Orat. n. 6.* docet, omissiones tertiæ partis unius parvæ horæ v. g. unius Psalmi cum hymno esse peccatum mortale, quod mihi displicet. Præterea Concilium Lateranense sub Leone X. *sess. 9.* speciali constitutione, quæ postea à Pio V. est renovata, decrevit, ut quivis beneficiarius, qui elapsis 6. mensibus à consecutione beneficii sine legitimo impedimento officium Divinum recitare omiserit, tempore illius omissionis teneatur ad fructuum restitutionem.

§. IX.

Affera Divino officio sunt *Officium B. Mariae, Defunctorum, Psalmi penitentiales, & graduales*: sunt enim solum accessoria Breviarii, neque privatim legentes obligant. Ita expressè statuit Pius V. in Bulla Breviario præfixa

dum dicit; quod in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium B. MARIÆ semper Virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos penitenciales, & graduales dici, ac psalli oporteat: nos propter varia hujus vita negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus. Aliud tamen censent de Lytanis, diebus rogationum præscriptis, quas communi consensu sentiunt, esse partem officii illorum dierum, quod & timorati observant.



TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus effectu.

SUMMARIA.

1. Baptismi etymologia. 2. Quid sit Baptismus? 3. Est à Christo institutus. 4. 5. 6. A quibus? 7. usque 11. Quibus conferri possit Baptismus? 11. Qua sit Baptismi materia? 12. Qua forma? 13. Quis finis? 14. Quinam effectus?

Sacramentum Eucharistiæ, quod inter cætera est maximum, excipit Sacramentum Baptismi, quod summè est necessarium.

§. I.

1. Baptismi vox è Græcia ad Romanos profecta, significat ablutionem, seu immersionem, quâ proinde meritò utitur Ecclesia ad denotandam ablutionem corporis exterioris, quæ adhibitâ certâ verborum formâ interioris animæ ablutionem designat, & operatur, in quo sensu.

§. II.

2. Definitur Baptismus, quòd sit Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.

§. III.

3. Causa efficiens Baptismi est vel principalis, vel instrumentalis.

Principalis est Christus, qui eum instituit,

Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram. in gener. ubi definit, omnia Novæ legis Sacramenta fuisse à Christo Domino instituta, Quandonam autem illum instituerit, non ita constat; probabile autem est, tunc instituisse, quando à S. Joanne in Jordane baptizatus est. Matih. 3. Rmus. Maurus Oberalscher p. 1. de Sacram. tr. 2. c. 1. §. 4. cujus Antesignanus est S. Th. 3. p. 9. 66. a. 2. ut ut alii velint, tunc formalitèr Baptismum institutum esse, quando Christus post resurrectionem discipulis dixit: ite, docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Instrumentalis est Minister, qui triplex: 1. unus, qui Baptismum administrat ex officio, & solemniter: alter, qui ex commissione tantum & solemniter: Tertius, qui non solemniter, sed tantum ex necessitate.

Primi generis Minister est solus Sacerdos, vel Episcopus. c. constat dist. 4. de Consecrat. Concil. Florent. quod in decreto Eugenii de Ministro Baptismi sic loquitur: Minister hujus Sacramenti Ordinarius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Rmus. Maurus Oberalscher cit. tr. 2. §. 1. concl. 1. Qui tamen, ut licitè illud officium obeat, jurisdictionem in baptizandum habere, neque alias ab Ecclesia prohibitus esse debet. c. interdum causa 16. q. 1. Peccabit itaque mortalitèr, qui Parocho rationabiliter renitente de ipsius Parochia aliquem baptizat, tamen interea nullam censuram, vel irregularitatem incurrat, prout infert Rmus. Maurus Oberalscher d. §. 1. v. sequitur. Navar. in Manual. 6. 27. num. 102.

Secundi generis, & maximè olim, qui ex commissione tantum solemniter baptizabat, erat Diaconus. c. constat Baptisma de Consecrat. dist. 4. Requiritur autem ad hoc, ut Diacono committatur solennis baptismus, utgens aliqua causa, ut puta, si Parochus per infirmitatem corporis, aut alias graves, & necel-

necessarias occupationes Baptismum petentibus nec per se, nec per alium substitutum sacerdotem conferre possit. Quod si Diaconus sine delegatione, aut alius Clericus inferior præsumeret solemniter baptizare, irregularitatem; incurreret per Text. in *c. si quis. 3. de Clerico non ordin.* Bonacin. *de Sacram. disp. 1. q. 2. punct. 5. n. 3.*

Tertii generis. & qui tantum tempore necessitatis, & non solemniter administrat Baptismum, est quivis homo potens, & sciens debitam formam, & materiam applicare baptizato, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. *c. firmiter de Summa Trinitat. Concil. Florent. in Decret. Eugenii.* sive is sit Clericus sive Laicus. *cap. 21. dist. 4. de Consecrat. sive masculus, sive femina, sive fidelis, sive infidelis. c. Romanus 23. & c. à quodam. 24. dist. 4. de Consec. S. Th. p. 3. q. 67. art. 4.* ubi observat, in casu necessitatis hunc ordinem esse servandum, ut præente proprio Pastore, non baptizet Diaconus; præente item Diacono non baptizet Clericus inferior, aut Laicus; & præente Clerico inferiore, non attemptet baptizare Laicus; sicut nec præente viro mulier.

§. IV.

Subiectum Baptismi est is, qui baptizatur. Possunt autem baptizari omnes cujuscunque sexus, conditionis, vel ætatis existant, ex quo omnes peccato originali infecti sunt. Ubi

Quæres I. Possitne infans in utero baptizari. Negativa videtur probari ex *c. 114. & 115. dist. 4. de Consecrat.* ubi disponitur, quod si mater prægnans baptizetur, foetus non sit baptizatus, quia qui natus secundum Adam non est, secundum Christum regenerari non potest, nec in eum potest cadere regeneratio, quem generatio non præcessit. Hinc regula: *qui natus non est, non potest renasci.*

Verum tamen voluit plerique Moralistæ, quod quidem regulariter expectanda sit tota

talis egressio infantis ex utero, si tamen periculum aliquod immineat, posse & debere factum illum quomodocunque & quâcunque corporis parte conspicuum baptizari, ita ut sufficiat, vel manum tantum, aut pedem, aut digitum, aut etiam crines, & secundinam, si nulla alia pars ex utero appareat, abluui. Diana *p. 5. tr. 3. resol. 12.* Joan. Præposit. *p. 3. q. 66. a. 8. dub. 3.* Basilius Pontius *lib. 4. c. 25. n. 27.* Soto *in 4. dist. 3. q. un. § 3.* Qui tamen consulunt, ut si deinceps factus editus fuerit, iterum sub conditione baptizetur. Imò sunt, qui doceant, obstetricem, vel aliam peritam foeminam teneri sub conditione aquam baptismalem in uterum matrem inaspergere, si prudenter credat, eâ tactum iri infantem: siquidem infans sic constitutus est subjectum capax Baptismi, cum sit homo non baptizatus: & potest tingi, sive aspergi aquâ, omniâque hic intervenire, quæ ad Sacramentum Baptismi requiruntur; nimirum materia, forma, debita intentio, & subiectum Baptismi capax. Ita Suarez, Valentia, Ledesma, Gabriel, Coninck, & alii, quos citat, & sequitur Diana *p. 2. tr. 15. Resolut. 43.*

Neque obstat *c. 114. & 115. dist. 4. de Consecrat.* in primis enim rationes Canonibus, & Decretis adjunctæ non constituunt jus. Deinde ut quis per Baptismum renasci possit, sufficit, ut ea præcedat Nativitas, quâ quis de non homine fit homo, modo possit lavari, ut patet in iis, qui tantum manum exerunt, aut exsecantur ex utero matris mortuæ.

Quæres II. An & quando monstra baptizanda sint? hujus questionis decisio ab eo dependet, an monstrum habeat animam rationalem, nec ne? ac propterea membra principalia inspicienda: etenim si membrum principale habeat formam hominis, v. g. si capite humano sit præditum, licet quoad alia membra videatur simile cani, vel habeat pedes caprinos, hujusmodi monstrum baptizari debet

S s

secus

secus autem, si pars corporis minus principalis tantum formam hominis præferat, ut si pedes habeat hominis, caput autem declinet à natura hominis. Reverendiss. Maurus Oberascher *de Sacram. p. I. tr. 2. cap. 2. §. 6.* Porro monstrum habens duo capita, si hæc diversas operationes exerceant, aut habens duo capita, & pectora simul, abluendum est duplici Baptismo absolutò, si verò habeat duo pectora, sed unum tantum caput, vel unum tantum pectus, & duo capita, sed quæ non exerceant diversas operationes, baptizari debet in uno absolute, in altero verò conditionatè, dicendo v. g. *si non es baptizatus, ego te baptizo.* Layman. *in Theol. moral. lib. 5. tr. 2. c. 6. n. 13.*

10 Cæterum homo semel baptizatus denuo rebaptizari non debet: sicut enim quis solùm semel generari potest, ita & solùm semel potest regenerari. c. 15. *de Consecrat. dist. 4.* nisi de prioris Baptismi valore prudens, ac rationabile dubium occurreret per c. 113. *eàd. dist. de Consecrat.*

§. V.

11 *Materia* Baptismi duplex est *remota*, & *proxima*.

Remota est aqua elementaris, aut naturalis. Trid. *sess. 7. de Baptismo. can. 2.* nec validitati materiæ Baptismi officit aquæ alteratio, quamdiu manet vera aqua naturalis: perinde ergo est, si ve sit aqua calida, si ve frigida: si ve sit marina, si ve fontana: si ve ex nive, si ve ex glacie resoluta: si ve turbida, si ve lymphida. Reverendiss. Maurus Oberascher. *d. tr. 2. c. 1. §. 2. q. 1.*

Proxima est ablutio, quæ fit, vel per immersionem, vel per affusionem, vel per aspersionem; his enim tribus modis quis abluatur, & sufficit, ut pars aliqua hominis abluatur, talis nimirum, secundum quam moraliter verum sit dicere hominem ablutum esse. Bonacin. *de Sacram. dist. 2. q. 2. punct. 3. n. 20.* Ubi tamen pro praxi notandum, quòd

pueros satis crinitos Minister debeat sollicitè abluere, ne aqua solùm crines tangat, non item & caput, cum vel crines non sint pars hominis, vel saltem de eo sit fundatum dubium. §. VI.

Forma Baptismi est vel *essentialis*, vel *accidental*.

Essentialis in Ecclesia Romana hæc usitata est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. c. 1. h. t. Trid. sess. 7. can. 4. de Baptismo. Concil. Florent. in Decreto Eugenii.* In Ecclesia autem Græca hæc: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Hæc forma, si ex balbutie, aut imperitia linguæ ad Grammatices amissim non pronuncietur, non ideo invalidum erit Sacramentum, aut reiterari debet, modò servetur sensus, & significatio juxta communem intelligentiam verborum. Quare in c. *revelerunt. 68. de Consec. dist. 4.* validus declaratur Baptismus hæc formâ collatus: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

§. VII.

Forma accidental respicit locum, & modum, quò confertur Baptismus.

Locus, quò conferri debet Baptismus, est Ecclesia; extra quam si quis Baptismum conferat, opinione Navar. *in manual. c. 22. n. 7.* peccat mortaliter per Clem. *un. h. t.* ubi duo tantum casus excipiuntur. *Primus* est, si liberi sint Regum, aut Principum, quorum nomine probabiliter etiam veniunt Comites, & Barones obtinentes jurisdictionem temporalem in locis suarum digionum. Riccius *de c. 427.* apud Gobat. *tr. 2. de Sacram. n. 492.* Aliis verò pro libitu hoc privilegium Clementina Ordinarium concedere non posse, tradit Barb. *de Offic. Parochi. p. 1. c. 2. n. 8.* Alter casus est, si necessitas infantem ad Ecclesiam deferre prohibeat. Sufficit autem non solùm quodcunque probabile periculum, sed etiam quiscunque prudens timor, præsumptio,

pio, & conjectura periculi, ne infans decedat sine Baptismo, vel etiam, ne contrahat morbum, si ad Ecclesiam deferatur. Gobat. loc. cit. n. 498.

Modus consistit in ceremoniis, & solennitatibus Baptismi secundum consuetudinem cuiusvis Ecclesiae, quae tamen de substantia non sint, sine peccato tamen mortali non possunt omitti, debentque omittae suppleri, si baptizatus supervivat. Armilla V. Baptismus n. 30. Panormit. in c. 5. h. c. & alii communiter. §. VIII.

13) Finitis Baptismi est, ut per abluitionem corporis sub certa verborum forma baptizatus regeneretur, & ab originali peccato mundetur. §. IX.

14) *Effectus* Baptismi quinque recensentur. Primus est gratia sancti iocans simul cum donis Spiritus Sancti, & virtutibus infusis, ac supernaturalibus, quae illam comitantur. Reverendiss. Maurus Oberascher de Sacram. p. 1. tr. 2. c. 3. §. 3. Secundus est remissio omnis culpae & originalis, & actualis quoad adultos suscipientes. Concil. Florent. in Decreto Eugenii & Trid. sess. 5. can. 5. Tertius remissio totius poenae peccatis debita. Trident. sess. 6. c. 14. de Justificat. ubi addit, in Sacramento Poenitentiae temporalem poenam non totam semper, ut in baptismo fit, dimitti. Quartus est characteris indelebilis in anima impressio, ut definit idem Trident. sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen. ubi una declarat, hoc Sacramentum propterea reiterari non posse. Quintus est subiectio sub potestate Ecclesiae, ad quam Baptismus quasi janua intro ducit.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

A *Effectus* Baptismi referri potest, quod Baptizatum reddat capax aliorum

sacramentorum, quorum propterea janua dicitur per text. in c. 3. h. c. Hinc presbyter sive bona, sive mala fide ordinatus ante baptismum ante omnia baptizandus, & postea denuo ordinandus erit per d. c. 3. & 3. h. c. Ut tamen Sacerdos ordinari possit, necessum non est, ut doceat, se baptizatum esse, sed hoc ipso, quod inter fideles conversatus, & a parentibus Christianis notorie natus sit, tam violenter praesumitur baptizatus esse, ut haec praesumptio pro certitudine habeatur, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. d. c. 3. h. c.



TITULUS XLIV.

De custodia Eucharistiae, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

Hoc titulo praecipitur omnibus Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus, ut sacram Eucharistiam, sacrum Chrisma, aliaque olea consecrata in Ecclesiis Parochialibus fideliter asservent, & in loco decenti custodiant pro futuris infirmorum, aut aliorum necessitatibus, ne impia manus ad ea extendatur, & ad artes nefandas auferat; quam custodiam si neglexerint, tribus mensibus ab officio suspendi jubentur, gravius puniendi, si per eorum incuriam aliquid nefandum contigerit: si enim absurdum est negligentiam committere in profanis, quanto magis in sacris

Text. in c. 1. c. 2. h. c. & ibi.

Interpp.



TITULUS XLV. De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

In c. 1. & 2. h. t. propter fraudes, & illusiones Dæmonis prohibemur, aliquem tanquam Sanctum venerari, aut ejus reliquias publicè colere, tamen si miracula operetur, nisi auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, qui solus aliquem pro Sancto, vel Beato declarare potest. Quod in tantum amplio, ut licet Episcopi approbare, ac examinare miracula sancti etiam nondum canonizati posse videantur juxta Barb. de Potest. Episcop. p. 3. alleg. 97. num. 1. Reliquias tamen noviter inventas hominis nondum canonizati approbare nequeant, per textus luculentos in cit. c. 1. & 2. Neque obstat, quòd in Trid. sess. 25. de Invocatione, Venerat. & Reliquiis SS. dicatur, neque nova miracula, neque novas reliquias esse recipiendas, nisi recognoscante, & approbante Episcopo, consequenter, quòd sicut Episcopus nova miracula Sancti etiam non canonizati approbare potest, ita & possit reliquias; siquidem diversa ratio est: cum enim in cit. c. 2. h. t. Episcopis expressè prohibitum sit, reliquias noviter inventas (hominum scilicet nondum canonizatorum) publicæ venerationi sine Sedis Apostolicæ approbatione exponere, non tamen interdictum sit nova miracula hominum necdum canonizatorum examinare, ac approbare, ideò verba Trid. quatenus sonant de novis miraculis, etiam de miraculis hominis nondum canonizati ampliatiuè interpretari licet; quatenus autem verba ejusdem Trid. innuunt, novas reliquias approbante Episcopo posse venerationi exponi, restringere oportet ad novas reliquias hominum jam ante canonizatorum, vel saltem pro talibus publicè, & communi consensu Ecclesiæ habitorum: ex quo Trid. Constitutioni Conciliari in d. c. 2. h. t. conten-

ta expressè non derogavit, juxta doctrinam Barb. de Potest. Episcop. p. 5. alleg. 33.

TITULUS XLVI. De observatione jejuniorum.

SUMMARIÆ.

1. Quid sit jejunium? 2. Aliud est naturale, aliud Ecclesiasticum. 3. Est introductum jure Ecclesiastico. 4. usque 11. Quinam teneantur præcepto jejunii? 12. a quibus cibis abstinendum. 13. usque 17. Quæ sint requisitæ jejunii? 17. Quis finis, & effectus?

§. I.

Definitur jejunium, quòd sit parsimonia victus, & abstinencia ciborum certis temporibus ab Ecclesia institutis servanda.

§. II.

Dividitur jejunium in naturale, & Ecclesiasticum. Illud est abstinencia ab omni, tum cibo, tum potu in stomachum transmissis; quale à tempore noctis mediæ requiritur ad dignam sumptionem Eucharistiæ. Ecclesiasticum est abstinencia, quæ ex præcepto Ecclesiæ quis à carnibus abstinet, & unicâ refectio- ne à media nocte usque ad mediam noctem futuram contentus esse debet; de quo in præ-

§. III.

Causa efficiens hujus jejunii est jus Ecclesiasticum: quippe nullum jejunium, ne quidem quadragesimale de jure Divino propriè loquendo præceptum est, sed hoc ipsum ex sola traditione, & Apostolica sanctione in Ecclesia inolevit. can. 68. Apost. Covarr. var. resolut. lib. 4. c. 20. n. 4. & seqq.

§. IV.

Subjectum jejunii sunt illi, qui ad ejus observationem adstringuntur. Adstringuntur autem præcepto jejunii omnes Christiani, qui ob justam causam non excusantur. Sunt verò causæ excusantes plures.

Primus est ætatis imbecillitas, quâ ab ab-
 stinentia à secunda, & ulteriore refectione ex-
 cusantur juvenes usque ad annum 21. inclu-
 sive, prout habet communis usus, & praxis
 Ecclesiæ, eò quòd tales indigeant multo nu-
 trimento propter necessitatem augmenti,
 quod fit de residuo alimenti. Bonacin. tom. 2.
 disp. ult. punct. 6. n. 1. Quidquid in contra-
 rium dicat Reginaldus lib. 3. c. 12. num. 206.
 Illud exploratum est, tales teneri in diebus je-
 juniorum à carnibus statim, quando usum ra-
 tionis adepti sunt, quod fermè circa septenni-
 um accidit, abstinere; infantibus autem, &
 perpetuo amentibus etiam diebus prohibitis
 carnes porrigere licitum esse, tradidit *supra*
de Consiit. n. 13.

Secunda est *asas sexagenaria*, senes enim in
 ea ætate, licet viribus polleant, certò, & infal-
 libiliter à lege jejunii excusari, docet cum aliis
 octo Authoribus Diana 1. p. tr. 9. *resoluit. 20.*
 vocans hanc sententiam probabilissimam pro-
 pterea; quia etsi aliqui sexagenarii validi &
 fortes videantur, hoc tamen existimatum eo-
 rum robur non est firmum, & constans, sed
 medium quid inrer morbum, & perfectam sa-
 nitatem, eorumque natura semper ad interi-
 tum declinat, atque adeò adminiculo cibi fre-
 quentiùs sumpti indiget, ut non tam præsentis
 statui, quam futuro consulatur.

Tertia est *corporis infirmitas*, quâ à jejunio
 excusantur non solum infirmi, sed etiam re-
 convalescentes, qui pristinas vires per mor-
 bum præcedentem deperditas necdum recu-
 perarunt: valetudinarii, qui non habent qui-
 dem aliquem actualem morbum, sunt tamen
 complexionis male affectæ: arg. c. 2. *b. r.* qui-
 bus accenseri possunt foeminae prægnantes, aut
 lactantes, ut quæ non tantum se ipsas, sed etiam
 prolem sustentare debent. Imò tales, si essent
 tenerioris complexionis, peccarent mortaliter,
 si jejunare vellent, eò quòd se exponerent pe-
 riculo valde probabili, ne inde notabile dam-
 num proli sequatur.

Quarta est *paupertas*, quâ excusantur. 7
 mendici ostiatim legentes cibos, qui sumere
 debent, prout occurrit, ita, ut plenam refe-
 ctionem simul sumere non possint, imò vix
 per partes. Atque his licitus quoque esset
 usus carniùm, si alium cibum invenire non
 possent. Planè si pro aliquo die haberent
 congruam sustentationem, ad jejunium obli-
 garentur, quandoquidem cessante causâ sol-
 vente præcepti obligationem, incipit ligare
 præceptum.

Quinta est *Labor*, quò excusantur agrico-
 læ, Fabri ferrarii, vel lignarii, Cementarii,
 Textores, Pistores, Sutores, Molitores, La-
 niones, Coriarii, Cursores, Itinerantes, & si-
 miles: Item Magistri & Professores litera-
 rum: quia horum labor præstantiorem cor-
 poris substantiam, nimirum spiritus vitales
 absumit. An verò liceat eo die, quò præce-
 ptum jejunii incidit, laborem non necessarium,
 vel peregrinationem, quæ talem aliàs ex sua
 natura excusant, suscipere, & utrùm ideò ejus-
 modi laborantes, vel peregrinantes à jejunio
 excusentur? dissentiunt DD. Negat Navarr.
 in *Manual. c. 21. n. 18.* Affirmat Bonacin.
 tom. 2. *disp. ult.* Cujus sententiam ob de-
 clarationem Eugenii IV. probabiliorè & ad
 sedandos scrupulos, pacandamque conscien-
 tiam expeditiorè judico.

Sexta causa est *pietas*, quâ à jejunio excu-
 santur Confessarii, qui totâ die confessionibus
 excipiendis expositi: Concionatores, qui in
 diebus Quadragesimæ quotidie, aut ter, vel
 quater in hebdomade concionantur; secus il-
 li, qui solum diebus festis per annum concio-
 nes agunt, quos non nisi pridie ante concio-
 nem, & in ipso die concionis à jejunio excusa-
 verim.

Porro si causa excusans à jejunio est certa
 & liquida, per se loquendo non est petenda
 licentia, aut dispensatio: si dubitetur, an causa
 sit sufficiens, nec ne? opus est dispensatione,
 quam

quam non solum S. Pontifex, sed etiam Episcopus suis Diocesanis, Superiores Regularium suis Religiosis, & Parochus suis Parochianis saltem de consuetudine concedere potest. Azor. *Instit. moral. tom. 1. lib. 7. c. 18. q. 3.* Reginald. *lib. 4. c. 12. n. 224. & 228.* Certè; quòd Parochus nullà adminiculante consuetudine ipso jure communi, maximè pro foro pœnitentiæ, an causa sit justa & sufficiens, cur quis jejulare non debeat, declarare possit, cum hoc ipsum suo modo Medico, aut Confessario concedatur, docent Sylvest. *V. jejunium. q. 7.* Angelus *nam. 10.* & alii citati apud Azor. & Reginald.

II Connexa *questio* est: an Episcopus possit transferre jejunium ab una die in aliam? Laymann in *Theol. moral. de Fejun. c. 3. n. 9.* existimat, si Vigilia S. Matthiæ incidat in feriam secundam, vel tertiam quinquagesimæ, ubi Bacchanalia celebrantur, justam fore causam, ut Episcopus tale jejunium in præcedens Sabbathum transferat, si animadvertat homines illius loci ita comparatos esse, ut plurimi jejunium violaturi sint, etiam cum esu carniarum non sine scandalo: nam, ut idem author notat, ad Episcopum pertinet ob specialem causam pro una vice in lege jejunii universalis dispensare, cum ejus officium sit spiritali subditorum saluti invigilare, atque scandala infirmorum tollere. Scio tamen, tribus ab hinc annis, nempe 1694. Celsissimum, ac Reverendissimum Principem, & Archi-Episcopum Salisburgensem &c. &c. non attentis his rationibus voluisse in translatione dispensare; neque enim malitia, & intemperantia populi, vel subditorum videtur justa causa, cur propterea præceptum Ecclesiæ relaxari debeat; nec tantopere ejusmodi scandala attendenda sunt, quæ aliquando neque caveri possunt, utut Superior omni diligentia eò collimet: præcipuè cum talis lex semel legitimè, & rationabiliter lata nullo modò causa scandali dici valeat, & fa-

eilè prævidere potuerunt Legislatores, fore, ut ejusmodi vigilia, ac jejunium in dies Bacchanaliorum aliquando incideret, neque tamen exceptionem à communi regula faciendo dispensare voluerunt; ergo neque nos debemus confer. Jacob. Pignatell. *tom. 3. consulti. 15.*

§. V.

Materia jejunii est caro, cujus abstinentia omnibus jejuniorum diebus præcipitur, ita ut toties quis peccet mortaliter, quoties in ejusmodi die carnes comedit, nisi parvitas materiæ excuset. Dian. *1. part. tr. 9. resolutio 43.* Carnis autem nomine juxta communem Christianorum usum illa intelligitur, quæ à piscibus contradistinguitur, cum quibus, quia volucres eandem naturam non habent, ideo inter carnes die jejunii prohibitas reputantur. Quamvis verò de jure communi abstinendum foret ab ovis, caseo, & ejusmodi lactiniis, eò quòd ex carne originem trahant, multumque nutriant, ea tamen in nostris partibus consuetudo permittit.

Hic *scrupulus* incidit: an in Germania liceat uti lardo, & pinguedine porcina? Dian. *p. 1. tr. 9. resolut. 21.* octo Auctores recenset, qui sustinent, in illis locis, ubi licet comeduntur ova, & lactinia, posse etiam licite sumi sagimen porcinum, vel pinguedinem anserum, eò quòd talis pinguedo revera non sit caro, licet ex carne originem trahat. Attamen Laymann in *Theol. moral. lib. 4. tr. 8. c. 2. num. 5.* & alii censent, hanc opinionem non facile ad praxin esse deducendam, ne homines hanc licentiam paulatim etiam ad farcimina, & jusculum ex carnibus extendant, magnò scandalo, & jejunii Ecclesiastici detrimentò.

§. IV.

Forma jejunii consistit in requisitis. R. 14. *quiritur autem.*

I. Abstinentia voluntaria à comestione car-

nis, quæ si servetur, jejunium non violatur, quamvis aliquis toto die plenis naribus etiam cum delectatione capiat odorem ex carnibus coctis.

15 II. Requiritur abstinentia plurium refectio-
num: sive unica, & non repetita corporis
refectio. Verum ex communi Ecclesiæ con-
suetudine admittitur collatiuncula vespertina
(quæ etiam collatio, & canula appellatur)
faciente, & permittente Ecclesiâ, ne vires ho-
minum nimium deficiant. Quantum autem
in tali collatione sumere liceat? non una est
sententia. Ego opinor propter diversissimas
locorum, & personarum qualitates non tam
ad rationes, & auctoritates DD. tertiam,
quartam, vel quintam partem cœnæ ordinariæ
plerumque determinantium, quam potius ad
consuetudinem cujusque loci attendendum
esse, ab hac namque tota collationis lumendæ
facultas dependet: hinc in praxi mensura &
regula rectè desumitur ab eo, quod propor-
tionaliter homines alioquin conscientiosi in
tali loco facere, & observare consueverunt
circa præsentem materiam. Quamvis dissi-
mulare nolim, nostra Germanorum jejunia
passim apud externos sugillari. Unde & Au-
striacos Poëta pungit, dum pangit:


Austriacos fertur paschales nomine dici:
Paschata quod celebrent semper, jejunia nun-
quam.

16 III. Requiritur certa refectio-
nis hora, quæ olim erat Nona, id est, Tertia post meridiem:
hodie ex recepta consuetudine circa meri-
diem. Non tamen erit peccatum mortale,
etiamsi hæc consueta hora notabiliter, & sine
legitima causa anticipetur: quia jejunium Ec-
clesiasticum durat per spatium viginti quatuor
horarum, videlicet, à media nocte in medi-
am noctem, quò tempore permixta est unica
refectio, parum autem refert, quacunque ho-
ra hæc refectio sumatur: neque graviter

obstat fini jejunii anticipatio consuetæ horæ.
Ferdinand. de Castropalao p. 7. de *Justit. dist.*
3. punct. 2. §. 3.

§. VII.

*Finis & effectus jejunii est humilitas, conti-
nentia, & castitas: quia ut D. August. serm.*
*de jejun. ait: jejunium purgat mentem, suble-
vat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit*
contritum, & humiliatum.



TITULUS XLVII.

De Purificatione post par-
tum.

LEge Mosaica mulier post partum judica-
batur immunda, adeoque pariens ma-
sculum per *quadragesima*, pariens autem foemi-
nam per *octoginta dies* ab ingressu templi arce-
batur. *Levit. 12.* Verum hæc lex Antiqui
Testamenti, quia ceremonialis tantum fuit,
in novo testamento non obligat sub culpa.
Unde hodie statim post partum, si vires per-
mittant, licitè Ecclesiam ingredi, & Sacramen-
ta frequentare potest: de consilio tamen &
communiter recepto more rectè aliquamdiu
ab ingressu Ecclesiæ ex decencia quadam ab-
stinet. c. *un. h. t. & ibi DD.*



TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel
reparandis.

SUMMARIUM.

1. Ecclesia diversa acceptio. 2. Definitio. 3. Divisio.
4. Quæ ratione? 5. Quorum sumptibus Ecclesia
ædificanda, aut reparanda? 6. Quæ sit materia?
7. Quæ forma? 8. Quis finis? 9. Qui effectus
Ecclesiæ?

AD officia Ecclesiastica, puta administra-
tionem Eucharistiæ, Baptismi, aliæque
pietatis opera peragenda, de quibus hæcenus,
necessaria est Ecclesia.

§. I.

§. I.

1 **Nomine Ecclesia** hic non intelligimus fide-
lium, seu credentium omnium ubique exi-
stentium Cærum, sed locum, seu ædificium
Divinum cultui exercendo deputatum, in quo
sensu.

§. II.

2 **Definitur Ecclesia**, quòd sit locus publicus
Episcopali autoritate constitutus, & conse-
cratus, ad quem fideles conveniunt ad perci-
pienda fidei Sacramenta. *Lezana Quest. regul.
tom. 3. V. Ecclesia. n. 1.*

§. III.

3 **Dividitur Ecclesia**, quòd alia sit *Episcopa-
lis*, sive *Cathedralis*, alia *Collegiata*, alia *Ma-
trix*, alia *Parochialis*, alia *Baptismalis*, prout
tradit P. Engel. *h. t. n. 2.* ubi singularum de-
scriptionem exhibet. Adde tamen saepe
nam speciem pro alia sumi, & nomine *Ma-
trix* venire *Cathedralem*: nomine verò *Ba-
ptismalis* *Parochialem*, etsi strictè loquendo in-
ter se differant, teste Tusch. *in conclus. pract. V.
Ecclesia conclus. 18.* ubi benè notat, nomine
Ecclesie in odiosis non venire Capellas, aut
oratoria, & per consequens, licet Ecclesie
construi sine obligatione dotis nequeant, adeò
ut Ecclesia erecta pro constitutione dotis
omnia bona ædificantis hypothecata habeat,
posse tamen sine ea construi Capellas, vel
oratoria.

§. IV.

4 **Causa efficiens Ecclesie** sunt, qui pro ejus
ædificatione, aut reparatione sumptus, & ex-
pensas suppeditant. *Ædificationi* non antea
manus admovenda, quàm Episcopus Dico-
cesanus locum assignaverit, crucem fixerit,
primùmque lapidem vel per se, vel per alium
ad hoc delegatum posuerit. *c. nemo c. placuit.
de Consecrat. dist. 1. c. ad hæc. de Religios. do-
mib. Zerol. in practi. Episcop. V. Ecclesia. p. 1.
Azo. Instit. moral. tom. 2. lib. 9. c. 30. q. 4.
Barb. de Offic. & potest. Episcop. p. 2. alleg.*

26. **Reparationem Ecclesiarum** ruinosarum
quod attinet, ea fieri debet sine cujuscumque
præjudicio, præcipuè familiarum nobilium,
quæ ibidem insignia sua, vel sepulcrum ob-
tinent, quod enim in pietatem conceditur, in
injuriam redundare non debet. *c. 2. b. 1.*

Frequens in foro *controverſa* est: quis
Ecclesiam reædificare, aut restaurare ceneat?
quam sequenti casuum distinctione ali-
quò modò componam. *Primo* tenebuntur
illi, qui ex conventionem, vel consuetudine in
specie ad hoc sunt obligati. *c. decrevimus. cau-
sa 10. q. 1.* aut si in Ecclesie fundatione certa
pecunia pro fabricæ conservatione destinata
sit, ex illa resectio, ac reædificatio fieri de-
bet. *Secundo* loco ipsa succurrit Ecclesia ex
fructibus, & proventibus suis quibuscumque
& quomodolibet ad se spectantibus; qui si
sufficientes non fuerint, *Tertio* loco Redo-
res, Beneficiati, Patroni, & omnes, qui ex
Ecclesia fructus, ac commodum percipiunt,
simul ad contributionem vocantur, juxta pro-
portionem commodi, & reddituum, quos ex
tali Ecclesia percipiunt, arbitrio Episcopi taxan-
dam, relicta tamen semper Clericis ad minimum
sustentatione congrua. Quòd si nec illi sum-
ptus pro reparatione Ecclesie necessarios fa-
cere valeant, tunc *Quarto* loco omnes Paro-
chiani contribuere, & Ecclesiam suam con-
servare obligantur, ad quod etiam appellatio-
ne remotà opportunis remediis cogi possunt,
etsi nullo speciali pacto, vel consuetudine ad
id se obligatos agnoscant. nec fructus speciales
percipiant; sufficit enim, quòd commune, &
generale ex Ecclesia commodum sentiant.
Denique si omnes supradicti tantà egestate la-
borent, ut Ecclesiam reparare nequeant, nec
aliunde spes affulgeat futura cum tempore re-
parationis, tunc omnino destrui potest, vel in
Ecclesiam Matricem, si filialis sit, vel aliam
vicinam unà cum dote, & aliis juribus relictis
transferri, ibidem erecto, vel designato altari
sub

sub illius Sancti patrocinio, cujus erat Ecclesia destructa. Vid. Trid. sess. 21. c. 7. juncto c. 1. & 4. h. t. & ibi DD.

§. V.

Materia Ecclesiæ sunt lapides, cæmenta, ligna, & similes res ædificiis extruendis, & conficiendis necessariæ.

§. VI.

Forma Ecclesiæ est vel interna vel externa.

Ad formam internam pertinet, ut Ecclesia extruatur cum consensu Ordinarii, ejusque auctoritate: ut extructa precibus ad DEUM suis initiatur: ut certi sacrarum, quæ in Ecclesia peraguntur, functionum Ministri pro modo facultatum, quas Ecclesia habet, constituantur; ut certis, statisque temporibus cætus fiant, & alia, quæ ad regimen Ecclesiasticum pertinent, ordine, ac decenter peragantur. l. 4. C. de SS. Ecclesiis. & Novell. 3. in Prefat.

Forma externa consistit in ipsa structura, quam fabricam vulgò appellant. Hæc ex antiqua traditione oblonga esse consuevit, indicans Naviculam Petri: & si commodè fieri possit, exigit, ut Altare principale versus orientem erigatur, eò quòd Christus dicatur ad Orientem ascendisse. Psal. 67. & 34. ibi: *Psallite DEO, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* P. Engl. h. t. n. 7.


§. VII.

Finis, ob quem extruitur Ecclesia, est, ut in ea Sacramenta administrantur, verbum DEI prædicetur, & audiatur, Laudes, & preces DEO offerantur, ac Divina officia ritè celebrentur.

§. VIII.

Ad Effectum Ecclesiæ pertinet, quòd locus ille, in quo Ecclesia ædificatur, sit Sacrosanctus: Sacer quidem, quia DEO dicatus, & sacratus. l. 2. §. 2. ff. de Res. divis. Sanctus: quia sanctionibus Imperatorum ab injuriis

hominum eximitur, & defenditur. l. sanctum cum l. seq. ff. de Res. divis. l. 1. & seq. ff. Ne quid in loco sacro.



TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Immunitas, de qua in, & sub hac Rubrica agitur, est vel immunitas Ecclesiarum, ac cæmeterii, quam localem vocant, vel immunitas rerum ad eas pertinentium, quam realem appellant.

Pars I.

De Immunitate Ecclesiarum, ac Cœmeterii.

SUMMARIA.

1. Immunitas localis quid? 2. Que ejus origo. 3. usque 10. Quibus locis competat? 10. 11. Quos reos securos reddat? 12. Que sit forma immunitatis localis? 13. Quis finis. 14. & seqq. Qui effectus?

§. I.

Per immunitatem Ecclesiarum, ac cæmeterii hic jus asyli, seu illud privilegium potissimum intelligitur, quòd reis ad Ecclesiam aut cæmeterium confugientibus securitatem præstat, ne vi inde extrahi possint. Germanicè dicitur eine Freyheit/ oder Freyung.

§. II.

Causa efficiens hujus immunitatis est jus. Sed quale? Aliqui eam constitutam putant jure naturali. quos refert Thomas Delbene de Immunitat. & Jurisd. Eccles. c. 16. dub. 2. n. 2. Plures existimant, eam fuisse introductam jure Divino per Trid. sess. 25. de Reformat. c. 20. ubi asserit: *Ecclesia, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam.* Sed verius est, hanc immunitatem originem

T t

tra-

traxisse ex jure solum humano tam Civili, quam Canonico: Civili *tot. tit. C. de his, qui ad Eccles. confug. & Novell. 17. c. 7. Canonico c. 6. 9. & fin. h. t. & passim alibi.* Ratio capitalis est: quia licet jus naturæ, ac Divinum DEI cultum præcipiat, non tamen distat, reos ad templa, ac cæmeteria confugiennes vi inde non abstrahendos: neque extractio rei, ut promeritas pœnas luat, in DEI, vel sacri loci contemptum cedit, sed insuper referri potest ad finem honestum, ac bonum Reipublicæ, cujus interest, ne delicta maneat impunita. Decretum Trid. quod in contrarium allegatum est, non de immunitate locali, sed personali, aut reali intelligendum est. Vide Covarr. *Var. resolut. lib. 2. c. 20. num. 1.*

§. III.

3 *Subjectum* hujus immunitatis sunt Ecclesiæ aliæve loca sacra, ac religiosa, quibus concessa est, ac competit. Competit autem

I. *Ecclesiis consecratis*, imò etiam non consecratis, in quibus Divina Mysteria celebrantur. *c. 9. h. t. c. omnes Basilica. 2. c. de fabrica. 23. de Consecrat. dist. 1.* An etiam iis, in quibus hæcenus Divina Mysteria nunquam sunt celebrata? Negant Glos. in *cit. c. 9. V. celebrantur. h. t.* Anton. de Butr. *ibid. n. 3. Decian. in tr. crimin. lib. 6. c. 24. n. 24.* moti argumento à sensu contrario ex *cit. c. 9. deducto.* Sed rectius affirmant Covar. *d. c. 20. n. 4. & Clarus in pract. crimin. §. fin. q. 30. n. 4.* quia ratio illis concessæ immunitatis non est celebratio actualis Missarum, sed quia auctoritate Episcopi Divinis obsequiis destinata est, ut patet ex *cit. c. 9. & c. ad hæc. de Religios. domib.* Hinc etiam Ecclesiam nondum constructam, positò tamen primò lapide, & loco Altaris cruce designato, gaudere immunitate, docent Ancharanus in *d. c. 9. n. 1. Panormit. ibid. n. 5. Eximius P. Corbinian. Kham de Censuris in specie. c. 8. n. 589.*

II. Hæc immunitas competit *Monasteriis, domibus, ac Convenibus Religiosorum;* cum sint loca Divino cultui deputata. *c. quisquis, causa 16. q. 4. l. omnia privilegia. C. de Episcop. & Cleric. ubi Orphanotrophis, sive Alcesteriis, aut Prochotrophis, seu Xenodochiis, vel Monasteriis privilegia conceduntur ad instar majoris venerabilis Ecclesiæ incluxerunt.* Barb. *F. E. U. lib. 2. de Immunit. p. 2. c. 3. n. 72. Sylvester V. immunitas. n. 1. Fagn. ad c. Ecclesia 9. h. t. n. 28.* Quæ immunitas extenditur etiam ad hortos, areas, domos familiarum, stabula animalium, & quæcunque loca contenta intra septa Monasteriorum, arg. *c. frater. c. si quis in atrio. c. si quis contumax. causa 17. q. 4. l. pateant. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Constituit Gregor. XIV. quæ incipit: *Cum alias.* Fagn. *loc. cit. in fin. Ægidius Rambeck. dist. 4. Panoplia c. 4. n. 19.*

III. Immunitas competit *cæmeteriis Ecclesiæ contiguis, ac unitis, c. fin. h. t. ibi: in Ecclesiis, vel earum cæmeteriis.* Tuschus *V. Ecclesia concl. 10. n. 3. Farinacius in append. 17. n. 262.* An etiam cæmeteriis ab Ecclesiâ separatis? Affirmo cum Navarr. in *Manual. c. 25. §. cæmeterium* Farinac. *cit. c. 17. n. 264. & communi aliorum:* quia Ecclesiæ & cæmeteria, utut separata, gaudent eodem privilegio per *c. 5. h. t. Corbinian. n. Kham, cit. c. 8. n. 592.* ubi cum Fagn. infert, immunitatem violatorum, qui reum in tali cæmeterio stantem per partem pallii extra ipsum pendentem extraheret.

IV. Competit *Oratoriis* auctoritate Episcopi erectis, & cultui Divino perpetuo destinatis: quia quamvis benedicta, aut consecrata non sint, sunt tamen loca Religiosa arg. *c. ad hæc. de Religios. domib. & super eorum subjectione, ac visitatione Episcopus jure communi fundatam habet intentionem. c. 6. Eod. c. 1. §. deinde liceat. de Censib. in 6. Aliud obli-*

obinet in Oratoriis privatâ auctoritate ere-
ctis ut sunt multi a Capellâ in ædibus privato-
rum, & aliquando Oratoria Contraternitatû:
talia enim, quantumvis ibidem ex licentia
Episcopi quotidie Missæ legantur, quia ta-
men nec loca sacra, id est, DEO specialiter
consecrata, nec etiam Religiosa sunt propriè
loquendo, sed merè profana, ac privata, ita ut
pro arbitrio Domini, quod hodie est orato-
rium, cras possit esse Camera, ideo immunitate
non gaudent, prout S. Congregatio Immuni-
tatis in una *Perusina* 9. Decemb. 1631. de-
claravit, docetque Panorm. in *c. Ecclesie. h. t.*
& in *c. ult. de Conf. Suarez. tom. 1. de Relig.*
lib. 3. cap. 9. n. 18.

V. Hæc immunitas competit etiam *hospi-*
talibus auctoritate Episcopi erectis cum altari
ad celebrandum: siquidem & hæc sunt loca
Religiosa, nec ad ulus profanos converti pos-
sunt: *c. ad hæc de Religios. domib. & privilegia*
concessa Ecclesiis se quoque extendunt ad ho-
spitalia. *l. omnia C. de Episc. & Cleric. Fagn.*
in c. Ecclesia h. t. n. 27. Archidiacon. in c. de
servit. causâ 17. q. 4. n. 1.

VI. Hæc immunitas attribuitur Palatio, si-
ve domui Episcopi. Panorm. in *c. Ecclesiis. h. t.*
Guido Papæ q. 121. n. 4. Tuschus *lit. l. concl.*
89. n. 24. propter text. in *c. id constituimus.*
36. causâ 17. q. 4. ubi dicitur habetur, reos
minimè ab atriis Ecclesiæ, vel domo Epi-
scopi abstrahere non licere. Interim aliqui
volunt, hunc textum tantum procedere, si
Episcopus in sua domo Capellam consecra-
tam habeat. Alii probabilius eundem textum
interpretantur, quando domus Episcopi juxta
Ecclesiam intra quadraginta passus sita est,
prout in *c. penult. dist. 41.* Episcopus non lon-
ge ab Ecclesia hospitium suum habere jube-
tur. Hanc sententiam vel ex eo comprobave-
ro, quod S. Pontifex in *cit. c. 36.* nihil novi se
constituere, sed duntaxat decreta Canonum
repetere asserat. Cum ergo SS. Canones

immunitatem Ecclesiarum majorum tantum
ad quadraginta; Capellarum verò, & Eccle-
siarum minorum ad triginta duntaxat pas-
sus ultra Ecclesiam porrigant, nullibi autem
specialis immunitas Palatio Episcopi concessa
reperiatur, imò in eodem textu non obscure
atrium Ecclesiæ, & domus Episcopi conjun-
gantur, meritò hæc explicatio admittenda vi-
detur cum Gloss. in *cit. c. 36.* Innocent. in *c.*
inter alia. h. t. & Zerolla in *prax. Episcop. V.*
immunitas. p. 1. §. 2. eamque sententiam in
praxi receptam esse, testatur Clarus *cit. §. fin.*
q. 30. n. 3.

VII. Plures hanc immunitatem extendunt
ad tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, vel
ad Sacerdotem Evcharistiam portantem, eò
quòd etiam de Jure Civili immunitas conce-
datur iis, qui ad Statuas Principis confugiunt.
l. un. C. de His, qui ad Statuas confug. imò
olim Episcopi, vel etiam Presbyteri & Mo-
nachi, eos, qui ad supplicium ducebantur,
absolute eripere, & servare potuerint per *l. 6.*
C. de Episcop. audient. Cur non igitur hoc
privilegium potius ipsi Christo Domino con-
cedatur, maxime cum ipsismet Ecclesiis po-
tissimum propter sacram Evcharistiam, & ce-
lebrationem Divinorum Mysteriorum com-
petat? Ita Laymann. in *Theol. moral. lib. 4.*
tr. 9. c. 3. n. 4. Lezana *V. immunitas. num. 2.*
Tulchus *V. Eccles. concl. 10. num. 33.* Cor-
binian. Kham *de censur. in specie. c. 8. num.*
598. Verum quia hoc nusquam in SS. Cano-
nibus expressum reperitur, & aliunde hæc im-
munitas extendenda non est, ex quo in-
quantum ex una parte favet Ecclesiis &
Religioni, in tantum ex altera derogat Ju-
stitiæ, & incolumitati Reipublicæ, ideo
non immeritò hanc communem senten-
tiam in dubium vocat Covarruv. *variar.*
resolution. c. 20. numer. 6. cum Gloss. in *c.*
quæsitum. causâ 13. q. 2. proinde rectis-
sime in facti contingentiâ ad consuetudi-
nem,

nem, quæ optima legum interpretis est, recurratur.

§. IV.

IO *Objectum* immunitatis Ecclesiarum, ac cæmeterii sunt rei, quos contra vim securos reddidit. Reddit autem securos omnes, qui specialiter in Sacris Canonibus non excipiuntur. *c. inter alia 6. & c. fin. h. t.* Constitut. Gregor. XIV. quæ incipit: *Cum alias*. in quibus excipiuntur I. Publici latrones. II. Viarum grassatores. III. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis committere non verentur. IV. Qui proditoriè proximum suum occiderunt, simulatâ amicitia, vel inimicitia dissimulatâ. V. Assassini, qui acceptâ, vel promissâ pecuniâ ex pacto hominem occidunt. VI. Hæretici, eorumque receptatores, defensores, auxiliatores. VII. Rei læsæ Majestatis, si crimen hoc in ipsam Principis personam admissum fuerit. Confer. Del bene p. 2. de *Immunit. Eccles. c. 16. dub. 13. & seqq.* Extra hos cæteri delinquentes omnes, quanquam graviora delicta commiserint, immunitate gaudent.

II De Clericis, & Religiosis *dubitatur*: an extra casus exceptos etiam illi immunitate defendantur contra proprios suos Judices Ecclesiasticos?

Negant Panorm. in *d. c. inter alia 6. h. t. n. 13.* Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 8. c. 9. q. 9.* Bonacin. *tom. 2. disp. 3. q. 7 p. 5. n. 5.* ideo: quia Clerici & Religiosi vi sui statûs magis à gravioribus saltem delictis abstinere tenentur quàm Laici, & ita favor immunitatis Laicis nominatim in jure, præsertim in *Constitutione Gregoriana*, concessus ad Ecclesiasticos non videtur extendendus.

Affirmant Tulchus *pract. concl. 7. Ecclesia concl. 9. n. 17. & concl. 11. n. 27.* Clarus in *pract. crimin. §. fin. q. 39.* Diana p. 1. tr. 1. *resolut. 24.* Fagn. in *c. inter alia h. t. n. 78.* Quorum sententiam tum maximè ample-

ctendam censeo, si præter poenam canonicam alia corporalis per modum vindictæ imponenda veniat, ut si Clericus crimen degradatione dignum commiserit, ob quod alias curiæ sæculari tradi solet ad inferendam mortem vel membrorum mutilationem: ne enim tunc ad eum finem è loco immunitatis in vitis extrahatur, plures rationes tuadent. *Prima* est: quia non tantùm à Laicis, sed etiam à quidem multò magis ab Ecclesiasticis Judicibus violentia in Ecclesia exerceri non debet. *Secunda*: quia conveniens est, ut æquè Clerici, ac Laici ab Ecclesia defendantur, utpote, qui eidem speciali servicio mancipati sunt. *Tertia*: quia propter assumptum Clericatum non debent esse deterioris conditionis, & minus ab Ecclesia defendi, quàm si Laici mansissent. Accedit, quòd istud privilegium principaliter sit concessum loco, personis verò non nisi propter reverentiam illius. Ergo quibuslibet in Ecclesia repertis suffragatur, nisi specialitè reperiantur excepti, quorum numero Clerici non continentur.

Ad argumentum oppositum responderetur, ex eo, quòd Clerici & Religiosi ad vitam perfectiorem obligati sint, malè concludi, quòd immunitate locali propterea privandi sint, sed rectius inferri, quòd ea immunitate gaudere debeant. Neque verò extensione opus est à Laicis ad Clericos, cum plurimi Canones de immunitate locali generaliter & indefinitè loquantur, non distinguendo inter Clericos, & Laicos, veluti *c. 9. 19. 35. & 36. causa 17. q. 4. item c. fin. h. t.*

§. V.

Forma immunitatis Ecclesiarum, & cæmeterii consistit in privilegio, quò Rei eò confugièntes defenduntur, ne inde extrahi queant.

§. VI.

Finis hujus immunitatis est favor Religionis, fideique Christianæ, & honor DEI, Sanctorumque cultus.

§. VII.

14. *Effectus* immunitatis Ecclesiarum, cæmeterii, sicut & aliorum Sacrorum, aut Religiosorum locorum plures, ac insignes se offerunt.

Primus est, quod confugæ in illis sint recipiendi: neque inde repelli possint, vel excipiendi. *c. reum c. desinivir. causâ 17. q. 4. c. inter alia 6. h. t. ubi, dum Rectores Ecclesiarum, ut pacem, vitam, & membra obtineant, iudere jubentur, perspicuè confugientibus ad Ecclesias suas aditum præcludere, eosque repellere prohibentur.*

15. *Secundus*, quod criminis non excepti rei quicumque sacris alylis recepti illic capi, ac compedibus, vel vinculis constringi nequeant. *c. 35. causâ 17. q. 4. l. 6. C. de His, qui ad Eccles. confug. Canif. n. 22. h. t. Guido Papæ decis. 121. num. 2. & 3. Vigiles tamen, & Rectores in vicinia Ecclesiarum constituere, qui reum è loco immuni forsitan ultrò prodeuntem apprehendant, contra immunitatem Ecclesiasticam non esse, verius est, tamen obsidio circum circa Ecclesiam ponatur, & omnis elabendi occasio fugitivo præcludatur, ut Farnac. in *Appendic. c. 19. num. 299.* & communis praxis ostendit; dummodò alimenta necessaria ipsi non intercipientur, nec ostium Ecclesie occludatur, atque ita quasi carcer efficiatur: optima ratio, quia immunitas Ecclesie non prohibet Judices pro suo arbitrio delinquentibus insidiari, nec reum, qui ad Ecclesiam confugit, omnino à pœna liberat, sed tantum à violentia defendit, quàm diu in Ecclesia existit.*

16. *Tertius*, quod Rei in loco immunitatis recepti inde inviti extrahi nequeant, & contra eos, quàm diu ibi existunt, sententia mortis, aut alia pœna corporalis statui non possit. *d. c. inter alia 6. h. t. Sylvester V. immunitas 3. q. 4. Suarez. lib. 3. de Relig. c. 12. n. 5. qui addit: nec pœnam servitutis, exilii, aut triræmii in illos decerni posse, cum sint admo-*

dum graves, & corporalibus, si non graviores, saltem pares. Quòd si fortè insuper habitò dictò Juris privilegiò reus per vim abstractus, & condemnatus fuerit, totus processus post talem violentiam institutus ipso jure, & factò nullus erit, ex quo fundamentum, siue captura, per quam quasi possessio ipsum reum acquiritur, injusta fuit. Layman. in *Theol. moral. lib. 4. tr. 9. c. 3. n. ult.* Planè existentes in asylò pœnâ pecuniariâ affici posse, colligitur ex *d. c. inter alia*, ibi: *super hoc tamen, quòd iniquè fecit, est aliàs legitime puniendus.*

Quartus, & præcedenti proximus effectus, hujus immunitatis est, quod criminis non excepti rei Ecclesie, Monasterio, vel loco immuni, è quo violenter extracti sunt, cum bonis inde abstractis illæsi restitui debeant. *c. miror. c. sicut causâ 17. q. 4. Panorm. in c. inter alia. n. 26. h. t. Fagn. ibidem n. 10.* Et hoc adeò verum est, ut non tantum ipse reus injustè extractus possit agere, quòd pristinæ libertati restitatur, Canif. *num. 25. h. t.* sed ipsi quoque Ecclesie contra extrahentem ratione spoliæ actio competat, quatenus per excommunicationem compellatur extractum restituere. *c. 8. causâ 17. q. 4.* Porro si reus rogatus à Judice, aut promissionibus illectus sponte egrederetur, non violaretur immunitas Ecclesie per ejus apprehensionem, siquidem tunc vis nulla loco sacro inferitur. Secus foret, si dolo à Judice ductus postea caperetur, quia dolus hac in parte violentiæ æquiparatur, ut ex communi notavit Navarr. in *Manual. c. 25. n. 21. Suarez. de Relig. lib. 3. c. 13. n. 2. & 17.*

Quintus effectus spectatur in pœnis statutis in sacrilegos violatores immunitatis Ecclesiasticæ, quæ alia de Jure Civili, alia de Jure Canonico. De Jure Civili dictata est pœna ultimi supplicii. *l. 6. C. de His, qui ad Eccles. confug.* Jure Canonico præter excommu-

nicationem violatores immunitatis subentur Ecclesie violatae solvere nongentos solidos. c. 20. & seq. causa 17. q. 4. Verum hujus multa jus hodie per non usum ab Ecclesia amissum esse, notat Gloss. in c. cum multa. 3. causa 15. q. 8. poena autem excommunicationis etiamnum hodie obtinet, & quidem ipso facto incurrendae, ubi Bulla Greg. XIV. Cum aliis. publicata est; secus ubi publicata, aut recepta non fuit: quandoquidem textus allegati, & praemonitionem requirunt, & simpliciter excommunicationem comminantur, nec satis exprimunt, an ipso facto incurratur. Zerol. in prax. Episc. V. immunitat. §. 3.

Pars II.

De Immunitate rerum ad Ecclesias pertinentium.

SUMMARIUM.

19. Quid sit immunitas realis? 20. Quo jure prodita? 21. Competit bonis Ecclesiarum, & Clericorum etiam patrimonialibus. 22. 23. 24. Quid & quotuplex sit munus? 25. usque 32. A quibus muneribus Ecclesie, & persona Ecclesiasticae sint exemptae? 33. Qua sit forma? 34. Quis finis. 35. Qui effectus hujus immunitatis?

§. I.

19 **I**mmunitatem rerum, seu realem definitio, quod sit privilegium, quo Ecclesiarum, & Clericorum bona a vectigalibus, tributis, aliisque civilibus muneribus Magistratui, aut Principi saculari pendendis sunt immunita, & exempta. arg. c. 4. & 7. b. r.

§. II.

20 **C**ausa efficiens hujus immunitatis est jus. Et quamvis non convenient inter se DD. Catholici, quod jure introducta sit, crebrior tamen gravissimorum Interpretum sententia est, eam originem trahere ex jure Divino per c. 30. de Jurejurand. c. 4. de Censib. in 6. Trid. sess. 25. de Reformat. c. 20. Gloss. in c. si

Imperator. dist. 96. Panormit. in c. 10. de Constitut. n. 6. Fagnan. ibidem n. 10. Innocent. in c. 2. de Majoritat. & Obid. & alii innumeri.

§. III.

Subjectum hujus immunitatis sunt bona Ecclesiarum, & Clericorum, quae per illum ab oneribus, & muneribus civilibus exempta sunt. d. c. 4. & 7. b. r. c. 4. de Censib. in 6. c. 6. milititer 58. causa 16. q. 1. Bulla Coena Domini casu 13. l. 1. & auth. item nulla. C. de Episc. & Cleric. Neque id solum videtur intelligendum de iis bonis, quae proprie sunt Ecclesiastica, id est, ipsarum Ecclesiarum, & beneficiorum, sive prout pertinent ad Clericos titulo aliquo Clericali, sed etiam de iis, quae sunt patrimonialia, & pertinent ad illos titulo aliquo merè Laicali, ut usque ad naveam palam DD. inculcant per jura statim citata.

§. IV.

Objectum hujus immunitatis sunt munera civilia, à quibus bona Ecclesiarum, & Clericorum eximit. Ut autem scias, à quibus muneribus eximat.

Pramitto I. Nomine muneris in proposito, & quatenus inde derivatur immunitas, venire onus necessario subeundum à lege, consuetudine, vel à Superiore impositum. l. munus proprie 214. ff. de V. S.

Pramitto II. Munera esse in triplici differentia. Quaedam sunt personalia, quaedam merè realia, quaedam mixta. l. 18. pr. ff. de Munerib. & honorib.

Personalia aliqua solum consistunt in labore personae sine sumptu pecuniae, veluti vela & cura. d. l. 18. §. 1. aliqua vero in solutione certae alicujus pecuniae, non ratione bonorum, sed ratione solius personae: ut cum in singula capita certus census constituitur. v. g. ita: quilibet existens in territorio quantumvis teneatur sui seip. Person. oder Leib solvere medium florentinum. Qui census proprie Ca-

peratio germanicè Kopf- oder Leibs-Steuer nuncupatur. l. *ararem* 3. ff. de Censib. Alex. Sperell. dec. 36. n. 16.

Munera merè realia sunt, quæ sine respectu ad personam, ejusque qualitatem præcisè ipsis rebus, seu bonis, sive bonis propter bona imponuntur; ut cum singulis prædiis, aut domibus secundum se. certa pensio pecuniaria taxatur v. g. ita: *Quodlibet prædium, vel domus tenetur annuatim aurum pendere.* Quæ pensio propriè tributum appellatur. *Jalon in l. placet. C. de SS. Eccles. n. 6. Casar de Panimoll. dec. 100. adnot. 1. n. 33.*

Munera mixta bifariam sic dicuntur I. Ea, quæ tam corporis ministerio, quam gerentis sumptu sustinentur; ut ire ad bellum propriis sumptibus, tributa suo sumptu exigere, & alia, quæ recensentur in d. l. 18. §. mixta 26. ff. de Munerib. & honor. II. Illa, quæ nec personis ut sic, nec rebus secundum se, sed personis subditis propter res, & secundum proportionem patrimonii indicuntur, sic ut impositio, & obligatio in personam dirigatur, licet causa finalis sit ipsa res v. g. ita: *quilibet, qui in bonis annuis habet centum florenos, solvat singulis annis quinque.* l. 6. §. fin. & l. ult. §. mixta. ff. de Munerib. & honor. Alex. Sperell. d. dec. 36. n. 15. *Besold. p. 4. consil. 153. n. 31.* Quæ onera collecta indigitari solent vernaculâ Steuer / Schatzung / Hülff / oder Anlag. *Casar de Panimoll. d. adnot. 1. num. 36. Caspar Klock de Contrib. c. 2. n. 81. & 86.*

Præmitto III. Onera rursus subdividing, aliqua enim sunt ordinaria, quæ scilicet à summo Principe certâ lege, & in perpetuum constituta, certisque rebus, aut personis imposita sunt, uti tributa, & Steuræ, alia verò extraordinaria, quæ tantum in casu extraordinariæ necessitatis imponuntur, nec certam formam habent, & communi nomine con-

tributionum, exactionum, collectarum, vel talionum significantur. His præmissis.

Dico I. Ecclesias, & personas Ecclesiasticas exemptas esse à muneribus personalibus. l. 1. C. de Episc. & Cleric. Itaque non tenentur ad angarias, id est, operas personales sumptibus imponendis præstandas, germanicè Scharwerck / Robalten: ad perangarias, id est, ad operas, quæ à laborantibus propriis sumptibus expediendæ sunt. Item ad tributa Capitationis: quia hujusmodi munera personalia præcisè fundantur in subjectione personarum, & speciem servitutis præferunt.

Dico II. Ecclesias, & personas Ecclesiasticas esse immunes à collectis, & steuris extraordinariis, aliisque oneribus, quæ urgente necessitate personis cum respectu ad facultates, aut possessiones imponuntur: quia etiam istæ exactiones, quamvis cum respectu ad res imponantur, directè tamen imponuntur personis, consequenter non nisi subditis imponi possunt; quales non sunt Ecclesiæ, & Clerici respectu Magistratûs Laici: l. 5. C. de SS. Eccles. l. 2. §. 2. C. de Episc. & Cleric. in quibus nihil extraordinarium ab Ecclesiis exigendum præcipitur. *Auch. item nulla.* junctâ Gloss. C. Eod. ubi sub poena tripli, & Banni imperialis prohibetur, ne communitas quæcunque, vel persona publica, aut privata collectas, exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat. Quibus consonant c. 4. & 7. h. t. c. 1. Eod. in 6. c. 4. de Censib. in 6. & Clem. 3. eod. Bulla Cœnæ Domini casu 18. & Bulla Urbani VIII. de Anno 1641. die 23. Sept. Quæ incipit *Romanus Pontifex*, & etiam spontaneam contributionem sine speciali facultate Sedis Apostolicæ in validam declarat, non obstante tempore immemoriali, aut prætextu privilegii Apostolici, vel

vel tolerantia inferiorum Prælatorum, nec prætextu non factæ publicationis, aut receptionis Bullarum, & constitutionum Apostolicarum.

27 Dico III. Ecclesias, & personas Ecclesiasticas per se loquendo, immunes non esse à tributis, & oneribus merè realibus, sive rebus ipsiis impositis: quia onera ordinaria, quæ rebus ipsiis stabiliter imposita erant, antequam ad Ecclesias devenirent, etiam ex postfacto solvenda sunt, eò quòd res cum onere transeat. arg. c. 5. de Pignorib. c. 28. de Decimis. c. 22. & seq. causa 23. q. 8. l. 67. ff. de Contrah. empt. Intellige de tributis certis, & actualiter impositis, antequam bona ad Ecclesias, vel Clericos transirent, non verò de incertis, vel reservatis, & pro re nata primum imponendis. Canonistæ in c. 1. h. t. Suarez. in tr. de defens. fid. lib. 4. c. 21. & 25. Prout nec sufficit, res tales, cum adhuc à Laicis possiderentur, fuisse descriptas ad eum finem, ut proportionaliter in casu necessitatis collectari possent, nisi saltem de facto certa quantitas in perpetuum à tota Provincia, vel territorio solvenda, à Principe determinata fuerit. Sylvest. V. immunitas n. 19. Felin. consil. 46. n. 18. Fagn. in c. 4. h. t. n. 10.

28 Dico IV. Principes, & Magistratus sæculares, neque quoad bona Ecclesiastica de novo acquirenda, statuta condere posse, ut Ecclesiastici, vel instar Laicorum onera communia supportent, vel talia bona tursus intra certum tempus Laicis vendere, ac alienare teneantur per c. 1. h. t. in 6. Qui textus uti omnes Canones, ac constitutiones in favorem Ecclesiasticæ immunitatis, & contra ejusdem violatores editæ innovantur in Trid. sess. 25. de Reform. c. 20. & quotannis in Bulla Cœnæ Domini casu 18. Sine dubio ideo: quia statuta sæcularium, quæ personarum, vel bonorum Ecclesiasticorum mentionem faciunt, ipso jure nulla dicuntur. c. 10. de Constit.

c. fin. de Reb. Eccles. Tusch. lit. 3. concl. 609. n. 2. cum Baldo, Felino, & alijs.

Dico V. Possent Principes & Dominos sæculares Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis collectas, & contributiones imponere. Primo si speciale privilegium, & expressam licentiam S. Pontificis obtinuerint. c. 7. & ibi Barb. n. 3. h. t. Secundò si bona Ecclesiastica ab Ecclesiis habeantur in feudum. Gail. lib. 1. observat. 30. Layman, in Theol. moral. lib. 4. tr. 9. c. 5. num. 2. Tertiò si Princeps aliquis sæcularis in prima fundatione, & donatione bonorum immobilium alicui Ecclesiæ facta per expressum pactum collectas, & tributa, vel jurisdictionem in illis bonis sibi reservaverit arg. c. 4. de Condit. apposit. & c. 2. de Jure patronat. Molin. tr. 5. de F. & F. disp. 6. n. 6. Layman. d. c. 5. n. 4. & c. 6. num. 2.

Connexa questio est: utrum ex bonis Clericorum emigrantium, & hæreditatibus, legatis, aut donationibus, quæ ad Clericos, Ecclesias, aut causas pias perveniunt, ac extra territorium transportantur, certam quotam v. g. partem decimam, quæ vulgò *Abzug/ Nachsteuer/ Abfahrt/ Abschoß/ Nachschuß* dicitur, detrahere liceat?

Affirmativam commendat praxis, & præxim ratio: si enim consuetudine, aut statuto induci potest, ut de vino, carne, ac rebus id genus alijs, gabella etiam tunc solvatur, cum memoratæ res venduntur personis Ecclesiasticis, ut docet Sylvest. V. immunitas. 1. q. 6. in fin. Ludovic. Molin. de F. & F. disp. 663. n. 5. quid prohibet, consuetudine aut statuto induci, ut de hæreditatibus, aut legatis gabella detractionis solvatur etiam tunc, cum Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis obveniunt?

Sed vereor, ne in puncto juris verior sit sententia opposita. Ex enim l. Decima detractionis est onus mixtum, quod ab Ecclesiasticis pro bonis de novo acquisitis exigere non potest, juxta doctrinam Barchol. in consil. 180. lib. 1.

lib. 1. n. 4. Panorm. consil. 13. n. 2. lib. 2. Math. de Jurisd. p. 4. cent. 1. cas. 11. n. 37.

II. Quia ut bona transeant ad Ecclesiasticos cum suis oneribus, necesse est, ut eadem onera non sint realia, sed etiam, ut sint certa, perpetua, & invariabilia, ac in fixo pro rebus, non autem pro personis, ut magistraliter firmat Rota in *Brundusina Gabella coram Penia. decis. 1079. in Alben. Gabella, seu onerum coram Merlino decis. 902. in Hydruntina exemptionis. 5. Julii. 1660. coram Merlino.* & sequitur Sperell. dec. 35. num. 2. & seqq. & dec. 36. à num. 10. at verbò decima emigrationis, & detractionis in primis non est onus merè reale, sed mixtum. Nec etiam est ordinarium, sed extraordinarium, cum omnia onera per statutum inferiorum indicta sint munera extraordinaria, ut declarat Bald. consil. 112. num. 6. quem refert, & sequitur Eagn. in c. licet. num. 30. in fin. de Censib.

III. Quia bona Clericorum, & ea bona, quæ hereditate, legato, donatione, emptione, aut alio titulo è manibus Laicorum perveniunt ad Ecclesias, aut personas Ecclesiasticas, non subjacent stauræ, si remanent in territorio, cum staura sit onus mixtum, à quo liberi sunt Clerici, & Ecclesiæ, ergo neque subjacent detractioni, si è territorio transferuntur: quia detraçtio in illius locum subrogata assumit eandem naturam juxta Natt. consil. 157. sub num. 4. & 5. Socin. sen. consil. 129. num. 8. ad mod. 7. tertio principaliter. lib. 1. Bald. in l. 1. §. quodsi nemo. sub num. 4. 7. sed quando collecta. ff. Quod cujusque universi. nom. & in l. etiam 5. n. 18. C. de Exec. rei judic. IV. Quia Ecclesiæ, & Clerici non tenentur ad onera etiam realia, cetera & invariabilia, si bona, antequam pervenerint ad eorum manus, tali onere non reperiebantur affecta, ut sæpe rescripsit SS. Congregatio boni regiminis teste Casare de Paumol. decis. 100. n. 9. & 10. ergo nec te-

nentur ad gabellam, seu onus emigrationis, aut detractionis, si vel bona sua, vel sibi relicta legata, aut donata extra territorium transferant, siquidem hoc onus omninò novum est, nec bonis, dum penes Laicos essent, impostum, sed tantummodo lex lata, aut introducta consuetudo de imponendo, & dum imposturi bona immunia sunt, & exempta. Sperell. lib. 1. decis. 35. num. 36. cum Bald. & Felin.

Quod attinet oppositum argumentum à pari, præterquam, quòd in moralibus juxta alibi dicta elumbe sit, disparitas est, quòd ubi de rebus, quæ usu absumentur ex statuto, aut consuetudine Gabella exigitur, ea non imponatur ipsis Clericis, aut eorum bonis, sed carnibus, aut vino vendendis à Laicis in certo loco, e contra decima detractionis Clericis, vel Ecclesiis, aut eorum bonis imponatur; siquidem tributum, & onus non dicitur imponi, quando per legem, vel consuetudinem illius solutio demandatur, sed quando fit actualis contributio.

Ceterum nec in casu publicæ utilitatis, aut evidenti necessitatis, vel pietatis: ut si bellum defensivum, aut pro Religione suscipitur, personæ Ecclesiasticæ ad contribuendum per Principes sæculares cogi possunt, sed si tanta fuerit necessitas, ut Laicorum facultates eidem sublevantæ non sufficiant, personæ autem Ecclesiasticæ sine detrimento suæ Ecclesiæ, & cultûs Divini juvare valeant, tunc consulto prius S. Pontifice, per suos Superiores, & Judices Ecclesiasticos compellendi sunt, c. 4. c. 7. & ibi Panorm. num. 6. & 19. h. t. Sylvester. F. immunitas. num. 20.

§. V.

Forma immunitatis realis, seu rerum ad Ecclesias pertinentium consistit in exemptione, quæ res ejusmodi à muneribus personalibus, realibus, & mixtis immunes sunt.

U u

§. VI.

KÖNIGIN DECRET. LIB. III.

§. VI.


33 *Finis* hujus immunitatis est, ut Ecclesiae, ejusque Ministrorum dignitas illa conferretur,

§. VII.

24 *Effectus* immunitatis realis est, quod bona Ecclesiarum, & Clericorum à vectigalibus, fteuris, tributis, aliisque civilibus exactionibus sæculari Principi solvendis eximat, c. 4. & 7. b. t. l. 5. C. de SS. Ecclesiis. ita quidem, ut potestas sæcularis nec per consuetudinem excusari possit, si collectas, aut contributiones Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis imponat: ex quo hæc immunitas ex jure Divino prodiit, contra quod nulla consuetudo prævalere potest, c. 4. de Censib. in 5. juncto c. fin. de Consuetud.

§. VIII.

35 *Affinis* immunitati reali est *immunitas personalis*, cujus præcipuæ partes sunt exemptio à jurisdictione sæculari, quæ *privilegium fori* dicitur; & *privilegium Canonis* ab Innocent. II. Papa editi, quod refertur in c. si quis. 29. causa 17. q. 4. de quibus alibi passim.



TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

SUMMARI A.

1. *Qua* hic veniant nomine negotiorum sæcularium?
2. *Quo jure* sint prohibita? 3. *Quibus?* 4. *usque*
10. *Quæ negotia* Clericis ac Monachis sint prohibita? 10. *Forma.* 11. *Finis*, ob quem prohibentur.
12. *Qua sit pæna* Clericorum, ac Monachorum negotiis sæcularibus se immiscientium.

Ultimus hic titulus primo correspondet, cum quàm maximè ad vitam, & hone-

statem Clericorum, Monachorumque pertineat, à sæcularibus negotiis abstinere.

§. I.

Nomine negotiorum sæcularium, quibus Clerici, vel Monachi se immiscere prohibentur, ea veniunt, quæ à Divinis notabiliter abstrahere solent, vel contemptum generare.

§. II.

Causa efficiens horum prohibitorum negotiorum est jus, unde acceperunt prohibitionem, id quod habetur in c. decrevit. 1. c. Episcopus. 3. dist. 88. c. duo sunt. 7. causa 12. q. 1. c. credo. 2. c. placuit. 3. causa 21. q. 2. Clem. 1. de Vita & hon. Cleric. & toto hoc titulo X. & in 6.

§. III.

Subjectum sunt Clerici & Monachi, etiam Canonici, Prælati, & Episcopi, quibus indignum, ac indecorum est, sæcularibus se negotiis immiscere: enimverò nemo, ut inquit Apostolus 2. ad Timotheo 7. militans DEO implet se negotiis sæcularibus. Et sanè quæ Clericis non conveniunt, multo magis Episcopos, & Prælatos dedecet: eorum liquidem, qui aliis præiunt, minimi defectus vulgo videntur maximi, & parva vitia elucet magis, quò præstantiores debeat esse illi, quibus adherent.

§. IV.

Materia, sive Objectum constituunt ipsa negotia sæcularia, quæ Clericis, & Monachis sunt prohibita. Eorum

I. In c. 1. h. t. plura, & si exactè separentur quatuordecim recensentur, quæ vel Laicis quoque, vel Clericis tantùm sunt interdicta, prout legenti patebit.

II. In c. 2. & 4. Eod. ad illa refertur, quod Clerici non debeant esse Procuratores, administratores, aut officiales Principum, ac Dominorum temporalium. Si contra fecerint, & in suo officio, ac administratione desiquif-

se deprehendantur, Ecclesia ipsis non succur-
rit. *d. cap. 2. ex quo Farinac. in Prax. crim.*
p. 1. q. 8. num. 98. cum pluribus aliis docet,
quod Clericus, qui Principis sæcularis offi-
cialis est, hõc ipso privilegium fori amittat,
& a Laicis puniri possit pro excessibus in offi-
cio commissis. Alii tamen probabilius Text.
1. 2. cum c. 4. h. t. concordant, quod scilicet
Clericus tum demum, si ter monitus non de-
sistat, deponendus, & privilegiis Clericorum
privandus sit, ab initio autem, & ante deposi-
tionem, cum non minus Princeps, vel Domi-
nus sæcularis, qui Clericum ad Officium sæ-
culare assumit, quam ipse Clericus assumptus
delinquat, non debet ex eo jus & jurisdic-
tionem in Clericum acquirere. Ita Hostiens.
in Summa n. 4. Panormit. & plures allegati à
Barb. in *d. c. 2. n. 4.*

III. *In c. 3. & fin. h. t.* Clericis, & Mona-
chis inhibetur, ne legibus, seu juri Civili ope-
ram dent, idque sub pœna excommunicatio-
nis incurrendæ, nisi admoniti intra duos
menses desisterint. Videntur enim, ut inuit
Pontifex, in *cit. c. fin.* per additionem com-
pleto, ex pedisequa, & ancilla dominam fa-
cere Clerici, qui relicto sanctiore Theologiæ,
& SS. Canonum studio ad leges sæculares in-
cumbunt. Quamobrem nihil erit contra
Pontificis mentem, nec ullis pœnis obnoxium,
sed laude potius, & commendatione dignum,
si iis quibus cateroquin legum studium pro-
hibetur, eas non principaliter, sed pro facilitate,
& pleniore intellectu juris Pontificii, at-
que ipsius Theologiæ, non solum domi, &
privatum, sed etiam publicè audiant, & ad-
dicant, & cum gradum Doctoratûs in jure
Pontificio suscepturi sunt, in consequen-
tiam quoque, & accessionis locò gradum in
jure civili capeant; neque enim sic pedise-
qui Dominæ præferunt, sed ei, ut debet, an-
cellantur. Boëtius Epo in *c. 3. h. t. n. 16.*
¶ *17. P. Engel. h. t. n. 6.*

IV. *In c. 5. & 9. h. t.* Clerici jubentur ab-
stinere ab iis negotiis, quæ eos ad exequen-
da officia sacri Ordinis ineptos, & irregula-
res efficiunt: qualia sunt exercere chirurgiam
per adustionem, vel incisionem: ferre senten-
tiam sanguinis per semetipsum; aut agere,
in causa sanguinis publicum Ministrum as-
sistendo Judici, advocando, testando, exer-
cendo officium Notarii: quippe similia ab-
horrent à Christi mansuetudine, lenitate, quam
moribus suis Clericos speciatim exprimere
convenit. Unde etiam supplicia facinorosorum
spectare, & ubi sanguinis vindicta exer-
cetur, interesse Clericis interdicitur in *cit. c. 9.*
h. t.

V. *In c. 6. h. t.* inhibetur Clericis, & Mo-
nachis mercatura, seu negotiatio: hæc enim
præterquam, quod Clericum, aut Mona-
chum ab officiis Divinis, & spirituali anima-
rum per orationes, aliasque sacras functiones
DEO, & cœlo asserendarum quæstu retraheret,
vilem eum, & contemptibilem redderet,
& Clericalem, ac Religiosum decorem, dig-
nitatemque prostitueret: quantumvis enim
Laico probrosum non sit per negotiationes
lucra temporalia sectari, Clerico tamen aut
Monacho, cui aliunde de necessariis provide-
tur, ignominiosum id est, utpote avaritiam,
ac temporalis lucri cupiditatem redolens. Un-
de sub pœna anathematis vetatur *d. c. 6.* In-
telligitur autem nomine negotiationis Cleri-
co inhibita quilibet contractus, quo res com-
paratur, ut carius postea vendatur, & distra-
hatur. Sed nec alienas possessiones lucri cau-
sâ Clericis conducere conceditur. *cap. 1. Eod.*
c. 1. dist. 88.

VI. *In c. 8. h. t.* Clerici prohibentur exer-
cere officium tabellionatûs, sive notariatûs,
sub pœna privationis beneficiorum suorum;
Interim si quis contra hanc prohibitionem fa-
ciat, modò alias officium notariatûs legitime
consecutus sit, valebunt actus, & instrumenta

ab eodem confecta, quia prohibitio tantum personam afficit, nec extendenda est in præjudicium aliorum, maxime cum aliis multa prohibeantur fieri, quæ tamen, cum facta fuerint, obtinent firmitatem. c. 16. de Regular. Hostienl. in Summa h. t. n. 5. P. Engel. Eod. n. 5,

§. V.

XO *Forma* hujusmodi prohibitorum negotiorum, à quibus Clerici, & Monachi abstinere debent, stat in inconvenientia, ob quam repugnat statui, ac officio Clericali, & Religioso.

§. VI.

XI *Finis*, ob quem Clerici, ac Monachi se negotiis secularibus immiscere prohibentur, est, ne à cultu Divino avocentur, ac in diversa, eorum vitæ aut professioni dissentanea, distrahantur.

§. VII.

Effectus secularium negotiorum Clericis, ac Monachis prohibitorum, est pœna in contra facientes statuta, eaque varia pro varietate negotii, cui Clericus, vel Monachus incumbit; veluti excommunicatio in Clerico vel Religioso professo leges, vel medicinam audiente, si redire ad claustrum detrectet. c. 3. & fin. h. t. Depositio ab Officio, & beneficio in Clerico Procuratore, vel vice Principis secularis judicante, vel iudicium sanguinis agitante, munusve Tabellionis exercente, c. 2. 4. 5. 8. & 9. h. t. Privilegii immunitatis ammissio, & excommunicatio in Clerico negotiatore, si tertio monitus non destiterit. c. 6. h. t. c. 4. de Censur. in 6. Clem. fin. Eod. irregularitas in Clerico sacris initiato medente per abscissionem, aut aduotionem membri alicujus.

d. c. 9. h. t.

OMNIA AD MAJOREM DEI GLORIAM.



INDEX